


SPECVLATOREM DEDI TE DOMVI ISRAEL
Non aliam nisi te Domine
METAPHYSICA
Ex Thomisticis col lecta Doctoribus
Per F. Iosephum Mariam Zuchi Ord. Prædicatorum

METAPHYSICA
AD MENTEM ARISTOTELIS,
ET ANGELICI PRÆCEPTORIS
D. THOMÆ AQVINATIS
EX THOMISTICIS COLLECTA DOCTORIBVS

PER F. IOSEPHVM MARIAM ZVCCHI A CREMA
Ordinis Prædicatorum, Prouinciæ vtriusque Lombardiæ

In vltimo Capitulo Gen. Romano pro Sacratiss. Rosarij Prouincia Cathedraticum, atque ad Sacræ Theologiæ Magisterium approbatum,

Nupèr in Partenopeo Collegio eiusdem D.Tho. Aquinatis post alium Mediolani expletum cursum Artium Lectorem, & successiuè per biennium Studiorum Magistrum, Modò in Almo Studio Gen. Bononiensi Metaphysicum Moderatorem.

DICATA

Eminentiss. ac Reuerendiss. Principi Domino,

D. PALVTIO

Tit. S. Grisogoni Præsb. Card.

DE ALTERIIS

S.R.E. CAMERARIO, DOMVS LAVRETANÆ PROTECTORI, Eiusdemque Lauretanæ Vrbis Gubernatori Perpetuo, Abbati Sanctorum Vincentij, & Anastasij ad Aquas Saluias, perpetuo Commendatori, & Baliaggi Sanctæ Euphemiæ, Ordinis Hierosolymitani Commendatori, ac Baliuo perpetuo,

Necnon Sacri Prędicatorum Ordinis Vigilantissimo Protectori.

BONONIÆ, Typis Iosephi Longi. 1684. *Superiorum permissu.*

EMINENTISSIME.

AC

REV.ME PRINCEPS.

PHILOSOPHICVM Curſum tria in Volumina diſtinctum tribus ex noſtro Ordine S. R. E. Eminentiſſimis Cardinalibus aſſumptis ſuo ordine ſacraturus, Metaphyſicam ſcientiarum omnium Reginam, ac Dominam, quæ poſtremò ſequitur, non alteri, quàm tibi, EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS, offerendam exiſtimaui. Et quidem iure optimo; Vniuerſi enim Ordinis Vigilantiſſimus Protector, omnibus omnia factus, pro ſingulis paternè ſollicitus, commune bonum promouere feruentiſſimè ſatagis. Nullum te humaniorem, nullum promptiorem, nullumque, aut regularis obſeruantiæ, aut Scholaſticæ diſciplinæ ardentiorem Protectorem huc vſque experti ſumus, adeò vt animum, vel grauioribus Vniuerſalis

Ecclesiæ occupatum negotijs, vel innumeris distractum curis, semper tamèn nostro ostendas beneficio addictum. Quæ ad publicum decorem, ac Religionis augmentum conferre videntur inexplicabili amplecteris zelo, & licet etiam alijs Ordinibus præsis, nostro tamèn magis prodes. Ità Gusmano sidere ALTERIIS ASTRIS iuncto, septenario numero Vniuersitate, teste Gregorio, designata, Prædicatorum Religio Angelico amicta Sole, Hæresis Lunam calcans sub pedibus, non duodecim, sed omnibus Stellis redimita effulget. Aut copulatæ tuæ nostro sideri Stellæ, velut Berenice Comæ septem Astris distinctæ, non Leonis Nemei caudam, sed Leonis Iudæ caput exornant. Ferunt Atlantis septem Filias relatas fuisse in siderum numerum, ac Pleiades dictas verno tempore exoriri. Sed quàm per bellè sex Tuæ Stellæ, EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS, vna cum Gusmano sidere nouas efformant Pleiades vtique Nostro Ordini florentissimum ver portendentes! Et sanè nonne CLEMENTE X. Pontifice Maximo Augustissimo tuo Patruo Regnante innumeris honoribus Cœlo, terrisque accumulatus Prædicatorum Ordo mirum in modum efflorruit? Nonnè candidissima Virginitatis Lilia Cœlestis Iunonis lacte genita in Peruana Rosa, in Margarita de Castello, in Agnete de Monte Policiano, quæ vbicumque oraret pulcherrimi flores enascebantur Vniuersam Ecclesiam suaui Christi odore recrearunt? Nonnè egregiæ Rosæ in Iacobo de Meuania, & Ioanne de Colonia, non Veneris, sed ille Agni sanguine, iste proprio cruore Purpura-

purascens Vaticani honoribus elatæ pullularunt? Nonnè Indicus flos in Indiarum Apostolo Ludouico Bertrando suo in corpore vniuersa Christi passionis exprimente instrumenta celeberrima Canonizationis pompa vernauit? Nonnè modestissima Viola Pedemonte subnata in Margarita à Sabaudia Viduitatis castimonia spectabilis, vario diuersarum virtutum colore ornata, Beatitatis gloria adoleuit? Nonnè amantissimum Solis iustitiæ Heliotropium in Alberto Magno diuinis semper intento, cursumque æterni fontis luminis suis scriptis sequente aris succreuit? Nonnè Corona Imperialis in Pio Quinto non vno, sed triplici Diademate coronata, rubricante paludamento insignis, suprà Vaticani Solium, & Altare elata suas pompas explicuit? Nonnè immortalis Amarantus in Gundisaluo de Amarantha longa peregrinatione *nec gelu, nec æstu* consumptus, Terræ Sanctæ sanguineis nitens guttis, suo Fluuio virens prodijt? Nonnè mirabile Leucoion in Ambrosio Sansedonio virtutibus varium, & multiplex, Virginitate albescens, Charitate rubricans, Sanctitatis *aromata redolens*, aduersitatum in hyeme virentius germinauit? Nonnè denique florum Vniuersitas in terra nostra apparuit vna die omnium Sanctorum Ordinis adinstar Vniuersalis Ecclesiæ à Clementissimo Pontifice probata Solemnitate? Nec minùs terris quidem, quam Cælo ALTERIIS fauentibus ASTRIS Prædicatorum Ordo effloruit, Gemina vernans Purpura Eminentissimorum Vrsini, & Houuardi, Reuerendiss. P. Raimundo Capisucco ad Sacri Apostolici Palatij Magisterium rursus euecto, vt

indè

indè in Purpuratorum Collegium à Sanctissimo Domino Nostro INNOCENTIO PAPA XI. ascito terno simùl murice decoraretur. Hæc sunt prægrandia munera, quibus summæ tanti Pontificis liberalitati inexplicabilibus vinculis obstricti tenemur. Hæc sunt immensa amoris signa nostræ memoriæ nequaquam cunctis seculis excisura, quibus Vniuersa Prædicatorum Religio tàm benemerenti est dicata Christi Vicario, qui vt se totum Dominicanum ostenderet inter Diui Petri Martiris festiua solemnia ad supremæ Dignitatis culmen elatus, Mineruæ in Templo Gentilitiæ suæ Prosapiæ Magnificentius extructo tumulo, ipso peruigilio Sanctæ Mariæ Magdalenæ nostræ amantissimæ Protectricis diem clausit extremum. Cui igitur nisi tibi, EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS, sacrare nostram Metaphysicam debebam, cum & Augustissimi tui Patrui, & propria in dilectissimum Ordinem collata, Maiora exigant innumera beneficia? Excipe ergo, quæ offero prò magnis parua, pro maximis minima grati animi monimenta, & dum humiliter sacram exosculans Purpuram perpetuam in Cælis tibi precor felicitatem, in terris Nestoreos viue annos totius Ecclesiæ beneficio, atque Ordinis incremento.

Datum Bononiæ in Conuentu Sanctissimi Patriarchæ Dominici die 14. Septembris 1684.

E. V. Reuerendissimæ

Humillimus, Addictissimus, & Obsequentissimus Seruus
Fr. Ioseph Maria Zucchi Ord. Prædicatorum.

CANDIDE LECTOR.

*N**Atura nedùm Philoſopho, verùm & ipſa experientia teſtante ab imperfectioribus incipit, gratia autem à perfectioribus exordium ſortitur. Non ergo mirare, ſi Curſum Philoſophicum luci daturus à Metaphyſica, quæ omnium ſcientiarum poſtrema, ac perfectiſsima eſt initium deſumo. Hoc Diuinæ gratiæ miraculum eſt, quâ meo Doctore, ac Duce ſemper Angelico, vt firmiter credo, intercedente ſapientiam miſit de ſedibus ſuis. Non opus meum laudo, ſed diuini Numinis opem commendo. Velut enim Thomiſticus Pſitacus planè non intelligens, quæ promo cum Ieremia repetere poſſum:* A A A Domine Deus eccè neſcio loqui, *& cum felici Machabæorum Parente hiſce meis fatibus dicere:* Neſcio quomodò in vterum meum intraſtis. *Quidquid ergò boni reperies, Dei eſt, Thomæ eſt, Thomiſtarum eſt; quidquid verò mali, meum fateor. Hoc libentiſsimè dicam, nunquam, cum ſemper debeam, gratias ago Deo meo, ſi tamen ago, tanquàm de tribus præcipuis in me collatis beneficijs ſummas ago, quia eius munere ſum Catholicus, Dominicanus, Thomiſta. Aliorum Scholaſticorum doctrina durior mihi eſca videtur, ſed ſuauiſsimum Angelicæ Sapientiæ lac totis capio papillis, eoque nunquàm exſaturatus, veluti in*

exta-

extasim raptus summoperè fruor. O vtinam Sanctissimum Praeceptorem, quem vnicè diligo vel minimus discipulus in Sanctitate, & Sapientia imitari, ac veri Eliæ nouus Eliseus duplicem sortiri spiritum dignus forem! O vtinam illius vestigia sequens meorum quorumcumque laborum nullum aliud præter Deum præmium optarem! Sed faciliùs est vniuersam Thomæ summam capere, quàm vnicam propositionem ediscere:
Non aliam, nisi te Domine.

DOCTO-

DOCTORES THOMISTÆ,

Quibus vſus eſt Author, ſiuè in Theologicis, ſiuè in Metaphyſicalibus, ſiuè in Philoſophicis.

ANGELICVS DOCT. D. TH. AQVINAS

DIVINÆ VOLVNTATIS INTERPRES,

Cui humiliter appinxit

Mira alij patrant, ego ſed miracula ſcribo:
Omnia dum capio me capit ipſe Deus.

A

ALaſſio Ord. Præd.
Aleman ex Societ. Ieſu.
Aluarez Ord. Præd.
Aquarius Ord. Præd.
Arauio Ord. Præd.
Amù Ord. Præd.

B

BAnnez Ord. Præd.
Bergomenſis Ord. Præd.
Bieſcas Ord. Præd.
Blaſius à Conceptione Ord. Carm. Exc.
Brunus Ordinis Præd.

C

CAbrera Ord. Præd.
Capreolus Ord. Præd.
Cippullus Ord. Præd.
Complutenſes Ord. Carm. Exc.

E

EMinentiſs. Caietanus Ord. Præd.

F

FErrarienſis Ord. Præd.
Ferre Ord. Præd.
Flandria Ord. Præd.

G

GOdoy Ord. Præd.
Gonet Ord. Præd.
Gonzalez Ord. Præd.
Goudin Ord. Præd.

H

HErueus Ord. Præd.

I

IAuellus Ord. Præd.
Ioannes à Neapoli Ord. Præd.
Ioannes à Sancto Thoma Ord. Præd.

L

LEdesma Ord. Præd.
Lerma Ord. Præd.
Linze Ord. Præd.

M

MAhilat Ord. Præd.
Manca Ord. Præd.
Marletta Ord. Præd.
Martinez de Prado Ord. Præd.
Masius Ord. Præd.
Mazziotta ex Soc. Iesu.
Medina Ord. Præd.

N

NAuarette Ord. Præd.
Nazarius Ord. Præd.

O

ORtiz Ord. Præd.

P

PArra Ord. Præd.
Petronius Ord. Præd.
Philippus à Sanctissima Trinitate Ord. Carm. Exc.
Piccinardus Ord. Præd.
Pini Ord. Præd.

R

RIpa Ord. Præd.

S

SAlmaticenses Ord. Carm. Exc.
Sanchez Ord. Præd.
Serra Ord. Præd.
Soncinas Ord. Præd.
Soto Ord. Præd.

Z

ZAnardus Ord. Præd.
Zumel Ord. Merced.

DOCTO-

DOCTORES EXTERI.

Qui in Opere impugnantur, expugnantur, aut prò, vel contrà ab Auctore citantur.

DVRANDVS ORD. PRÆDICATORVM, cui meritò subscribsit

Haud libuit menti scriptis hærere Magistri:
Si non errassem fecerat ille minùs.

A

Egidius Ord. Hæren.
Ægidius à Præsentatione Ord. Herem. exc.
Alarcon ex Societ. Iesu.
Albertinus ex Societ. Iesu.
Alensis Ord. Minorum.
Alpharabius.
Antonius Mirandulanus.
Arriaga ex Societ. Iesu.
Argentina.
Almaynus.
Amicus ex Societ. Iesu.
Arubal.
Auersa ex Societ. Iesu.
Aureolus Ord. Minorum.

B

Bonetus Ord. Minorum.
Burleus.

C

Cabero ex Societ. Iesu.
Caraffa Theat.
Centinus Ord. Minorum.
Conimbricenses ex Societ. Iesu.

D

Deza.

F

Faber Ord. Minorum.
Fasolus ex Societ. Iesu.
Franciscus bonæ spei Ord. Carm.
Fonseca ex Societ. Iesu.

G

Granado.
Gauatius Ord. Minorum.
Galego.
Gabriel Ord. Minorum.
Gregorius de Valentia.

H

Henricus Gandauensis Ord. Seru.
Herrera Ord. Minorum.
Hurtadus ex Societ. Iesu.

I

Ioannes Monlorius.

L

LAurentius Valla.
Lichetus Ord. Minorum.
Linceus ex Societ. Iesu.
Lugo ex Societ. Iesu.

M

MAchin.
Mastrius Ord. Minorum.
Meratius
Merinero Ord. Minorum.
Molina ex Societ. Iesu.
Momolius.
Montagnolus.

N

NIphus.
Nominales.

O

OCham Ord. Minorum.
Ouiedo ex Societ. Iesu.

P

PAlatius.
Paludanus.
Pasqualigo.
Plazza.
Penaphiel ex Societ. Iesu.
Petrus Gregorius.
Philippus Mocenigus.
Petrus Niger.
Picus Mirandulanus.
Pontius Ord. Minorum.

R

RAda Ord. Minorum.
Ricchardus.
Ripalta ex Societ. Iesu.
Rubius ex Societ. Iesu.

S

SCotus Ord. Minorum.
Suarez ex Societ. Iesu.

T

TEllez ex Societ. Iesu.
Toletus ex Societ. Iesu.

V

VAsquez ex Societ. Iesu.
Vincentius Montanesius.

Z

ZImara.

Philosophi antiqui citati.

ARistoteles passim.
Auicennas 98. 110. 131. 172. 311.
Auerroes 13. 151. 172.
Plato 131. 165. 310.
Pytaphoras 131.
Seneca 311.
Porphyrius 105

Doctores Ecclesiæ, & Sancti Patres.

B. Albertus Magnus Ord. Præd. sepius.
D. Ambrosius 338.
D. Augustinus 138. 155. 158. 159. 169. 269. 329. 334. 335. 337. 340. 361.
D. Anselmus 138. 155. 159. 300.
D. Basilius Magnus 338.

D. Bo-

Concilia.

Sacræ Scripturæ Loca.

Facultas

Facultas Reuerendissimi Patris Magistri Generalis.

NOS FR. ANTONIVS DE MONROY Sacræ Theologiæ Professor Ordinis Prædicatorum Humilis Magister Generalis, & Seruus.

CVm vti nobis exponitur R. P. Fr. Ioseph Maria Zucchi Prouinciæ Nostræ VV. Lombardiæ in nostro Studio Generali S. Dominici de Bononia Metaphysicus Moderator Opus, cui Titulus: *Metaphysica ad Mentem Aristotelis, & Angelici Præceptoris Diui Thomæ Aquinatis, ex Thomisticis collecta Doctoribus* composuerit, illudque prælo subijcere desideret, nos harum serie, nostrique officij auctoritate, quantùm in nobis est, & seruatis aliàs seruandis paternè indulgemus, dummodò ab Adm. RR. PP. Magistris Fr. Seraphino Piccinardo de Brixia, & Fratre Hieronymo Bassano à Bononia præfatæ nostræ Prouinciæ luce dignum iudicetur, eorumque censorio in scriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ super Mineruam die 6. Nouembris 1683.

FR. ANTONIVS DE MONROY
Magister Ordinis.

Locus † Sigilli.

Registrata fol. 111.

F. Henricus de Gusman Mag. Prou. Terræ Sanctæ.

PRI-

PRIMA APPROBATIO OPERIS.

DEmandante Reuerendissimo Patre Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, vt in datis sub die 6. Nouembris 1683. exprimitur perlegi opus inscriptum, *etaphysica ad Mentem Aristotelis, & Angelici Doctoris D. Thoe Aquinatis &c.* Auctore Adm. Reu. P. Fr. Ioseph Maria ıcchi Ordinis Prædicatorum in Studio Generali S. Domini- Bononiæ Metaphysico Moderatore, nullumque se obtulit ofndiculum, aut circà fidem, aut circà mores, benè conso.s discussiones cum Doctrina Angelici Præceptoris, breui orne, nec minùs dilucida methodo absolutas inueni, ideòq; proficuum studiosis Lectoribus opus, & honorificum impio Auctori laborem arbitratus sum, vti hac mea subscripta estatione profiteor. Datum Patauij in Conuentu S. Mariæ atiarum Ordinis Præd. die 16. Februarij 1684.

Fr. Seraphinus Piccinardus S. Theol. Mag. & Theologus Publicus Patauij in Primaria Cathedra S. Thomæ.

SECVNDA APPROBATIO OPERIS.

REuerendissimi Patris Magistri Generalis Ord. Præd. Fr. Antonij de Monroy iussioni obtemperans, selectissimum hoc opus Adm. Reu. P. Ioseph Maria Zucchi i. Nostri, & in Studio nostro Generali Sancti Dominici Boniæ Metaphysici Moderatoris, ex præcipuis Metaphisicæ tratibus excerptum sedulò inspexi, eiusdemque solidissimagmata introspexi, ex visceribus Antiquiorum, & Moderno1 Thomistarum deprompta, planum iter sanæ intelligentiæ in na Philosophia Thomistica parantia; Quarè quidquid in hoc re edoctum, resolutum, opinatum, stabilitum, Fidei, & is Moribus apprimè consonum iudico, & firmo. Saluo &c. . Bonon. in Conu. S. Patris Dominici die 24. Februarij 1684.

F. Hieronymus Bassanus Bononiensis Ord. Præd. Sac. Theol. in Vniuersitate Bonon pro Cathedra S. Thomæ Vespertinæ Moderator, & Magister.

Vid.

Vid. D. Michael de Collibus Cler. Reg. S. Pauli in Eccl. Metrop. S. Petri Bononiæ Pœnitentiarius, pro Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Iosepho Mulotto Vic. Capitulari.

IESVS MARIA.

CVm ex Mandato Reuerendiss. Patris Magistri, P. F. Hieronymi Giacconi Inquisitoris Generalis Bononiæ, opus, cui Titulus: *Metaphysica ad Mentem Aristotelis, & Angelicis Doctoris D. Thomæ Aquinatis ex Thomisticis collecta Doctoribus* per P. F. Iosephum Mariam Zucchi Ord. Præd. Prælectorem eximium, attenta consideratione perlegerim, nil sanè Fidei, & bonis Moribus minùs consonum, aut nec vmbra quidem, Angelici Doctrinæ alienum reperi, quin potiùs dulcissimum è selectis semper vertantis Thomistici Horti decerptum floribus, & fortunato purgatæ mentis Auctoris scilicet in Alueario, velut industriosæ apis mirabiliter efformatum gustare videor mellificium; & ità genuinus Sanctissimi Doctoris Filius profunditatem claritati attemperauit, vt duplicem Patris fortitum esse spiritum, vt ipsi erat in votis, non dubitem. Lucem ergò tàm diù differet, quàm diù in lucem prodere typus ipse tardabit. Quapropter aperto Sole, & æternitate dignum, vt quantociùs ad communem studiosorum vtilitatem prælo comittatur deprecor.

Datum in Conuentu nostro S. Mariæ Lacrimosæ Bonon. die 20. Ianuarij 1684.

Fr. Dominicus Ambrosius à Purificatione Carmelita Excalceatus Sac. Theologiæ Lector.

Stante suprapofita attestatione

Imprimatur.

F. Paulus Hieronymus Giacconus de Garexio Inquisitor Bononiæ.

IESVS

IESVS MARIA
IN VNIVERSAM METAPHYSICAM PRÆLVDIVM.

QVandoquidem Regia Solis Aquinatis est Thomistica Schola tot insignium Doctorum firmata columnis, clara Angelicæ Doctrinæ micante auro, flammasque imitante Pyropo, Theologiæ ebore summa fastigia tegente, ac demum argenteis inferiorum disciplinarum valuis lumine irradiantibus: Metaphysica sanè inter cæteras postera, iamma postrema est, ad huiusce celeberrimæ Regiæ aditum vnicè patefaciens. Sic vbi supremum infimi attingit infimum supremi, Metaphysica, quæ inter omnes scientias naturales suprema est, Theologiam pertingit illi apprimè ità coniuncta, vt Theologia naturalis 6. Met. c. 1. à Philosopho sit dicta. Sapientia quoq; 1. Met. cap. 2. nuncupatur altissimas rerum causas naturali tamen perlustrans lumine. Denique 9. Met. cap. 5. Philosophiæ primæ illi aptatur nomen; cum enim Philosophia sit studium sapientiæ, hoc maximè in Metaphysica relucet, quę in diuinarum rerum contemplatione versatur, ab omni tùm singulari, tùm sensibili, tùm intelligibili materia abstracta. Hinc meritò 6. Met. cap. 1. Principatus, ac Dominæ titulo insignitur, cum cæteris scientijs præsit, earumque principia roboret, ac confirmet. Velut Ierusalem 12. Portas, 12. libros continet, vt multiplici valuarum ingressu ad Regiam omnibus pateat aditus. At caue studiose Lector, Regia Solis est; nonnisi Aquilinos obtutus admittit. Aquilarum ergò more ab his corruptibilibus ad sublimia ascende, vt eminùs immoto lumine clarissimum Solem valeas contemplari.

QVÆSTIO PRIMA PROOEMIALIS.

ANtequam ad secretiora nostræ Regiæ perlustranda accedamus, operè pretium duxi aliqua faciliora prius in eius limine inuestigare: Hoc autem intentum in tres partes secabo. Primò quidem assignando necessitatem, nobilitatem, ac dignitatem huius scientiæ. Secundò eius obiectum inuestigando. Tertiò de eius officijs disserendo; sit igitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum necessaria sit aliqua scientia, quæ sit aliarum Rectrix, & Gubernatrix, & an huiusmodi sit Metaphysica?

§. I.

Quædam præmittuntur;

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est primò cum nostro Flandrensi, quod ad hoc vt aliqua scientia sit cæterarum rectrix, & gubernatrix duæ conditiones requiruntur; prima est quod talis scientia imperet omnibus alijs, defectu cuius Perspectiua non est rectrix,& gubernatrix Geometriæ,vel Astrologiæ. Secunda est quod ipsa vtatur in sui obsequium omnibus alijs, tanquam suis vassallis, vt patet in medicina respectu artis pigmentariæ.

2 Aduertendum est secundò cum eodem, quod necessitas ex Philosopho 5. Phys. l. 5. & d. T. P. P. q. 82. art. 1. duplex est alia coactionis, quæ opponitur libertati, alia naturalis, quæ duplex est, absoluta vna, conditionata alia. Absoluta quoque duplex est, quædam non habens causam sui esse, sicut est Deus, quædam habens causam, quæ duplex rursus est materialis vt omne compositum ex contrarijs necessariò est corruptibile,& formalis vt triangulus necessariò habet tres angulos. Necessitas conditionata, scilicet, ex parte finis denique duplex est, quædam simpliciter talis, sicut si homo vult viuere necesse est quod comedat. Alia secundum quid, quæ potius dicit congruentiam, & hoc tantum modo difficultas procedit: Vnde sit,

§. II.

Veritas aperitur;

3 PRima Conclusio. Necessaria est aliqua scientia, quæ sit aliarum rectrix, & gubernatrix.

4 Probatur primò ex D. Thom. in 1. lect. Met. Quotiescumque aliqua plura ordinantur ad vnum, oportet vnum illorum esse regulans, seu regens, & alia regulata siuè recta; sed omnes scientiæ ordinatur ad vnum; ergò necesse est aliquam esse rectricem, & gubernatricem cæterarum: minor patet, ordinantur enim ad hominis perfectionem, quæ est Beatitudo. Maior verò probatur. Quia corpus, & anima ordinantur ad vnum, scilicet, ad componendum hominem anima imperat corpori, & corpus obedit animæ. Similiter appetitus inferior eadem ratione per rationalem naturali ordine regitur, & dirigitur; ergo quotiescumque aliqua plura &c.

5 Probatur secundò. Facultas cæca in ordine ad aliqua obiecta cognoscenda debet

duci

duci, & dirigi ab alia, sed omnes scientiæ inferiores cæcæ sunt in ordine ad prædicata vniuersalissima entis scilicet, veri, boni &c. cognoscenda, cum sint extra earum obiecta, ergò necessariò debent dirigi in ordine ad illa cognoscenda ab aliqua alia scientia.

6 Secunda Conclusio. Metaphysica est scientia rectrix, & gubernatrix aliarum.

7 Probatur primò ratione D. Th. hic; illa scientia, quæ versatur circa maximè intelligibilia est aliarum rectrix, & gubernatrix, sed Metaphysica est huiusmodi, ergò Metaphysica est scientia rectrix, & gubernatrix aliarum. Maior patet, nam illa scientia, quæ est maximè intellectualis est aliarum rectrix, & gubernatrix, qua ratione Philosophus lib. 2. Polit. l. 12. ait, quod homines intellectu vigentes naturaliter sunt aliorum rectores, & domini, homines verò, qui sunt robusti corpore, intellectu autem deficientes sunt naturaliter serui; sed scientia, quæ versatur circa maximè intelligibilia est maximè intellectualis, vt patet, ergò vera maior. Minor verò probatur à D. Th. tribus rationibus, & primò illa scientia, quæ considerat primas rerum causas, versatur circa maximè intelligibilia, cum ex causis intrinseca certitudo, ac ideò intelligibilitas desumatur, sed Metaphysica considerat primas rerum causas, scilicet Deum, & substantias separatas, vt patet lib. 11. & 12. Met. ergò versatur circa maximè intelligibilia. Secundò; illa scientia, quæ considerat maximè vniuersalia versatur circa maximè intelligibilia, sicut enim sensus est singularium, ità intellectus est vniuersalium, sed Metaphysica considerat maximè vniuersalia, videlicet ens, & ea quæ consequuntur ad ens, ergò versatur circa maximè intelligibilia. Tertiò; illa scientia versatur circa maximè intelligibilia, quæ considerat maximè separata à materia, hæc enim impedit intelligibilitatem, sed Metaphysica considerat maximè separata à materia, cum à quacumque materia abstrahat, ergò &c.

8 Probatur secundò. Duæ conditiones exiguntur ad hoc, vt aliqua scientia sit rectrix, & gubernatrix cæterarum, scilicet, quod illis imperet, & quod eis vtatur in sui obsequium, sed hæc omnia facit Metaphysica, ergò Metaphysica est scientia rectrix, & gubernatrix cæterarum. Maior patet ex primo Not. probatur minor, nam aliæ scientiæ vocantur ancillæ, Metaphysica autem tamquam domina vnicuique suum obiectum præscribit, ergò hæc omnia facit Metaphysica.

9 Probatur tertiò. Scientia, quæ simul sapientiæ nomine gaudet cæterarum est rectrix, & gubernatrix, sed Metaphysica, vt videbimus, est huiusmodi, ergò &c.

10 Tertia Conclusio. Metaphysica est etiam necessaria ratione intellectus nostri, ratione scibilium, & ratione scientiarum particularium.

11 Probatur prima pars: intellectus noster est humanus simul, & diuinus, seu de diuino sapit, sed in quantum humanus, scilicet corpori, & sensibus vnitus, fuit necesse ipsum perficere per scientias, quæ corporea, & à materia penitùs non abstracta considerant, ergò in quantum diuinus, spiritualis, & incorruptibilis perfici debet per scientiam, quæ principaliter considerat spiritualia, & incorruptibilia, sed Metaphysica est huiusmodi, ergò Metaphysica est necessaria ratione intellectus nostri.

12 Probatur 2. pars. Ad hoc vt de aliquo scibili plena scientia habeatur, non sufficit cognoscere prædicata specifica, & generica illius, sed etiam transcendentia, & vniuersalissima scilicet ens, vnum, verum, bonum &c. sed huiusmodi prædicata à sola Metaphysica cognosci possunt, ergò etiam ratione scibilium est necessaria; Minor patet, abstrahunt enim ab omni materia. Maior probatur ex Philosopho 4. Phys. vbi definitionem motus ex prædicatis communissimis venatur, definiendo ipsum, quod sit actus entis in potentia pro vt in potentia, ergo ad hoc vt de aliquo scibili plena scientia habeatur, non sufficit &c.

13 Probatur 3. pars. Demonstratio generans scientiam procedit nedum ex principijs proprijs cuiuscumque scientiæ, sed etiam ex communibus, seu vniuersalibus,

in quibus veritas propriorum fundatur, sed talia principia communia, & vniuersalia non possunt considerari nisi à Metaphysica, cum non sit maior ratio de vna scientia particulari quàm de alia, ergò etiam ratione scientiarum particularium est necessaria Metaphysica.

§. III.

Argumenta soluuntur.

14 Arguitur primò contrà primam Conclusionem. Habitus, qui regit, & gubernat alios, est Sapientia, sed nulla scientia potest esse sapientia, ergò non datur aliqua scientia, quæ sit rectrix, & gubernatrix aliarum. Maior patet, nam sapientis est ordinare, vt dicitur 1. Met. l. 2. Minor probatur, nam scientia, & sapientia sunt duæ virtutes intellectuales specie distinctæ, sed idem nequit poni in duplici specie, ergò nulla scienti.. potest esse sapientia.

15 Resp. negando minorem, ad probationem distinguo maiorem tamquam includens, & inclusa concedo maiorem, secus nego maiorem, & distincta eodem modo minori, nego consequentiam. Scientia ergò, & sapientia sunt duæ virtutes intellectuales specie distinctæ, quarum vna includit aliam, nimirum sapientia scientiam, sicut numerus ternarius includit binarium, & corpus superficiem, & lineam, & ideò non officit quod simul vniantur; vnde scientia si procedat per causas particulares præcisè est scientia, quatenus est de Conclusionibus euidenter illatis, si verò procedat per prima principia, & communissima potest simul esse sapientia, & ità idem poni in duplici specie, quarum vna includat de materiali aliam; non enim sapientia diuiditur contra scientiam sicut oppositum contra oppositum, sed sicut se habens ex additione ad scientiam, vt docet D. Th. opusc. 70. q. p. a. 2. ad 2. vt patet quoque in vegetatiuo, sensitiuo, & intellectiuo in homine.

16 Arguitur secundò. Scientia, quæ est rectrix, & gubernatrix omnium debet esse communis, & superior ad illas, sed nulla scientia creata potest esse superior, & communis ad omnes scientias, ergò nequit esse rectrix, & gubernatrix omnium &c. Maior patet, minor probatur, quia aliquæ scientiæ sunt reales, vt Philosophia, & Matematica, aliquæ verò rationis, vt Logica, ergò nulla scientia creata potest esse communis, & superior omnibus scientijs.

17 Resp. Flandrensis quod Metaphysica est rectrix scientiarum realium, Logica verò est rectrix scientiarum rationis. Cæterum hac Responsione in sua probabilitate relicta.

18 Resp. secundò negando minorem, ad probationem negatur antecedens, quia etiam Logica habitus realis est, vt vidimus suo loco, licet enim habeat pro obiecto ens rationis, tamen specificatur ab illo, vt à mensura extrinseca, non verò intrinseca, quæ tantùm est eiusdem rationis.

19 Arguitur tertiò. Vbi nullus est ordo non est necessarium regimen, sed inter omnes scientias nullus est ordo, ergò non est necessarium regimen &c. Maior patet: Minor probatur, non omnes species æquè continentur sub genere, sed omnes scientiæ differunt specie, ergo &c.

20 Resp. primò negando minorem, ad probationem nego minorem vniuersaliter sumptam; omnes enim numeri differunt specie, & tamen ordinem inter se habent, nec æquè continentur sub genere quantitatis discretæ. Similiter linea, superficies, & corpus non æquè continentur sub genere quantitatis continuæ, sed vna dependet ab alia, & hoc etiam accidit in scientijs maximè inter se subordinatis.

21 Resp. secundò quod licet non sit ordo scientiarum inter se, est tamen ordo scientiarum ad Metaphysicam, cui tamquam ancillæ obediunt; sicut licet inter species non sit ordo est tamen ordo ipsarum ad genus, cum genus sit formale principium cognoscendi species, vt ait Porphirius. Et est similis ratio de pluribus Proregibus, qui licet nec ordinem, nec dependentiam habeant inter se, omnes tamen subordinantur Regi.

22 Ar-

22 Arguitur quartò. Illa scientia est rectrix, & gubernatrix aliarum, sub cuius fine fines aliarum continentur, sed scientiæ habent diuersos fines, ita quod finis vnius non continetur sub fine alterius, ergò nulla scientia est rectrix, & gubernatrix aliarum. Maior est D. Tho. in Procemio primi sent. q. 1. art. 1. Minor verò probatur, quia omnium rerum est vnus finis, vt patet primo Eth. l. 1. ergò &c.

23 Respondetur negando minorem, ad probationem distinguo antecedens, finis vltimus, concedo antecedens, finis proximus, nego antecedens, & consequentiam. Philosophus enim loquitur de fine vltimo, non verò proximo.

24 Arguitur vltimò contrà secundã Conclusionem: illa scientia est rectrix, & gubernatrix aliarum, quæ versatur circa maximè intelligibilia, sed Metaphysica non est huiusmodi, ergò Metaphysica non est rectrix, & gubernatrix aliarum. Maior patet; Minor probatur, quia considerat materiam, & ea quæ ad principium materiale pertinent, sed hæc non sunt maximè intelligibilia, cum potiùs intelligibilitatem impediant, ergò, &c. Probatur secundò eadem minor: obiectum Metaphysicæ est ens in quantum ens, sed ens in quantum ens non est separatum à materia secundum esse, ac ideò nec maximè intelligibile, alias omnia entia essent separata à materia, ergò &c.

25 Respondetur negando Minorem, ad primam probationem distinguo Maiorem, sub ratione communi entis, & vt partem subiectiuam infimam concedo Maiorem sub ratione particulari, & vt subiectum adæquatum nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Metaphysica ergò attingit materiam, & ea, quæ ad principium Materiale spectant sub ratione communi entis, quod est maximè intelligibile, cum it maximè vniuersale, & vt partem subiectiuam infimam tractans principaliter de Deo, & substantijs spiritualibus, quæ sunt maximè intelligibiles, vnde semper verificatur quod versatur circa maximè intelligibilia. Ad secundam probationem concessa maiori, distinguo Minorem positiuè concedo minorem, negatiuè nego minorem, & consequentiam. Non est ergò de ratione entis vt sic esse separatum à materia, quia, vt benè probat argumentum, nullum esset ens materiale, non tamen ei repugnat esse separatum, maximè vt attingitur à Metaphysica; sicut non est de ratione animalis quod sit rationale, quia omne animal esset rationale, non tamen ei repugnat.

26 Instabis primò. Id quod est maximè imperfectum, & potentiale non est maximè intelligibile, sed ens vniuersaliter sumptum est maximè imperfectum, & potentiale, ergò Metaphysica, quæ circà illud versatur, non versatur circà maximè intelligibilia.

27 Respondetur distinguo Minorem, in esse rei, & materialiter sumptum concedo Minorem, in esse scibili, & formaliter sumptum, nego Minorem, & consequentiam. Itaque licèt ens communissimè sumptum materialiter, & in esse rei sit maximè imperfectum, tamen in esse scibili, & vt stat sub abstractione ab omni materia est maximè perfectum, ac ideò maximè intelligibile; sicut licèt in esse rei sit analogum, tamen in esse scibili est vniuocum, hoc autem pacto attingitur à Metaphysica, & ideò versatur circa maximè intelligibilia.

28 Instabis secundò. Ad hoc vt aliqua scientia sit rectrix, & gubernatrix aliarum debet versari circa maximè intelligibilia secundum se, sed ens est maximè intelligibile tantum quò ad nos, ergò Metaphysica non est scientia rectrix, & gubernatrix aliarum. Minor probatur, maximè vniuersalia sunt tantùm maximè intelligibilia quò ad nos, & nobis nota, vt patet primo Phys. sed ens est maximè vniuersale, ergò ens est maximè intelligibile tantùm quo ad nos.

29 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, si cognoscantur cognitione confusa concedo Maiorem, cognitione distincta, & scientifica nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Ens ergò cognitum cognitione confusa est maximè intelligibile quò ad nos, sed cognitum cognitione

distin-

distincta, & scientifica est maxime intelligibile secundum se, & ideò cum hoc pacto attingatur à Metaphysica, hæc versabitur circa maximè intelligibilia secundum se.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Metaphysica sit scientia, & ità speculatiua, vt nullatenùs sit simul Practica?

1 PRo resolutione huiùs difficultatis recolenda sunt dicta in Philosophicis, tùm quò ad rationem scientiæ; tùm quò ad rationem practici, & speculatiui, nè eadem inutiliter repetantur. His ergò suppositis sit.

§. I.

Veritas aperitur.

2 PRima Conclusio. Metaphysica est perfectissima scientia.

3 Probatur primò ex Diuo Thoma Primò Poster. lect. 4. & 1. p. q. 45. art. 4. Scientia est cognitio certa, & euidens rei per suam causam propriam, sed huiusmodi est Metaphysica, ergò Metaphysica est vera scientia. Maior patet. Minor probatur, si quidem attingit ens in quantum ens per suam propriam causam, nempè Deum, ergò est cognitio certa, & euidens rei per suam causam propriam.

4 Probatur secundò. Scientia habet demonstrare passiones de suo subiecto, sed Metaphysica hoc facit, ergò Metaphysica est vera scientia. Maior patet; Minor probatur; Ens reale communissimè sumptum est proprium subiectum Metaphysicæ, vt videbimus, sed de ipso suas passiones demonstrat, nimirùm vnum, verum, bonum &c. ergò Metaphysica demonstrat passiones de suo subiecto.

5 Probatur tertiò quod sit scientia perfectissima. Metaphysica respicit obiectum, quod intrà limites naturæ sistendo est nobilissimum, & perfectissimum, tùm ex parte rationis formalis quæ, tùm ex parte rationis formalis sub qua, ergò est perfectissima scientia; consequentia patet, quia sicut scientia ex obiecto desumit speciem, ità ab eo desumit nobilitatem, & perfectionem; antecedens autem probatur; nam ratio formalis quæ obiecti Metaphysicæ comprehendit sub se Deum, & substantias separatas, ex parte verò rationis formalis sub qua dicit abstractionem ab omni materia, ergò Metaphysica &c.

6 Probatur quartò. Scientia, quæ cæteras regit, eisque imperat, ac principatur est omnibus præstantior, ac nobilior, sed Metaphysica est huiusmodi, vt constat ex antecedenti articulo, ergò est omnium scientiarum naturalium præstantissima.

7 Secunda Conclusio: Metaphysica est Scientia speculatiua.

8 Probatur. Scientia, quæ tractat de primis causis, & de entibus nobilissimis est propter se ipsam, & præcisè propter contemplationem veritatis, sed talis est Metaphysica, ergò Metaphysica est propter se ipsam, & præcisè propter contemplationem veritatis, ac ideò speculatiua: Minor liquet; Maior quoque videtur clara; Siquidem primæ rerum causæ, & entia nobilissima à nemine sunt operabilia; & hæc Conclusio adeò vera est, quod si Metaphysica speculatiua non est, nulla scientia speculatiua erit.

9 Tertia Conclusio. Metaphysica est ità speculatiua, vt nec per quandam eminentiam possit dici Practica.

10 Probatur. Licèt Metaphysica sit scientia perfectissima, tamen sistit intra limites naturæ, ergò nunquam peruenire potest ad ea, quæ conueniunt alicui scientiæ in quantum supernaturalis est, sed hoc quod est eminenter continere rationem practici, & spe-

speculatiui conuenit Theologiæ in quantum supernaturalis est, ergò nullo modo aptari potest Metaphysicæ: Minor subsumpta probatur. In tantum Theologia est eminenter practica, & speculatiua, in quantum procedit sub lumine Fidei; ergò hoc quod est eminenter continere rationem practici, & speculatiui conuenit &c.

11 Probatur secundò: Ideò Theologia est eminentèr simul practica, & speculatiua, quia non solum attingit Deum vt primum principium, sed etiam vt vltimum finem, non solum sub ratione communi, sed etiam sub ratione particulari; sed hoc non facit Metaphysica; ergò Metaphysica non est eminenter simul practica, & speculatiua. Minor patet; nam Deum considerat tantum sub ratione communi, & non quatenus est beatitudo creaturæ rationalis. Maior verò probatur: Fides attingit Deum vt est in se licèt sub lumine obscuro, & reuelat Deum non solùm vt vltimum finem sub ratione communi entis, sed etiam sub ratione particulari, docendo in ipso consistere hominis Beatitudinem, & tradendo ea, quæ ad eius consecutionem conducere possunt; ergò ideò Theologia est eminentèr simul practica, & speculatiua &c.

§. II.

Argumenta Soluuntur.

12 Arguitur primò contrà primam Conclusionem. Scire est rem per causam cognoscere; sed obiectum Metaphysicæ nullam habet causam, ergò nullatenus est scibile, ac ideò Metaphysica non est scientia; Minor probatur, obiectum Metaphysicæ est ens reale communissimè sumptum, sed hoc nullam habet causam, ergò obiectum Metaphysicæ nullam habet causam; Minor probatur; omnis causa est prior suo effectu, sed ens reale communissimè sumptum est omnium primum, id enim, quod in quolibet primò concipitur est ratio entis, ergò ens reale communissimè sumptum &c.

13 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Minorem abstractiuè sumptum concedo Minorem, concretiuè sumptum nego Minorem, & consequentiam; licèt ergò ens abstractiuè sumptum non habeat causam, tamen concretiuè sumptum habet veram causam efficientem, & finalem, nempè Deum, qui vt proprium effectum respicit ipsum esse, ità quod à nulla creatura nec instrumentaliter attingi possit; imò habet etiam causam formalem, vnumquodque enim ratione suæ propriæ quidditatis sortitur, quod formaliter sit ens, sicut homo per humanitatem est formaliter homo; & ità ente concretiuè sumpto, est aliquid prius in hoc triplici genere; nec est necesse, quod ens abstractiuè sumptum habeat causam, sed solum concretiuè ad hoc vt Metaphysica dicatur scientia, sicut Relatio in communi non debet habere terminum, aliàs darentur duo prima genera relationum, sed tantum in particulari, & exercitè sumpta.

14 Respondetur secundò, quod Metaphysica secundum suum obiectum adæquatum, quod est ens reale latissimè sumptum, & etiam secundum suum obiectum principalitatis, quod est Deus non demonstrat per causas formales, & in essendo, cum causas non habeat, sed solum virtuales, & in cognoscendo, loquendo verò secundum sua obiecta partialia, & minus principalia, scilicet, secundum entia creata demonstrat etiam per causas formales, & in essendo.

15 Instabis primò. Ens reale est finito, & infinito, causæ, & causato commune, sed enti hoc pacto nulla causa assignari potest, ergò ens reale quod est subiectum Metaphysicæ nullam habet causam: Minor probatur; Non enim potest esse infinita, alioquin esset prior eo, quod est commune finito, & infinito, nec finita propter eandem rationem, ergò enti hoc pacto &c.

16 Respondetur distinguendo Maiorem eodem modo, abstractiuè sumptum concedo Maiorem, concretiuè nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori negatur consequentia: Entis ergò concretiuè sumpti est causa infinita, nimirum Deus, quia ideò dicitur

citur esse causa vniuersalissima, quia est causa entis.

17 Instabis secundò. Ens etiam concretiuè sumptum nullam habet causam, ergò ruit solutio; antecedens probatur. Si quidem materialem habere nequit, cum à materia abstrahat, neque formalem, quia esse est prima omnium actualitas, & forma, neque efficientem, quia nulla productio terminatur ad ens præcisè, sed ad hoc, vel illud ens, tandem neque finalem, quia sicut ens est prima forma, ita est vltimus finis, cum forma, & finis in idem coincidant, ergò ens etiam concretiuè sumptum nullam habet causam.

18 Respondetur negando antecedens. Ad probationem nego antecedens, & primò quantum ad causam materialem, nam causa materialis latiùs patet, quam materia; vnde in Angelis, in quibus nulla inuenitur materia, adhuc reperitur causalitas, & causa materialis in quantum sua existentia recipitur in essentia, & proprietates in natura. Item quoad formalem; nam ista, vt diximus, est sua quidditas, vel habet causam formalem extrinsecam, scilicet, exemplarem, quæ est id quo agens agit, & quæ est ratio assimilandi effectum, quæuis autem creatura assimilatur Deo in ente, sic etiam quoad efficientem, productio enim Diuina habet terminari ad ens. Tandem quo ad finalem, solus enim Deus est prima forma, & ideò solus primum agens, & vltimus omnium finis.

19 Arguitur secundò contrà secundam conclusionem. Ordinare, imperare, ac regulare, ad intellectum practicum spectat, sed Metaphysica alijs scientijs imperat, easque regit, ac regulat, ergò Metaphysica est practica.

20 Respondetur distinguendo Maiorem in ordine ad opus externum: concedo Maiorem, secus nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam: Regulare ergò imperare, & ordinare in ordine ad opus externum vtique spectat ad intellectum practicum; non verò hoc facere per puram cognitionem, sicut facit Metaphysica; vnde remanet, quod sit scientia speculatiua.

21 Instabis primò. Metaphysica considerat Deum vt summum bonum, & tanquam vltimum, & vniuersalem finem omnium, ergò nequit regulare cæteras scientias per puram cognitionem, ac ideò erit verè practica, antecedens patet; consequentia probatur, si quidem finis qua finis spectat ad rationem praxis, qua ratione Ethica, & moralis, quæ circa eum versantur sunt practicæ, ergò si Metaphysica &c.

22 Respondetur distinguendo antecedens; sub ratione communi concedo antecedens, sub ratione particulari, nego antecedens, & consequentiam. Itaque Metaphysica considerat Deum esse summum bonum, & finem vniuersalem omnium sub ratione communi; non autem sub ratione particulari, quod exigeretur vt haberet iudicium practicum de ipso diligendo, sicut facit Ethicus, & moralis, & ita stat, quod regulet cæteras scientias per puram cognitionem.

23 Instabis secundò. Metaphysica demonstrat Deum habere omnium prouidentiam, esse sapientissimum, ac iustissimum, ergò demonstrat etiam esse maximè timendum, ergò regulat alias scientias per cognitionem practicam.

24 Respondetur distinguendo antecedens eodem modo, & nego consequentiam, sicut enim ex hoc quod demonstret esse summum bonum sub ratione communi non arguitur iudicium practicum dictans ipsum esse diligendum, & consequendum; ita ex hoc, quod demonstrat ipsum esse iustissimum sub ratione communi, non arguitur iudicium practicum dictans ipsum esse timendum, ac ideò regulatio aliarum scientiarum erit omnino speculatiua.

25 Instabis tertiò. Metaphysica perficit intellectum in Dei cognitione, quantum lumine naturali cognosci potest, sed ex hac cognitione rectum iudicium de agendis dependet, ergò Metaphysica semper habet iudicium practicum, ac ideò practica erit.

26 Respondetur distinguendo Minorem; per modum cognitionis, concedo Minorem;

per

per modum inclinationis nego Minorem, & consequentiam. Duplex ergò secundum Diuum Thomam p. p. q. 1. art. 6. ad tertium est modus iudicandi; alter per modum inclinationis, sicut habens virtutis habitum rectè iudicat de his, quæ sunt secundum virtutem agenda, ex eo quod inclinetur ad illa, alter per modum cognitionis, primus est practicus, secundus speculatiuus, & iste competit Metaphysicæ.

27 Instabis quartò. Metaphysica ne dùm probat existentiam Angelorum, verum etiam de eorum libertate agit, ac per consequens quod benè vel malè operentur, sed hæc omnia dicunt rationem praxis; ergò Metaphysica habet modum iudicandi practicùm.

28 Respondetur distinguendo Maiorem iudicando per modum inclinationis, ità quod tale iudicium fit regula proxima alicuius operis nego Maiorem iudicando per modum cognitionis, ità quod tale iudicium non sit regula proxima alicuius operis concedo Maiorem; & distincta eodem modo Minori nego consequentiam. In naturalibus ergò duplex scientia reperitur vt notat D. Tho. in tertio dist. 23. q. 2. art. 3. alia est scientia moralis, quæ de nostra, & Angelorum beatitudine tractat, ità quod sit regula proxima nostrorum operum, & hæc practica est; alia est Metaphysica, quæ abstractè res considerat, absque eo quod sit regula proxima alicuius operis, & hæc nullatenus practica esse potest.

29 Arguitur tertiò contra tertiam Conclusionem. Vniuersalissimæ scientiæ vniuersalissimum obiectum habenti, vniuersalissimus procedendi modus competere debet, sed Metaphysica est huiusmodi, ergò ei vniuersalissimus procedendi modus competere debet, sed hic est modus procedendi tùm speculatiuè tùm practicè, ergò competit Metaphysicæ, ac ideo erit simul practica, & speculatiua.

30 Respondetur, distinguendo Maiorem possibilis, concedo Maiorem, impossibilis nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens eodem modo, & pariter subdistincta tali modo minori subsumpta nego consequentiam; cum enim tales modi procedendi sint oppositi, eidem scientiæ competere nequeunt, sicut idem animal nequit esse simul rationale, & irrationale.

31 Instabis primò. Esto sint oppositi tamen adunantur in Theologia, ergò etiam adunari poterunt in Metaphysica; quæ est scientia vniuersalissima consequentia probatur; non enim minus Metaphysica attingit Deum vt primum principium, & vt vltimum finem, ac faciat Theologia, ergò si adunantur in &c.

32 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est quia Theologia est habitus superioris ordinis, & supernaturalis, Metaphysica autem ordinis naturalis, & illa attingit Deum vt vltimum finem sub ratione particulari, & vt consequibilem à Creatura, ista verò sub ratione communi abstrahendo ab hoc quod sit nostra Beatitudo.

33 Instabis secundò. Esto potentia intellectiua sit naturalis, tamen adunat hos modos procedendi diuersos, ergò esto Metaphysica sit naturalis, tamen illos adunabit, consequentia liquet à paritate rationis, antecedens etiam videtur certum, dicitur enim quod intellectus extensione fit practicus.

34 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, nam potentia magis patet, quam habitus, & quæ diuisa sunt in inferioribus adunantur in superioribus, & ità sicut vnus intellectus sufficit ad omne scibile, non autem vnica scientia, ità poterit intellectus esse simul practicus, & speculatiuus, non autem Metaphysica.

35 Instabis tertiò. Isti duo modi procedendi sunt oppositi respectu Metaphysicæ, vel qua scientia est, vel qua naturalis est, neutrum est dicendum, ergò possunt in ipsa adunari. Minor probatur, & primò quo ad primam partem, nam Theologia pariter scientia est, & tamen illos adunat; Quo ad secundam similiter probatur, quia potentia naturalis est, & tamen vtrumque habet, ergo neutrum est dicendum.

36 Respondetur, quod sunt oppositi, nec quà scientia præcisè est, nec quà naturalis;

sed ratione vtriusque simul; sicut Hircocervus repugnat nec ratione Hirci, nec ratione Cerui præcisè, sed ratione vtriusque collectiuè. Item substantia supernaturalis creata nec repugnat ratione substantiæ, quia etiam Deus substantia supernaturalis est, nec ratione creati, quia datur accidens supernaturale creatum, sed repugnat ratione vtriusque simul sumpti.

37 Instabis quartò. Non minus habitus supernaturalis est inferior potentia supernaturali, quam habitus naturalis potentia naturali, & tamen habitus naturalis adunat vtrumque procedendi modum, sicut potentia supernaturalis; ergò hoc idem faciet habitus naturalis qualis est Metaphysica, esto sit inferior potentia naturali.

38 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quia habitus supernaturalis datur ad simpliciter operandum, sicut datur ipsa potentia, & ità induit rationem potentiæ; habitus autem naturalis datur tantum ad faciliùs operandum, nec induit rationem potentiæ.

39 Instabis quintò. Forma naturalis non est magis vniuersalis, quam scientia naturalis, & tamen adunat duo opposita simul, ergò quoque illa adunabit scientia naturalis: Maior patet, Minor probatur; non minus sunt oppositi modi practicè, & speculatiuè procedendi, quam esse vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, & tamen hæc omnia adunantur in anima rationali, ergò etiam modi procedendi practicè, & speculatiuè adunari poterunt in Metaphysica.

40 Respondetur negando Minorem ad probationem distinguo Maiorem quoad secundam partem quando procedunt à diuersis formis concedo Maiorem, quando sunt gradus diuersi eiusdem formæ nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam; Vegetatiuum ergò sensitiuum, & intellectiuum dupliciter considerari possunt, primò secundum quod vegetatiuum est in planeta, sensitiuum in Bruto, & intellectiuum in homine, & ità cum dimanent à diuersis formis essentialiter inter se opponuntur, nec adunari possunt in eadem anima; secundò possunt considerari quatenus seclusis imperfectionibus dimanant ab eadem forma, & solum dicunt gradum inferiorem, & superiorem, quorum vnus contrahit alium, & ità non sunt oppositi, & adunantur in eadem anima rationali: Modi autem procedendi practicè, & speculatiuè semper essentialiter opponuntur, & ità adunari non possunt in scientia naturali, qualis est Mataphysica.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Metaphysica sit Sapientia?

§. I.

Quædam Præmittuntur.

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quod sapientia potest dupliciter sumi: primò largè, pro vt significat rectitudinem intellectualem ad benè iudicandum de omnibus rebus, quæ rectitudo consurgit ex perfecta consequutione omnium scientiarum, quo pacto iustitia largè sumpta stat pro quodam armonico concentu, & rectitudine omnium virtutum voluntatis. Secundò sumitur strictè quatenus dicit vnum determinatum habitum intellectualem, cui accommodantur omnes conditiones sapientiæ.

2 Aduertendum est secundò quod Sapientia strictè sumpta adhuc duplex est, vna secundum quid, altera simpliciter talis; Sapientia primo modo sumitur pro quacumque arte, & scientia perfectè acquisita, & per supremas causas sui generis demonstrante, quo pacto vt notat D. Tho. 2. 2. q. 45. ar. 1. Sa-

Sapiens aliquis dicitur in Medicina, vel Architectura, secundum illud ad Cor. 3. *vt sapiens Architectus fundamentum posui*. Sapientia secundò modo sumitur pro habitu determinato per supremam causam absolutè, & simpliciter talem in omni genere iudicante, & vniuersalissima omnium principia considerante. Hoc secundo modo sumitur in præsenti.

3 Aduertendum est tertiò varias conditiones ad sapientiam hoc modo sumptam requiri. Prima est, quod versetur circa omnia, & sit omnium quantùm possibile est: Secunda est quod versetur circa res difficiliores, & magis à sensu remotas: Tertia quod sit cognitio certissima, & euidentissima, cum sapientia dicat perfectam scientiam, & cognitionem, quæ in certitudine, & euidentia posita est. Quarta est quod sit aptior ad docendum, causasque rerum tradendas. Quinta est, quod maximè propter se, & solum sciendi causa appetatur. Sexta est quod præsit alijs scientijs potiùs, quàm ministret; Inter istas autem conditiones aliæ sunt propriæ, & veluti caractheres sapientiæ, aliæ verò sunt communes etiam alijs scientijs, quæ tamen fiunt propriæ, si sumantur secundum quandam perfectionem singularem, vnde licèt ista conditio appeti propter se ipsam conueniat omnibus scientijs speculatiuis, si tamen intelligatur secundum quandam eminentiam, & excellentiam fit propria sapientiæ. His suppositis sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 Conclusio. Metaphysica est vera Sapientia. Ita Phil. lib. 1. Met. cap. 2. & D. Tho. lect. 2.

5 Probatur primò. Metaphysica habet omnes conditiones requisitas ad veram sapientiam, ergo est vera sapientia; antecedens probatur: Nam agit de omnibus rebus, cum ens in quantum ens, omnesque rerum quidditates in vniuersali consideret. Agit de Deo, & Intelligentijs, primisque, & altissimis rerum causis, quæ omnia sunt difficillima, & à sensu remotissima: Habet maximam certitudinem, & euidentiam, cum circà prima principia versetur, ex quibus cætera certitudinem desumunt, vt sunt quodlibet est, vel non est, impossibile est simul idem affirmare, & negare. Est ad docendum aptior; nam docere est scientiam in alijs causare, & scire est rem per causas cognoscere, Metaphysica autem primas omnium causas attingit. Item est maximè gratia sui, cum sit principalior inter scientias speculatiuas ad nullum opus se extendens, sed abstractissima à materia contemplans. Tandem est Architectonica, & Princeps cæterarum scientiarum, cum speculetur finem omnium, videlicet bonum totius vniuersi, quod est in natura optimum, ergò Metaphysica habet omnes requisitas conditiones ad veram sapientiam.

6 Probatur secundò. Illa scientia, quæ est rectrix, ac gubernatrix aliarum est vera sapientia, sed Metaphysica vt liquet ex dictis in primo articulo est huiusmodi, ergò Metaphysica est vera sapientia.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

7 Arguitur primò. Metaphysica non considerat species specialissimas, ergò non considerat omnia, ac ideò non est sapientia, antecedens probatur, si quidem non descendit ad res in particulari vt videbimus, ergò, &c.

8 Respondetur distinguendo antecedens in se ipsis concedo antecedens, vt entia sunt nego antecedens, & consequentiam; cum enim obiectum Metaphysicæ sit ens vt ens, quod imbibitur, & transcendit quidquid est in rerum natura, consequenter constat Metaphysicam agere de omnibus, & etiam speciebus specialissimis quatenus entia sunt.

9 Arguitur secundò. Metaphysica versatur circa vniuersalia, sed ista sunt facillima cognitu, ergò Metaphysica non est de difficilioribus, ac ideò non est sapientia, Minor li-

liquet ex primo Phyſ. lib.1. & ex eo probabatur, quia ſunt potentialiora, ergò maximè accommodata intellectui noſtro, qui eſt agens procedens de potentia ad actum, ergò &c.

10 Reſpondetur diſtinguendo Maiorem tàm in prædicando, quàm in cauſando concedo Maiorem, præcisè in prædicando nego Maiorem, & diſtincta eodem modo Minori nego conſequentiam: Vniuerſalia ergò ſunt in duplici differentia, quædam in cauſando, & hæc ſunt difficillima cognitu, vt Deus, & ſubſtantiæ ſeparatæ cum ſint actualiſſimæ, & de his principaliter eſt Metaphyſica: Alia ſunt vniuerſalia in prædicando, & iſta ſunt facillima cognitu, cum ſint potentialiora.

11 Reſpondetur ſecundò quod licèt vniuerſaliora cognita cognitione confuſa ſint nobis facillima ad hoc vt cognoſcantur, tamen cognita cognitione diſtincta, & determinata ſunt nobis difficillima ad hoc vt cognoſcantur, vnde cum Metaphyſica hoc ſecundo modo illa attingat, liquet eſſe de difficilioribus.

Arguitur tertiò. Metaphyſica non eſt certior Matematica, cum hæc ſit ad ſenſum notiſſima, ergò ei deficit tertia conditio, ac ideò non eſt ſapientia.

12 Reſpondetur diſtinguendo antecedens, quo ad nos concedo antecedens, ſecundum ſe nego antecedens, & conſequentiam; Matematica ergò eſt certior quo ad nos, quatenus eius principia ſunt ad ſenſum notiſſima, ſed non ſecundum ſe, cum principia Metaphyſicalia ſint actualiſſima, & per illa Matematicalia probentur.

13 Arguitur quartò. Omnis ſcientia, quæ propriè, & à priori demonſtrat, demonſtrat rem per ſuas cauſas, ergò quælibet ſcientia eſt apta ad docendum in ſua propria materia, ac ideò Metaphyſica non eſt cæteris aptior ad docendum.

14 Reſpondetur diſtinguendo antecedens quæ ſint primæ in tali materia, & genere concedo antecedens, quæ ſint omninò, & abſolutè primæ nego antecedens, & conſequentiam; Metaphyſica ergò non eſt aptior ad docendum, quia vtcumque demonſtrat per cauſas, ſed quia demonſtrat per cauſas omnium primas, à quibus omnes aliæ cauſæ inferiores dependent.

15 Inſtabis. Talis conditio maximè videtur conuenire Dialecticæ: ergò non Metaphyſicæ; antecedens probatur; nam Dialectica eſt quæ docet diſcere, docet docere, vnde communiter modus diſcendi dicitur, ergò talis conditio &c.

16 Reſpondetur negando antecedens; ad probationem diſtinguo antecedens; ex parte formæ, & prioriſticè concedo antecedens; ex parte materiæ, & poſterioriſticè nego antecedens, & conſequentiam. Itaque duo ſunt quæ maximè iuuant ad docendum cognitio principiorum ex parte formæ, & cognitio principiorũ ex parte materiæ, quorum ſecundum vtique præſtan ius eſt, cum ſolum per modum conditionis ſine qua non forma concurrat ad aſſenſum ſcientificum; primam autem cognitionẽ præbet Dialectica, licèt quandoque ſyllogiſmis topicis præſtet principia etiam ratione materiæ, quæ tamen non ſunt neceſſaria, nec prima, ſicut principia Metaphyſicæ; Secundum verò præbet Metaphyſica, & ideò hæc ſimpliciter eſt aptior ad docendum.

17 Arguitur quintò. Metaphyſica eſt neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas, ergò non eſt gratia ſui, antecedens probatur; ſi quidem probat earum principia illa reducendo ad vniuerſaliſſima, ergò Metaphyſica eſt neceſſaria &c.

18 Reſpondetur diſtinguendo antecedens ſecundariò concedo antecedens; primariò nego antecedens, & conſequentiam: Metaphyſica ergò cum ſit cognitio totius entis primariò quæritur propter ſe, & ſecundariò propter perficiendas cæteras ſcientias, ad quas tamen ordinatur, non tanquam medium ad finem, ſed vt Domina ad regendus ſeruas, ſicut Rex dicitur eſſe propter Regnum tanquam propter finem cui, non cuius gratia, quo pacto non inconuenit quod dignior creatura facta ſit propter inferiorem vt docet D. Tho.1.p.q.70.art.2.ad quartum.

19 Arguitur vltimò. Metaphyſica dirigitur

gitûr ab alia scientia, ergò ipsa non est princeps, & archytectonica cæterarum, ac ideò non est sapientia; antecedens probatur, nam dirigitur à Theologia: *quidquid enim*, inquit D. Tho. p. p. q. 1. a. 6. ad 2. *in alijs scientijs inuenitur veritati huius scientiæ repugnans, totum condemnatur vt falsum*, ergò Metaphysica &c.

20 Respondetur distinguẽdo antecedens, quæ sit ordinis supernaturalis concedo antecedens, quæ sit ordinis naturalis nego antecedens, & consequentiam, ex eo enim quod Metaphysica dirigatur à Theologia quæ est ordinis supernaturalis, non sequitur quod ipsa nequeat esse princeps, & architectonica omnium scientiarum naturalium.

21 Instabis Theologia tanquam vera sapientia dirigit nedum Metaphysicam verum etiam alias scientias naturales, & regulat earum principia, ergò superfluè hoc facit Metaphysica.

22 Respondetur distinguendo antecedens in ordine ad finem supernaturalem, concedo antecedens, in ordine ad finem naturalem nego antecedens, & consequentiam Metaphysica ergò regulat omnes alias scientias in ordine ad finem naturalem, qui est cognitio propriorum obiectorum; Theologia autem hoc facit in ordine ad finem supernaturalem, qui est consequutio summi boni.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum ens reale vniuersalissimè sumptum sit obiectum Metaphysicæ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis recolenda sunt dicta in Philosophicis circa conditiones requisitas ad hoc vt aliquid sit obiectum alicuius scientiæ: similiter aduertenda est distinctio obiecti formalis, & materialis, adæquati, & inadæquati, attributionis, & principalitatis, rationis formalis quæ, & rationis formalis sub qua de quibus omnibus prædicta consulite; Quibus suppositis.

2 Prima sententia tenet, obiectum Metaphysicæ esse ens in tota latitudine sumptum vt comprehendit tam ens reale, quam ens rationis, ità Montagnolus, & alij relati à Suarez disp. 1. sect. 1. suæ Metaphysicæ.

3 Secunda sententia dicit esse ens reale tam per se quem accidens, ità aliqui citati ab eodem.

4 Tertia sententia sustinet, esse ens substantiale abstrahens à materiali, & immateriali, ità Auerroes, & Buridanus.

5 Quarta Sẽtentia statuit pro obiecto ens reale creatum in decem genera diuisum; ità Arauco q. 1. Procem. ar. 1. con. 1. & Flandria in Met. q. 1. a. 8.

6 Quinta Sententia solum Deum pro obiecto constituit, vel Deum simul cum substantijs separatis, ità Alpharebius, & Auerroes.

7 Sexta Deniq; docet esse ens reale Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti commune, ità Bannez 3. p. q. 1. a. 1. Soncinas 4. Met. q. 10. Complut. disp. 1. q. 2. Brunus in Met. q. 1. a. 7. qui vult ens rationis esse obiectum extensiuum, & Arnù, cum alijs Themistis, & ex exteris Ægidius, Alensis, Scotus, & Suarez, vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

8 PRima Conclusio. Ens communissimè sumptum vt comprehendit tàm ens reale, quàm ens rationis non est obiectum Metaphysicæ.

9 Probatur 1. ex Phil. 4. Met. tex. 5. qui comparando Dialecticum Metaphysico ait quod vterque agit de omni ente, sed cum hac differentia, quod Metaphysicus agit de

de omni ente secundum prædicata illi realiter conuenientia, cuiusmodi sunt verum, bonum, & reliquæ proprietates entis: Dialecticus verò secundum prædicata rationis; quod idem confirmat D. Th. ibidem lect. 4. ergò de mente Philosophi, & D. Th. vera Conclusio.

10 Probatur 2. ratione. Metaphysica est superior, & nobilior inter omnes scientias naturales, sed hoc verum non esset si haberet pro obiecto ens abstrahens à reali, & rationis, ergò illud non habet. Maior patet. Minor probatur, nobilior est scientia quæ habet pro obiecto ens vndequaque reale, quam ens abstrahens à reali, & rationis, sic enim Logica quia agit de ente rationis est omnium infima, sed multæ scientiæ sunt quæ habent pro obiecto ens vndequaq; reale, vt Philosophia, & Matematica, ergò si Metaphysica haberet pro obiecto ens abstrahens à reali, & rationis non esset superior, & nobilior inter omnes scientias naturales.

11 Probatur 3. Scientia diuina non potest specificari ab ente abstrahente à creato, & increato, sed tantùm increato, ergò similiter scientia realissima qualis est Metaphysica nequit specificari ab ente abstrahente à reali, & rationis: Consequentia probatur, non enim minùs est inferius ens rationis respectu entis realis, quàm ens creatum respectu entis increati, cum vtrobique detur analogia, ergo si &c.

12 Probatur 4. Nobilitas scientiæ desumitur à nobilitate obiecti, sed nobilius est obiectum vndequaque reale, quàm abstrahens à reali, & rationis, sicut nobilior est actus purus, quàm actus admixtus potentia, ergo nobilior non esset Metaphysica alijs scientijs si haberet pro obiecto ens abstrahens à reali, & rationis.

13 Secunda Conclusio. Ens reale commune ad ens per se, & per accidens nequit esse obiectum Metaphysicæ.

14 Probatur. De ente per accidens nequit dari scientia, ergò Metaphysica nequit habere pro obiecto tale ens abstrahens; antecedens probatur, quia cum non sit vnum ens, sed aggregatio plurium entium vnam scientiam specificare non potest, sed plures exposcit: Quod si tale ens consideretur, quatenus aliquo modo est vnum, iam non consideratur vt est omnino per accidens tale; vnde sermo est de ente per accidens formaliter, sic enim non est ens, sed potiùs entia.

15 Tertia Conclusio. Ens substantiale abstrahens à materiali, & immateriali non est obiectum Metaphysicæ.

16 Probatur 1. Vniuersalissima scientia, qualis est Metaphysica non debet considerare tantum aliquod speciale ens, sed communem rationem entis, sed substantia abstrahens à materiali, & immateriali est aliquod speciale, & determinatum ens, ergò nequit esse obiectum Metaphysicæ.

17 Probatur 2. Non tantum substantia, verum, & accidens abstrahit ab omni materia, ergò ne dum substantia, verùm, & accidens constituet obiectum adæquatum Metaphysicæ.

18 Quarta Conclusio. Ens reale creatum in decem genera diuisum nequit esse obiectum Metaphysicæ.

19 Probatur. Metaphysica considerat Deū maximè vt obiectum principalitatis, & vt nobilius inter omnia entia quæ attingit, sed Deus non ponitur in aliquo prædicamento, ergò ens in decem genera diuisum non est obiectum adæquatum Metaphysicæ: Minor liquet. Maior quoque videtur clara, hac enim de causa Metaphysica dicitur Theologia naturalis.

20 Quinta Conclusio. Obiectum adæquatum Metaphysicæ nequit esse Deus tantum, vel Deus simul cum substantijs separatis.

21 Probatur primò. Metaphysica procedit per discursum naturalem, & nostro intellectui accommodatum, sed modus intelligendi nostri intellectus pro hoc statu est per conuersionem ad phantasmata, ità quod nequit ad immaterialia peruenire nisi per corporalia ascendendo, ergò Metaphysica non solum substantias immateriales, vt sunt Deus, & substantiæ separatæ, attingit, sed ens commune ad materiale, & immateriale.

22 Probatur secundò. Ad hoc vt aliquid sit

sit subiectum adæquatum alicuius scientiæ, oportet quod omnia considerentur secundum rationem formalem illius, sed non omnia, quæ considerantur in Metaphysica considerantur secundum rationem deitatis, ergò Deus non est subiectum adæquatum Metaphysicæ, Maior est D. Th. in 1. dist. 1. q. 1. a. 4. Minor verò probatur; nam secùs Metaphysica non distinguèretur à Theologia.

23 Respondere possunt Contrarij quod Theologia attingit deitatem sub lumine supernaturali, Metaphysica autem sub lumine naturali, qua ratione de facto vocatur Theologia naturalis vnde adhuc inter se distinguuntur.

24 Sed contrà. Implicat, quod Metaphysica lumine naturali attingat Deum sub ratione particulari Deitatis, ergò si ea, quæ considerat, considerat sub ratione Deitatis iam attingit Deum medio lumine supernaturali, & ità non distinguitur à Theologia: antecedens probatur. Attingere Deum sub ratione particulari Deitatis est attingere Deum vt in se est, sed hoc nequit fieri nisi medio lumine supernaturali, vel fidei in via, vel gloriæ in Patria, ergò implicat, quod Metaphysica lumine naturali attingat &c.

25 Vltima Conclusio. Obiectum adæquatum Metaphysicæ est ens reale communissimè sumptum, pro vt comprehendit tam Deum, quam creaturas, tam substantiam, quam accidens.

26 Probatur primò ex Phil. 4. Met. in principio vbi ait. *Est autem quædam scientia, quæ speculatur ens in quantum ens, sicut subiectum*. Item D. Tho. inquit, quod *dicitur Metaphysica, in quantum considerat ens, & ea quæ consequuntur ad ens*. Ergò cum analogum per se sumptum stet pro famosiori analogato, qua le est ens reale, hoc communissimè sumptum erit obiectum Metaphysicæ.

27 Probatur 2. Illud est obiectum adæquatum alicuius scientiæ, de quo demonstrantur passiones in illa, sed passiones, videlicet verum, bonum, vnum, multa &c. demonstrantur de ente reali communissimè accepto, pro vt comprehendit tàm Deum, quàm Creaturas, tàm substantiam, quàm accidens, ergò ens reale sic communissimè acceptum est obiectum adæquatum Metaphysicæ. Maior patet, Minor probatur; si quidem non solum Deus, sed etiam Creatura, non solum substantia, verùm & accidens est verum, bonum, aliquid, vnum &c. ergò passiones demonstrantur &c.

28 Probatur 3. Obiectum adæquatum Metaphysicæ debet esse omne id, quod ex se stat sub eius ratione formali sub qua, sed hoc respectu Metaphysicæ est ens reale latissimè sumptum, ergò hoc est obiectum adæquatum Metaphysicæ. Minor probatur; nam ratio formalis sub qua obiecti Metaphysicæ est abstractio ab omni materia positiuè, sed hac gaudet ens reale latissimè sumptum, cum Metaphysica agat de accidentibus, etiam pro vt abstrahunt à proprio subiecto quod est eorum materia intelligibilis, ergò hoc respectu Metaphysicæ est ens reale latissimè sumptum.

29 Probatur vltimò: Magis est vniuersalis Metaphysica, quàm Dialectica, sed Dialectica agit de omni ente, ergò Metaphysica quoque de omni ente tractabit, non quidem rationis vt probatum est, ergò de omni ente Reali.

§. III.

Argumenta soluuntur.

30 ARguitur primò contrà primam conclusionem. Ens, vt ens est obiectum Metaphysicæ, ergò latissimè sumptum, pro vt comprehendit tàm ens reale, quàm ens rationis est obiectum illius: antecedens probatur, nam Philosophus 4. Met. tex. 7. ait. *Metaphysica speculatur ens vt ens, & quæ ei per se insunt*, ergò &c.

31 Respondetur negando antecedens, ad probationem explico Philosophum, secundum analogatum magis principale, concedo antecedens, secus nego antecedens, & consequentiam; Non est ergò nobis contrarius Phi-

Philosophus, nam analogum per se sumptum stat pro famosiori analogato; sanum enim stat pro animali: analogatum autem magis principale respectu entis est ens reale, & ideò hoc est obiectum Metaphysicæ. Vel dicitur quod Metaphysica speculatur ens vt ens, sed distributione accommoda, ens reale primariò, ens verò rationis secundariò.

32 Instabis primò. Ens in tota latitudine sumptum vt commune enti reali, & rationis est obiectum adæquatum alicuius scientiæ, sed non alterius, ergò Metaphysicæ. Minor patet, quia quælibet alia scientia est particularis, ac ideò particulare habens obiectum: Maior verò probatur primò. Ens in tota latitudine sumptum obijcitur intellectui, ergò, & alicui scientiæ. Secundò, sicut intellectus omnia attingit, ita Metaphysicus de omnibus disserit, ergò ens in tota latitudine sumptum &c.

33 Respondetur negando Maiorem; ad probationem distinguo antecedens secundariò, & per accidens quantum ad ens rationis concedo antecedens, primariò, & per se nego antecedens, & consequentiam, sicut ergò solum ens reale est obiectum primarium intellectus, ens autem rationis solum secundarium, quia fit ad instar entis realis, & dependenter ab illo, ità Metaphysicę: Vltra quam quod magis est vniuersalis potentia quàm habitus, intellectus autem est potentia, Metaphysica verò habitus, & ità Respondetur ad secundam probationem.

34 Instabis 2. Non minus ens reale abstrahens à materiali, & spirituali non attingitur per se primò, quam ens abstrahens à reali, & rationis, & tamen primum est obiectum adæquatum intellectus, & Metaphysicæ, ergò etiam secundum. Minor patet, Maior verò probatur; Si quidem spiritualia nequit attingere, nisi per species materialium, & dependenter à sensibus, ergò ens reale abstrahens à materiali, & spirituali &c.

35 Respondetur distinguendo Maiorem ab intellectu, & Metaphysica pro hoc statu, concedo Maiorem, secundum se, nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam. Intellectus ergò, & Metaphysica secundum se attingere valent spiritualia in se ipsis, non autem entia rationis, licèt pro hoc, statu illa attingant dependenter à sensibus, qua ratione habent pro obiecto intensiuo pro hoc statu solùm quidditatem materialem.

36 Instabis 3. Non minus Metaphysica pro hoc statu attingit spiritualia dependenter à Materialibus, quam entia rationis dependenter ab ente reali, & tamen pro obiecto adæquato habet ens reale abstrahens à materiali, & spirituali, ergò quoque habebit pro obiecto adæquato ens abstrahens à reali, & rationis. Maior probatur, quia alio modo nequit Metaphysica attingere aliquod obiectum, ac faciat intellectus, sed intellectus pro hoc statu attingit spiritualia dependenter à materialibus, ergò etiam Metaphysica &c.

37 Respondetur primò distinguendo Minorem, secundum se, concedo Minorem, pro hoc statu, nego Minorem, & consequentiam; sicut enim intellectus secundum se habet pro obiecto adæquato ens reale vt sic, & in statu concretionis ad corpus solùm quidditatem materialem, ità etiam Metaphysica.

38 Respondetur secundò negando Maiorem, ad probationem nego antecedens; Metaphysica enim attingit suum obiectum vt stat sub propria ratione formali sub qua, quæ est abstractio ab omni materia, & ideò potiùs materialia vt materialia attingere nequit; sed omnia considerat vt abstrahunt à materia etiam intelligibili.

39 Arguitur 2. Ideò ens rationis non ingreditur obiectum specificatiuum Metaphysicæ, quia est scientia realissima, sed hæc ratio est nulla, ergò &c. Maior videtur ratio Conclusionis; Minor probatur. Logica est scientia realis, & tamen adæquatè ab ente rationis specificatur, ergò licet Metaphysica sit scientia realissima tamen &c.

40 Respondetur distinguendo Maiorem, & quia etiam est suprema inter scientias reales concedo Maiorem; quia præcisè scientia realissima est nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori negatur consequentia. Non ergò tota ratio est, quia est scientia rea-

realissimũ vt benè probatur de Logica; sed quia est suprema inter scientias reales, quod non haberet si specificaretur saltem inadæquatè ab ente rationis, vt probatum est.

41 Instabis. Ens reale commune Deo, & creaturis est obiectum adæquatum Metaphysicæ, ergò similiter ens commune enti reali, & rationis, consequentia probatur, quia non minùs analogatur ens creatum cum ente increato, quàm ens reale cum ente rationis, ergò si ens reale commune Deo, & creaturis est obiectum adæquatum Metaphysicæ, etiam ens reale, & rationis, &c.

42 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est quia ens reale commune Deo, & creaturis, cognoscitur ab intellectu nostro, & à Metaphysica primariò, & ratione sui, ens autem rationis secundariò, ex consequenti, & indirectè; vnde sicut primum est obiectum adæquatum intellectus, non verò secundum, ità etiam Metaphysicæ; quod à fortiori vrgetur, quia Metaphysica respicit ens increatum, vt obiectum principalitatis, qua ratione vocatur Theologia naturalis, ens autem rationis directè attingere nequit. Ad probationem autem dicimus, quod licèt sit vtrobique analogia etiam proportionalitatis, non tamen est idem gradus analogiæ, cum ens rationis sit minimæ entitatis.

43 Arguitur 3. contrà 2. conclusionem. Metaphysica considerat non solùm vnum, sed etiam multa, ergò eius obiectum adæquatum erit ens, pro vt comprehendit ens per se, & per accidens, consequentia patet, quia ens per se est vnum, ens per accidens multa; antecedens probatur; non enim minus multa, quàm vnum sunt passiones entis, ergo &c.

44 Respondetur distinguendo antecedens vt habent vnitatem saltem analogicam in esse entis, & vniuocam in esse scibili concedo antecedens, vt reduplicatiuè sunt multa nego antecedens, & consequentiam. Metaphysica ergò considerat multa; non ea præcisè ratione qua multa sunt, sic enim potius sunt entia quam ens, sed ea considerat, quatenus stant sub vna indiuisibili ratione formali, quo pacto sunt vnum.

45 Arguitur 4. contrà tertiam Conclusionem: In sententia probabili, ens mobile substantiale tantum est obiectum Philosophiæ, ergò similiter tantum substantia abstrahens à materiali, & spirituali erit obiectum Metaphysicæ: antecedens patet, consequentia probatur; nam secus sequeretur quod Metaphysica esset ignobilior Philosophia, sed hoc dici nequit, ergò si ens mobile substantiale tantum est obiectum Philosophiæ similiter &c. Sequela probatur, nam hac ratione ens reale tantum non vero ens abstrahens à reali, & rationis est obiectum Metaphysicæ, quia secus non esset suprema inter omnes scientias naturales, ergò &c. consequentia probatur, scientia enim specificatur ab obiecto, & nobilius est obiectum, quod est substantia, quam abstrahens à substantia, & accidenti, sicut nobilius est ens reale tantum, quàm abstrahens à reali, & rationis.

46 Respondetur negando consequentiam, ad probationem nego sequelam, ad probationem nego consequentiam: Et disparitas est, quia Metaphysica specificatur ab obiecto vt stat sub nobiliori abstractione, qua gaudet ens abstrahens à substantia, & accidenti vt est eius obiectum, cum sit abstractio ab omni materia positiuè, cuius non est capax ens rationis, & ideò semper Metaphysica esset nobilior Philosophia, cuius obiectum tantum abstrahit à materia singulari, esto habeat pro obiecto solum ens mobile substantiale, quæ ratio non currit in alia sententia sustinente esse ens mobile abstrahens à substantiali, & accidentali.

47 Arguitur 5. contra quartam Conclus. ex D. Tho. op. 70. q. p. art. 4. vbi ait *in Theologia, quam Philosophi prosequuntur, & quæ dicitur Metaphisica considerantur res diuinæ, non tanquam subiectum scientiæ, sed tanquam principium subiecti*, sed principium subiecti non continetur sub subiecto, ergò solùm ens prædicamentale est obiectum &c. Probatur minor; nam secus Deus vt primus Motor, esset obiectum partiale Philosophiæ.

48 Respondetur distinguendo Minorem principium extrinsecum, & quod sit tale respectu subiecti adæquati, concedo Mino-

C rem,

rem, principium intrinsecum, & quod sit tale respectu subiecti inadæquati nego Minorem, & consequentiam: Principium ergò extrinsecum, & quod sit tale respectu subiecti formalis, & adæquati non continetur sub subiecto; principium autem intrinsecum, & quod sit tale respectu subiecti inadæquati, & partialis benè potest contineri sub subiecto, sicut causæ secundæ creatæ sunt principium effectuum realium, qui sunt subiectum inadæquatum Metaphysicæ, cum eius principalior intentio sit agere de Diuinis, qua ratione D. Thomas eam appellat Theologiam naturalem, & p. 2. q. 66. a. 5. inquit quod *sapientia qualis est Metaphysica considerat ipsum obiectum fælicitatis, quod est altissimum intelligibile, nimirum Deum*. Primus autem motor est principium subiecti adæquati Philosophiæ, & ità intelligendus est D. Tho. qui etiam potest glosari, quod intelligat de Deo secundùm rationem particularem, non verò secundum rationem communem entis, sub qua solùm attingitur à Metaphysica, vt videtur.

49 Instabis. Quod est obiectum formale adæquatum vnius scientiæ nequit esse pars subiectiua obiecti formalis alterius, sed Deus est obiectum formale Theologiæ, ergo &c.

50 Respondetur distinguendo Maiorem sub eadem ratione concedo Maiorem, sub diuersa nego Maiorem, & concessa Minori distinguitur consequens eodem modo; itaque Deus est obiectum formale Theologiæ sub ratione particulari Deitatis, & vt stat sub lumine supernaturali diuinæ reuelationis; & est tantum pars subiectiua obiecti Metaphysicæ sub ratione communi entis, & sub lumine naturali abstractionis ab omni materia, quod non repugnat; sic enim ens mobile sub ratione mobilitatis, & vt stat sub abstractione à materia singulari est obiectum Philosophiæ, sub ratione verò entis, & vt stat sub abstractione ab omni materia est obiectum Metaphysicæ, & eadem ratione ens sub ratione veri specificat intellectum; sub ratione verò boni specificat voluntatem.

51 Arguitur 6. Illud est subiectum alicuius scientiæ, cuius principia, & causæ quæruntur, sed in Metaphysica non quæruntur principia, & causæ entis vt sic communis Deo, & Creaturis, sed tantùm entis prædicamentalis, ergò hoc tantum est subiectum Metaphysicæ; minor probatur nam illud causam, & principium non habet, bene tamen istud, ergò Metaphysica &c.

52 Respondetur distinguendo, Maiorem vel in essendo, vel in cognoscendo concedo Maiorem, semper in essendo nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo nego consequentiam. Sufficit ergò quod quærantur principia in cognoscendo, Deus enim sub ratione Deitatis est subiectum adæquatum Theologiæ, & tamen non quæruntur causæ, & principia illius in essendo, cum nullas habeat, sed tantum in cognoscendo, & ità similis ratio erit in Metaphysica, quæ sanè ipsum principaliter considerat dicente Philosopho 4. Met. tex. 7. Metaphysicam superare Philosophiam naturalem, quia considerat primam substantiam sicut eius præcipuum obiectum, nam vt principium extrinsecum etiam à Philosophia consideratur. Item lib. 6. cap. 1. inquit quoniam præter substantias naturales datur alia superior, scilicet Deus dari debet superior scientia, quam sit Philosophia naturalis, quæ de illo considerat, & ex eo liquet, quia Deus est obiectum naturaliter scibile, non quidem ab alia scientia, quàm à Metaphysica, quæ est omnium scientiarum naturalium prima, & dignissima.

53 Respondetur 2. cum Bruno, quod Maior est vera de obiecto vel in se ipso, vel in suis speciebus, sicut est in casu nostro. Quærimus enim primum principium, & altissimam causam entis creati: vel tandem maior est vera, quando subiectum habet causas, non verò quando non habet.

54 Arguitur 7. contrà 5. Concl. ex D. Th. 3. cont. Gent. cap. 23. ratione 6. vbi ait *ipsa prima Philosophia tota ordinatur ad Dei cognitionem, sicut ad vltimum finem vnde, & scientia diuina nominatur*, ergò solus Deus ex D. Tho. est obiectum &c.

55 Respondetur explicando auctoritatem

D. Tho.

D. Th. ficut ad vltimum finem inadæquatum, & principalitatis concedo, adæquatum, & attributionis nego antecedens, & consequentiam; Metaphysica ergò ordinatur in Deum, non tanquam in obiectum totale, sed principalitatis, quia primum, & principale analogatum entis est Deus, & hoc expressè docet Angelicus Doctor op. 70. q. 5. a. 1. dicens *Metaphysicam appellari scientiam Diuinam, quia præcipuum cognitorum in ea est Deus*. Quid clarius?

56 Respondet 2. Bruno Metaphysicam ordinari ad Dei cognitionem sicut ad vltimum finem, non in genere scibilis, sed in genere entis.

57 Instabis primò. Denominatio non desumitur ab obiecto principalitatis, sed attributionis, sed Metaphysica à D. Tho. vocatur scientia Diuina, ergo sentit Deum esse obiectum attributionis, & finem vltimum adæquatum in esse scibili respectu Metaphysicæ: Minor patet; Maior probatur; nam Theologia denominatur scientia Diuina, ex eo quod respicit Deum vt obiectum adæquatum, & attributionis, item logica denominatur rationalis ab ente rationis, quod est eius obiectum adæquatum, & attributionis, ergò &c.

58 Respondetur negando vniuersaliter Maiorem, quandoque enim denominatio desumitur ab obiecto attributionis, quandoq; ab obiecto principalitatis, cum denominatio desumatur à nobiliori, qua ratione Philosophia denominatur naturalis à natura, quæ soli substantiæ competit; Vnde sicut D. Th. in prologo scientiarum q. p. a. 4. asserit, quod *Ens non est subiectum Theologiæ, nisi sicut principaliter intentum*, & tamen constat esse subiectum attributionis, ità licet dicat Metaphysicam vocari scientiam diuinam, tamen sentit Deum tantum esse subiectum principalitatis, quod magis roboratur ex D. Tho. hic lect. 1. dicente; *ex quibus apparet, quod licèt ista prædicta consideret hæc scientia, scilicet substantias separatas, ens commune, quod est genus, & vniuersales causas, non tamen considerat, quodlibet ipsorum vt subiectum*, quod tamen intelligendum est de subiecto adæquato.

59 Respondet 2. Flandrensis, quod non semper scientia denominatur à subiecto, sed aliquando à partibus subiectiuis, sicut scientia prædicamentorum, aliquando à proprietate vt scientia naturalis, aliquando à principijs, & ita ista scientia dicitur diuina à Deo, qui est primum principium omnium entium; Non ità tamen quod sit principium extrinsecum vt ipse tenet, sed intrinsecum ingrediens principaliter rationem obiectiuam Metaphysicæ.

60 Instabis 2. Scientia Dei est formaliter Metaphysica, sed illa attingit Deum non tantum vt obiectum principalitatis, sed adæquatum, & attributionis, ergò etiam Metaphysica nostra, quæ est participatio Metaphysicæ Dei: Minor probatur, nequit enim specificari ab aliquo creato, vel abstrahente à creato, & increato, ergò &c.

61 Respondetur primò distinguendo maiorem formaliter eminenter, concedo Maiorem, formaliter tantum nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam; scientia ergò Dei est Metaphysica tantum eminenter, quo pacto depuratur ab hac imperfectione quod specificetur ab obiecto creato etiam inadæquatè, sicut specificatur nostra Metaphysica, cum omnia, quæ sunt in Deo sint perfectiones simpliciter simplices; idest depuratæ ab omni imperfectione.

62 Respondetur secundò quod Metaphysica Dei est genere distincta à nostra, & cum substantia sit increata, & non accidens nequit specificari ab aliquo extrà se; non sic autem est Metaphysica nostra, quæ est verum accidens, ac specificabilis ab aliquo extrinseco.

63 Instabis tertiò; posito Deo, vel substantia separata in communi ponitur nostra Metaphysica, ergò Deus est obiectum adæquatum nedum Metaphysicæ Dei, sed etiam nostræ; cõsequentia patet; antecedens probatur; nam casu quo destrueretur Deus, & substantiæ separatæ; tunc scientia naturalis remaneret Philosophia prima per Philosophum 6. Met. tex. 3. ergò &c.

64 Respondetur negando antecedens, ad

C 2 pro-

probationem distinguo antecedens, occasionaliter, & indirectè concedo antecedens, formaliter, & directè nego antecedens, & consequentiam. Tunc ergò scientia naturalis remaneret Philosophia prima occasionaliter, & indirectè, quatenus ablato Deo, & substantia separata auferretur ratio. entis communis Deo, & creaturis, substantijs materialibus, & spiritualibus, quæ constituunt obiectum adæquatum Metaphysicæ, & ità pereunte Metaphysica Philosophia naturalis remaneret prima.

65 Instabis 4. Nobilissimæ scientiæ nobilissimum obiectum adæquatum assignari debet, sed Metaphysica est scientia nobilissima ergò &c. Sed hoc est Deus, ergò Deus erit obiectum Metaphysicæ.

66 Resp. distinguendo Maiorem nobilissimę scientię simpliciter concedo secundū quid nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam; licet ergò nobilissimæ scientiæ simpliciter qualis est Theologia nobilissimum obiectum adęquatum assignari debeat, tamen nobilissimæ scientiæ secundum quid, idest inter scientias naturales, qualis est Metaphysica non debet assignari nobilissimum obiectum adæquatum, qualis est Deus, sed sufficit quod illud respiciat vt obiectum principaliter.

67 Arguitur 8. contrà vltimam Conclusionem: Scientia quæ est vna secundum speciem nequit specificari ab obiecto analogo, sed Metaphysica est vna scientia secundum speciem, ergò &c. Sed ens reale latissimè sumptum est huiusmodi, ergò &c.

68 Respondetur distinguendo Minorem in esse scibili nego Minorem, in esse entis concedo Minorem, & nego consequentiam; Obiectum ergò analogum in esse entis bene potest vnam scientiam secundum speciem specificare, quia specificat per modum causæ formalis extrinsecæ, de cuius ratione non est præhabere in se id, quod præstat alteri, & ità potest dare vnitatem specificam scientiæ, quam in se non habet in esse entis, sicut ens rationis dat realitatem logicæ, quam in se non habet, & hoc magis roboratur ex eo quod non specificat in esse entis, sed in esse scibili, sub qua ratione habet vnitatem specificam, cum omnia de quibus dicitur subsint eidem abstractioni, quæ est vna secundum speciem.

69 Instabis. Ens reale latissimè sumptum nec in esse scibili est vnum specie, ergò nulla solutio; antecedens probatur, quod non est definibile nec in esse scibili est vnum secundum speciem, sed tale ens non est definibile, ergò nec in esse scibili est vnum secundum speciem: Minor probatur, omnis definitio per priora datur, vt patet in 2. post. lect. 15. idest per genus, & differentiam, sed ens reale vniuersaliter sumptum non habet genus; ergò &c.

70 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Minorem diffinitione rigorosa concedo Minorem, minus propria nego Minorem, & consequentiam; licèt ergò ens non sit definibile rigorosè, cum non constet ex genere, & differentia, est tamen definibile minus propriè, & ideò potest habere vnitatem specificam, maximè in esse scibili, quæ solum exigit quod habeat eandem rationem formalem sub qua, scilicet abstractionem ab omni materia secundum speciem.

71 Arguitur 9. obiectum alicuius scientiæ debet habere passiones de illo demonstrabiles, sed eas non habet ens reale latissimè sumptum, ergò nequit esse &c. probatur Minor, passiones debent realiter distingui à suo subiecto, cum fluant ab illo, sed nihil est realiter distinctum ab ente, cum essentialiter includatur in quauis re, ergo &c.

72 Respondetur negando Minorem ad probationem distinguo Maiorem si subiectū non sit transcendens concedo Maiorem, secus nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam; quando ergò subiectum est transcendens nequeunt passiones realiter distingui ab illo, sed sufficit, quod virtualiter distinguantur distinctione non quidem penes inclusum, & exclusum, sed penes explicitum, & implicitum, nec scientia amplius exigit in suo subiecto, vt patet in diuinis.

73 Arguitur vltimò si ens reale latissimè

mè sumptum esset obiectum Metaphysicæ sequeretur, quod ipsa esset subalternans, respectu omnium scientiarum naturalium, consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela maioris probatur; tunc enim omnia obiecta scientiarum naturalium contineretur sub obiecto Metaphysicæ, ergò esset &c.

74 Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguo antecedens, addendo differentiam accidentalem, & extrinsecam nego antecedens, secus concedo antecedens, & nego consequentiam; Obiectum enim scientiæ subalternatæ, ità debet contineri sub obiecto subalternantis, vt tamen addat differentiam accidentalem, & extrinsecam supra obiectum scientiæ subalternantis, enti autem nihil est extrinsecum, & accidentale, & ideò non sequeretur quod Metaphysica esset subalternans respectu scientiarum naturalium; sed de his latius infrà, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Metaphysica consideret res secundum proprias earum rationes?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis, aduertendum est primò, quod considerare res secundum proprias earum rationes est eas cognoscere proprio, ac distincto conceptu, qui eis competit, & non alijs, sicut considerare hominem vt rationalis est, quod soli homini conuenit, & non equo, Leoni, &c. Considerare autem rerum quidditates in vniuersali est ipsas considerare secundum communia, & vniuersalia prædicata, quæ non solum tali rei, sed etiam alijs competunt, vt considerare hominem pro vt est vnum ens per se, substantia, compositus ex actu, & potentia.

2 Aduertendum est secundò quod considerare res secundum proprias rationes, quibus ab alijs secernuntur non est idem, ac considerare rationes singulares, seu indiuiduales; scientiæ enim non sunt de singularibus sed rationes specificas, & hoc quærimus in præsenti, cum certum sit Metaphysicam considerare rationes omnium rerum vniuersales, & transcendentes, cum sapientis sit omnia scire saltem in vniuersali, vt dicitur secundo Metaphysicæ c. 2. His suppositis.

3 Prima sententia affirmat Metaphysicam considerare omnes res secundum proprias rationes. Ità Ægidius, & Antonius Mirandulanus asserens alias scientias esse partes Metaphysicæ.

4 Secunda sententia negat Metaphysicam descendere ad rationes particulares. Ità alij Doctores cum Aristotele, & D. Thoma.

§. II.

Veritas aperitur.

5 COnclusio: Metaphysica considerat quidditates rerum secundum rationes communes, non verò particulares.

6 Probatur prima pars auctoritate Philosophi 4. Met. tex. 7. vbi ait *Metaphysica speculatur ens vt ens, & quæ ei per se insunt*; Item D. Tho. op. 70. q. 5. art. 4. ad 6. inquit: *Metaphysica considerat etiam de singulis entibus, non secundum proprias rationes, per quas sunt tale, vel tale ens, sed secundum quod participant communem entis rationem*, ergò de mente vtriusque vera conclusio, &c.

7 Probatur secundò ratione: ad eandem scientiam spectat agere de ente in communi & de quolibet ente in particulari, vt ens est, & simul de quidditate in communi, & de quidditate in particulari vt quidditas est; sed

sed Metaphysica agit de ente, & quidditate in communi; ergo etiam aget de quolibet ente in particulari vt ens est, & de quidditate vt quidditas est; minor patet, est enim eius obiectum; maior probatur, quia ad idem spectat considerare totum, & eius partes, pro vt in ratione totius communicant, ergò ad eandem scientiam, &c.

8 Probatur tertiò. Ad Metaphysicam spectat attingere omne id quod abstrahit ab omni materia, sed etiam entia, & quidditates particulares vt entia, & quidditates sunt abstrahunt ab omni materia, ergò ad Metaphysicam spectat de illis agere; probatur minor; si quidem nullum prorsus concernunt motum, sed perpetuæ sunt, nulliusque mutationis obnoxiæ, quæ à materia originatur; ergò &c.

9 Probatur secunda pars primò. Si Metaphysica omnium rerum rationes consideraret vt particulares sunt reduplicatiuè; superfluerent omnes aliæ scientiæ, consequens est absurdum, ergò & antecedens, sequela maioris probatur, quia nihil particulare remaneret ab illis considerandum, ergò &c.

10 Respondent contrarij quod sub diuersa abstractione attingerentur à scientijs particularibus, & à Metaphysica, ac ideò non superfluerent cæteræ scientiæ. Sed

11 Contrà, quia v. g. ens mobile naturale sub illa particulari ratione reduplicatiuè nō est capax abstractionis ab omni materia, cum motum concernat, ergò nequit attingi sub diuersa abstractione à Philosophia, & Metaphysica.

12 Probatur secundò. Si Metaphysica descenderet ad rationes particulares, vel istæ essent materiales, vel spirituales, sed ad neutras potest, ergò &c. Maior patet. Minor probatur, & primo quoad primam partem, quia quidditates rerum materialium reduplicatiuè non abstrahunt à materia, & motu, nec possunt sine ipsis esse, nec definiri, ergò &c. Secunda pars probatur, substantias immateriales nonnisi ex effectibus pro hoc statu cognoscere possumus, sed isti illas repræsentant tantum secundum rationem causæ communem, ergò nec eas in particulari Metaphysica potest, &c. Verùm tamen est, quod si pro hoc statu essent quidditatiuè, & distinctè cognoscibiles, secundum se à Metaphysica considerarentur, cū omninò abstrahant à materia, & hoc pacto conciliantur Doctores quantum ad eas inter se discrepantes.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

13 Arguitur primò contra secundam partem ex Philosopho qui 4. Met. tex. 2. ait; *sicut sensus est vnius obiecti, & eorum, quæ sub ipso continentur, ità scientia hæc speculatur ens in quantum ens, & species eius, & species specierum*; Item 7. Met. ait *quod primæ Philosophiæ est definire de sensibilibus substantijs*, ergò de mente Philosophi Metaphysica considerat rationes particulares.

14 Respondetur glosando Philosophum in quantum quidditates, & substantiæ sunt concedo, in quantum sunt sensibiles, & propriæ cuiuslibet scientiæ nego: loquitur enim de rationibus particularibus, vt quidditates sunt, & dicunt rationem entis, actus, potentiæ, substantiæ, & accidentis, non verò vt tales sunt scilicet mobiles, sensibiles, &c.

15 Instabis primò. Philosophus 6. Naturalium asserit quod nulla scientia præter Metaphysicam considerat quodquid est rerum, sed hoc esset falsum si omnes scientiæ particulares considerarent suas rationes proprias, ergò considerantur à Metaphysica.

16 Respondetur glosando Philosophum eodem modo, quodquid est rei vt quidditas est concedo, vt talis, & talem naturam concernens nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo nego consequentiam; quidditas enim v. g. hominis potest considerari dupliciter vt quidditas est, & sic non attingitur à Philosophia, & vt quidditas hominis est, & ità non potest attingi à Metaphysica, sed à solà Philosophia, cum essentialiter connotet materiam sensibilem.

17 Instabis secundò. Philosophus primò Met. docet, quod ad sapientiam, qualis est Me-

Metaphyſica ſpectat maiori certitudine cognoſcere omnia ſecundum ſpecies, & genera, ſed non poteſt hoc facere, ſi non cognoſcat in quo conueniant, & differant à cæteris; ideſt ſecundum rationes communes, & particulares, ergò Metaphyſica conſiderat omnia ſecundum proprias rationes particulares.

18 Reſpondetur diſtinguendo antecedens, ſub ratione communi concedo antecedens, ſub ratione particulari nego antecedens, & conſequentiam; Et hoc colligitur ex eodem Philoſopho, dicit enim Metaphyſicam eſſe ſcientiam omnium quantum poſſibile eſt, non eſt autem poſſibile quod omnia attingat ſub ratione particulari, cum vt ſic concernant materiam, à qua penitùs abſtrahit Mataphyſica; vltra quam quod cæteræ ſcientiæ deſtruerentur.

19 Inſtabis tertiò. Philoſophus 7. Met. inquit quod omnium rerum quæ ſunt vnius generis eſt vnus ſenſus, & vna ſcientia, vt viſus verſatur circa omnes colores, & Grammatica circà omnes voces, ſed viſus ità verſatur circà omnes colores vt cognoſcat omnes ſpecies colorum in particulari, ergò Metaphyſica quoque, &c.

20 Reſpondetur explicando Philoſophum ſecundum rationem formalem ſui obiecti concedo Maiorem, ſecus nego Maiorem, & conceſſa Minori, nego conſequentiam. Cum enim ſenſus ſit ſingularium non èſt mirum quod viſus verſetur circà omnes ſpecies colorum in particulari, imò circa colores in indiuiduo; cum omnes ſint viſibiles; Cæterum cum rationes particulares, ſint extra latitudinem obiecti Metaphyſicæ, mirum non eſt quod eas attingere nequeat, cum ſolum ſit tranſcendentium, & maximè vniuerſalium.

21 Arguitur ſecundò. Ideò Metaphyſica non conſiderat res in particulari, quia ſuperfluerent aliæ ſcientiæ, ſed hoc nō ſequetur, ergò eas conſiderat; Minor probatur, ex eo quod ens conſideratur ſub ratione veri ab intellectu, nō ſequitur quod voluntas illud attingere nequeat ſub ratione boni, ergò &c.

22 Reſpondetur negando Minorem, ad probationem nego conſequentiam; & diſparitas eſt quia ſi rationes particulares vt particulares ſunt, eſſent capaces abſtractionis ab omni materia nullum motum ſenſibilem, vel materiam intelligibilem concernerent, & ideò non haberent rationem formalem ſub qua attingerentur à Philoſophia, vel Matematica, & ità aliæ ſcientiæ ſuperfluerent.

23 Arguitur tertiò. Scientia, quæ attingit in rebus diuerſitatem verſatur circà illas reduplicatiuè vt propriæ, & particulares ſunt, ſed Metaphyſica cognoſcit diuerſitatem inter Angelum, hominem, & Lupum, ergo &c.

24 Reſp. 1. diſtinguendo Maiorē ſi attingat diuerſitatem poſitiuè ex parte vtriuſque extremi, concedo Maiorem, ſi attingat diuerſitatem poſitiuè ex parte vnius, & negatiuè ex parte alterius extremi nego Maiorem; & diſtincta Minori eodē modo, negatur conſequentia. Itaque Metaphyſica attingit immaterialitatem in Angelo aduertendo ipſam rebus corporeis non ineſſe, vnde diuerſitatem, & diſtinctionem poſitiuam inter particularia obiecta non cognoſcit.

25 Reſpondetur ſecundò. Quod ſi Metaphyſica attingit diuerſitatem poſitiuam in rebus particularibus, hoc non facit proprio lumine, ſed adminiculo aliarum ſcientiarum.

26 Inſtabis primò: Philoſophia hominem, & Leonem cognoſcit cum diuerſitate poſitiua ex parte vtriuſque extremi, ergò multo magis id facit Metaphyſica; conſequentia probatur, quia ſicut potentia ſuperior poteſt attingere omnia quæ attingit inferior, ità habitus ſuperior poteſt attingere omnia, quæ attingit inferior, ergò &c.

27 Reſpondetur negando conſequentiam, ad probationem diſtinguo antecedens, ſi ſint intrà propriam ſphæram concedo antecedens, ſecùs nego antecedens, & conſequentiam. Cum ergò Leo, & homo ſecundum rationem ſuam particularem contineantur ſub obiecto Philoſophiæ, non verò Metaphyſicæ, ideò poteſt attingi diuerſitas poſitiua ex parte vtriuſque à Philoſophia, non verò à Me-

à Metaphysica. Imò sicut potentia intellectiua, quæ est superior ad sensitiuam nequit cognoscere singularia, & materialia, qua talia sunt, ità Metaphysica, quæ est habitus superior ad Philosophiam non poterit attingere rationes particulares, qua tales sunt.

28 Instabis secundò. Ad Metaphysicam spectat definire particularia obiecta aliarum scientiarum, & iudicare de illis, ergò ad Metaphysicam spectat cognoscere rationes particulares qua tales sunt; antecedens probatur, nam si definiatur v. g. motus, definitur per terminos Metaphysicales, scilicet, per rationem actus, entis, & potentiæ dicendo quod est actus entis in potentia pro vt in potentia, ergò &c.

29 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, & hoc fit à Phylosophia concedo antecedens, à Metaphysica nego antecedens, & consequentiam. Quæuis igitur scientia format propriam definitionem sui obiecti, siue sit adæquatum, siue inadæquatum, recipiendo tamen terminos communes à Metaphysica, ex quo non sequitur, quod Metaphysica attingat rationes particulares, nec illas definiendo, vel de illis iudicando nisi secundum rationem formalem sui obiecti.

30 Arguitur vltimò. Cognitio Metaphysicalis est omnium naturalium perfectissima, ergò debet versari circà rationes particulares vt tales sunt; consequentia probatur, nam cognitio rerum particularium est distincta, vniuersalium confusa, sed cognitio distincta est perfectior confusa, ergò si cognitio Metaphysicalis est omnium perfectissima debet, &c.

31 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo Minorem secundum quid, & respectu eiusdem obiecti concedo Minorem; simpliciter, & respectu diuersi obiecti nego Minorem, & consequentiam; Cognitio itaque distincta eiusdem obiecti est perfectior confusa, ceterum cognitio distincta obiecti particularis, non est perfectior cognitione confusa entis in communi, nisi secundum quid; illa verò erit perfectior simpliciter cum sit nobilioris obiecti. Vltra quam quod cognitio quam habet Metaphysica de ente, & transcendentibus non est cognitio confusa, sed distincta alicuius confusi.

32 Instabis. Cognoscere aliquid in communi, & non in particulari est imperfectè cognoscere ergo si cognitio Metaphysicalis est perfectissima debet attingere ne dum res in communi, sed etiam in particulari; antecedens probatur nam hac ratione D. Thom. 1. p. q. 14. art. 5. Contra Auerroem concludit quod imperfectus esset intellectus Diuinus si intelligeret alia à se in communi.

33 Respondetur distinguendo antecedens, si talis cognitio in particulari sit debita concedo antecedens, secus nego antecedens, & consequentiam, ad probationem concedo antecedens, & distinguo consequens eodem modo. Itaque intellectui Diuino, imò, & creato est debita cognitio rerum particularium, cum sint entia, ac ideò habeant intelligibilitatem, cæterum Metaphysicæ non debetur cognitio rerum secundum rationes particulares, materialium absolutè, spiritualium verò pro hoc statu, cum sint extra suam spheram, & ideò non sequitur, quod si illas non attingit eius cognitio sit imperfecta.

34 PRO CORONIDE QVÆSTIONIS QVÆRES PRIMO, an Metaphysica sit vna scientia specie?

35 Respondetur affirmatiuè. Probatur vnitas scientiæ non desumitur ab vnitate obiecti in esse entis, & materialiter, sed in esse scibili, & formaliter sumpti, sed obiectum Metaphysicæ in esse scibili, & formaliter sumptum est vnum specie, ergò & Metaphysica; Maior patet: Minor probatur; si quidem attingitur pro vt stat sub vna, & indiuisibili abstractione ab omni materia.

36 Arguitur primò. Matematica est vna genere, & etiam Physica in sententia probabili ergò quoque Metaphysica.

37 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quia Matematica, & Philosophia in hac sententia intra latitudinem sui obiecti adæquati admittit diuersam abstractionem, & vt respicit terminum ad quem, nempè actualitatem in obiecto reperta-

tam

tam, licèt habeant eandem genericè, & vt respicit terminum à quo, scilicet, materiam derelictam: Eo modo quo Angeli differunt specie non penes recessum à materia, sed penes maiorem, vel minorem accessum ad actum purum; Metaphysica autem eandem omnino abstractionem habet tàm genericam, quàm specificam, tàm pro vt respicit terminum à quo, quàm pro vt respicit terminum ad quem.

38 Instabis primò. Abstractio Matematica est vna genere, & similiter abstractio Philosophica in hac sententia, ergò etiam erit vna genere abstractio Metaphysicalis, cõsequentia probatur; nam magis patet obiectum Metaphysicæ, quàm obiectum Matematicæ, & Philosophiæ, ergò si hoc non obstante abstractio Matematica est vna genere &c.

39 Respondetur negando consequentiam, ad probationem nego consequentiam, quia esto sit magis vniuersale obiectum Metaphysicæ, quàm Matematicæ, & Philosophiæ in esse rei, tamen in esse scibili non patitur diuersam abstractionem, cum ea quæ sunt dispersa in inferioribus adunentur in superioribus; abstractio autem Metaphysicalis est omnibus superior, & eminentior; Vltraquamquod in nostra sententia abstractio Philosophica est vna specie, & ideò quantum ad hoc argumentum nihil concludit.

40 Instabis secundò. Esto abstractio Metaphysicalis sit omnibus eminentior ad huc est diuisibilis in plures species formaliter, ergò Metaphysica solum erit vna genere; antecedens probatur, nam admittit sub se omnia entia materialia, substantias separatas, quæ non habent materiam, benè tamen potentialitatem, & tandem ipsum Deum, qui est actus purissimus abstrahens ab omni prorsus potentialitate; ergò &c.

41 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, ità quod ista diuersa abstractio de materiali se habeat respectu Metaphysicæ concedo, ità vt se habeat de formali, nego antecedens, & consequentiam. Itaque Deus, & substantiæ separatæ prò vt ex effectibus sensibilibus cognoscuntur non sunt maioris abstractionis formalis cæteris quidditatibus secundum rationem communem, licèt secundum proprias rationes simpliciter sint maioris abstractionis; cæterum quia secundum proprias rationes non attinguntur, sed vt conueniunt in communi ratione entis idcircò vna specie Metaphysica existit.

42 Instabis tertiò. Etiam Theologia habet abstractionem ab omni materia, ergò non potest ista abstractio præbere vnitatem Metaphysicæ specificam; antecedens probatur; nam agit de Deo, & de Angelis qui abstrahunt ab omni materia, ergò &c.

43 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens sub lumine supernaturali diuinæ reuelationis concedo antecedens, sub lumine naturali, nego antecedens, & consequentiam. Theologia ergò agit de Deo, & Angelis sub lumine supernaturali diuinæ reuelationis virtualis ad differentiam Fidei, quæ hoc facit sub lumine supernaturali diuinæ reuelationis formalis, & ideò vt docet D.Th.1.p.q.1.art.1. ad secundum differt secundum genus à Metaphysica, quæ ponitur vt principalior pars Philosophiæ, & Theologia naturalis dicitur, quia Deum attingit sub lumine naturali.

44 Instabis quartò. Logica agit de ente rationis, quod abstrahit ab omni materia; ergò talis abstractio, &c.

45 Respondetur distinguendo antecedens, negatiuè concedo antecedens, positiuè, nego antecedens, & consequentiam. Ens ergò rationis abstrahit ab omni materia negatiuè per defectum, quia est ità minimæ entitatis, vt non pertingat ad hoc, quod sit capax habendi materiam; obiectum autem Metaphysicæ abstrahit positiuè, ità quod supposita materia in aliqua re eam positiuè excludat. Vltrà quam quod ens rationis concernit materiam denominationis, quam non concernit obiectum Metaphysicæ.

46 Arguitur vltimò. Plus requiritur ad diuersificandas potentias, quam habitus, sed verum, & bonum diuersificant potentias; ergò à fortiori diuersificabunt habitus, sed verum, & bonum spectant ad Metaphysicam

cam, ergò non est vna specie, maior patet; nam potentia latiùs patet quàm habitus. Minor etiam videtur clara; nam intellectus versatur circà verum, & voluntas circà bonum.

47 Respondetur distinguendo minorem, sub ratione particulari attacta, concedo minorem, sub ratione communi, nego minorem, & distinguo consequens, cum Minori subsumpta eodem modo. Intellectus ergò, & voluntas, non attingunt verum, & bonum sub ratione communi entis, sed potiùs communem rationem entis sub ratione particulari nimirum qua verùm, vel qua bonum, & ideò non est mirum si diuersificentur istæ duæ potentiæ realitèr; Verùm Metaphysica tùm verum, tùm bonum attingit sub ratione communi entis, & sub eadem indiuisibili ratione formali subqua, non autem secundum suas peculiares rationes, & ideò vna specie existit.

48 Quæres secundò. An cæteræ scientiæ subalternentur Metaphysicæ?

49 Respondetur negatiuè. Probatur omnis subalternatio vnius scientiæ ad aliam, vel est ratione additionis differentiæ accidentalis ad obiectum superioris, vt contingit in Musica respectu Aritmeticæ, vel ratione principiorum, quæ scientia inferior accipit à superiori, sicut facit Theologia viæ respectu Theologiæ patriæ, sed neutro modo cæteræ scientiæ subalternantur Metaphysicæ: ergò &c. Maior patet, Minor probatur primò quoad primam partem, quia ens est de quidditatiuo conceptu omnium sibi inferiorum: Quoad secundam partem, nam principia proxima, & propria scientiarum sunt per se nota illis, nec mutuata sunt à Metaphysica, aliàs sublata Metaphysica non remanerent scientiæ, vel non possent acquiri ante Metaphisicam, ergò &c.

50 Arguitur primò. Omnis scientia, vel est subalternans, vel sub alternata, sed Metaphysica non est subalternata, ergò est subalternans.

51 Respondetur negando Maiorem, nam talis diuisio non est diuisio scientiæ in communi, sed scientiarum subalternatim positarum: Nec quiuis ordo facit veram subalternationem, si non adsint duæ conditiones requisitæ, dependentia, scilicet, principiorum, & superadditio differentiæ accidentalis, nisi loquamur de subalternatione secundum quid, & impropriè dicta, quam non negamus Metaphysicæ.

52 Instabis primò, vel mobilitas essentialiter continetur sub ente, vel accidentaliter, si primum iam Philosophia est pars subiectiua Metaphysicæ, quia eadem scientia tractat de obiecto, ac de partibus illius, si secundum addit differentiam accidentalem super ens, ac ideò Philosophia verè subalternatur Metaphysicæ.

53 Respondetur, quod continetur essentialiter; ad probationem nego sequelam, ad probationem distinguo antecedens, si cadat sub eadem ratione formali sub qua concedo, secus nego antecedens, & consequentiam. Quando ergò partes exeunt genus scibile quod habet totum, & non attinguntur sub eadem abstractione nequeunt considerari à scientia agente de toto, & hoc accidit in præsenti.

54 Instabis secundò. Dependentia principiorum arguit subalternationem, hanc cæteræ scientiæ habent respectu Metaphysicæ, ergò &c. Minor probatur, nam Metaphysica probat aliarum scientiarum principia, vt dicitur 2. Metaphysicæ, ergo &c.

55 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, per accidens, & per causam remotam, concedo antecedens, per se, & per causam proximam, nego antecedens, & consequentiam; Metaphysica ergò probat principia aliarum scientiarum per accidens, si negentur; neque hoc facit à priori per causam proximã, ità vt euadant conclusiones Metaphysicæ, sed per causam remotam deducendo ad impossibile, quod non sufficit ad veram dependentiam principiorum, ac ideò nec ad veram subalternationem.

56 Quæres vltimò. An homo naturaliter scire desideret?

57 Pro resolutione aduertendum est cum D.Tho. 1.p.q. 19. art. 1. ad 2. quod triplex est

est appetitus, seu inclinatio, naturalis, qui sequitur formam naturalem, sensitiuus, qui sequitur cognitionem sensitiuam, & intellectiuus, qui sequitur cognitionem intellectiuam. Primus dicitur naturalis; ex eo quod est à natura, secundus, & tertius elicitus, quia elicitur à potentia presupposita cognitione boni.

58 Respondetur affirmatiuè quoad omnem appetitum. Et probatur primò quoad appetitum innatum, seu naturalem ex D.Th. primò Phys. lect. 10. vbi ait: *verum est bonum intellectus, ad quod naturaliter ordinatur; vnde sicut res cognitione carentes mouentur ad suos fines absque ratione, ità interdum intellectus hominis quadam naturali inclinatione tendit in veritatem, licèt rationem veritatis non percipiat*, ergò intellectus habet appetitum innatum ad scientias.

59 Probatur secundò. Vniuersaliter rationibus D. Tho. 1. Met. lect. 1. vnaquæque res naturaliter appetit suam perfectionem, ad quam est in potentia, sed homo est in potentia ad omnia, nec in actum reducitur, nisi per scientiam, ergò naturaliter appetit scire. Maior probatur, nam hoc pacto materia appetit formam, sicut perfectibile appetit suam perfectionem.

60 Probatur tertiò. Quælibet res naturaliter inclinatur in suam propriam operationem, sicut calidum ad calefacere, sed propria operatio hominis, in quantum homo est intelligere, ergò homo naturaliter inclinatur ad sciendum.

61 Probatur vltimò Quælibet res naturaliter desiderat coniungi suo principio, cum per talem vnionem suam perfectionē acquirat, sed homo nequit vniri suo principio, scilicet, substantiæ intellectuali, nisi per cognitionem, & scientiam, ergò naturaliter inclinatur ad scire, &c.

62 Arguitur primò. Si homines naturaliter appeterent scire, vel hoc esset appetitu innato, vel sensitiuo, vel intellectuali, nullum ex his est dicendum, ergò &c. Probatur Minor quantum ad primam partem, quia aliàs omnia entia naturalia appeterent scire, cum in eis sit appetitus innatus. Quò ad secundam partem probatur; nam quoque omnia animalia irrationalia appeterent scire, cum in eis sit appetitus sensitiuus: Quo ad tertiam partem probatur, quia appetitus rationalis præsupponit actum intellectus, regulatur enim per ipsum, sed actus intellectus est scire, ergò &c.

63 Respondetur quod homines appetunt scire, & cognoscere, vt abstrahit à cognitione sensitiua, & intellectiua respectiuè tùm naturali appetitu, tùm sensitiuo, tùm rationali, qui appetitus non sequuntur diuersas formas, sed vnam, & eandem naturam rationalem, cum plures formæ sint incompossibiles in eodem composito; vnde non sequitur, quod hæc eadem inclinatio naturalis sit in lapidibus, in quibus non est talis proportio, cum in eis appetitus innatus sequatur ad formā omninò immersam in materia, & sensitiua in Brutis, cum in eis sequatur ad animam sensitiuam, quæ non est capax cognitionis sensitiuæ ità perfectæ vt est in homine erit ergò tantum in homine, qui vt propriam perfectionem respicit ipsum scire, & etiam media cognitione intellectiua ipsius tendit in ipsum.

64 Arguitur secundò. Quod naturalitèr à tota specie desideratur à maiori parte indiuiduorum obtinetur, sed maior pars hominum non consequitur scientias, ergò naturaliter à tota specie non desiderantur.

65 Respondetur cum D. Tho. hic lect. 1. & 3. distinguendo Maiorem si per accidens non retrahantur à consecutione finis, concedo Maiorem, secus nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam: Cum ergò adsint multæ difficultates retardantes consecutionem scientiæ, vt sunt labores, occupationes, voluptates, complexio, & pigritia; inde stat quod multi detinentur, ne scientias, quas appetunt consequantur. Ad hoc autem quod talis appetitus dicatur naturalis sufficit quod in aliquibus indiuiduis suum sortiatur effectum, vt patet in mulieribus, quæ habent naturalem inclinationem ad generandam prolem, & tamen plures sunt steriles.

66 Arguitur tertiò. Quod à natura est determinatum ad aliquid non indiget habitu facilitante ad illius assecutionem, sed homo per virtutem studiositatis determinatur ad scire, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 106. art. 1. & 2. ergò &c.

67 Respondetur distinguendo Maiorem, si non retardetur ab aliquo extrinseco, concedo Maiorem, secus, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; Homo ergò à consecutione scientiæ retardatur per passiones, & difficultates occurrentes; & ideò requiritur virtus studiositatis ad hoc vt tendat in illas, sicut etiam ad moderandum appetitum deordinatum, quam deordinationem contraxit per peccatum originale.

68 Arguitur vltimò. Inclinatio naturalis in terminum facit faciliter, & delectabiliter tendere in illum, sed nec faciliter, nec delectabiliter tendimus in acquisitionē scientiarum, ergò non est in nobis inclinatio naturalis.

69 Respondetur eodem modo, per se concedo Maiorem, per accidens, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam; non tendimus ergò in acquisitionem scientiarum facilitèr, & delectabiliter per accidens, scilicet, propter extrinsecas difficultates, & summum laborem, qui requiritur in earum acquisitione, cæterum eis sublatis summa ad esset delectatio, cum in contemplatione Beatitudo consistat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA

De Ordine Cognoscendi quò ad nos.

QVandoquidem homo naturaliter scire desiderat, resoluendus est ordo, quem in sua cognitione naturaliter habet in ordine ad intelligenda prædicata reperta in obiectis. In hac ergò secunda Quæstione tractabimus de ijs, quæ primò se se offerunt intellectui nostro pro hoc statu cognoscenda, præcipuè indagando quodnam sit primò cognitum. Sit ergò.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ab Vniuersalioribus ad minus Vniuersalia in nostra cognitione sit procedendum?

§. I.

Quædam Præmittuntur.

1 PRo resolutione huiùs difficultatis Aduertendum est primò, quod cognitio duplex est, sensitiua vna, intellectiua alia, quarum prima in homine pro hac statu, scilicet dum anima immersa est in materia semper præcedit secundam, quo pacto ait Philosophus, omnis nostra cognitio ortum habet à sensu. In præsenti quærimus de intellectiua, cùm sensitiua singularia tantùm attingat.

2 Aduertendum est secundò, quod cognitio tùm sensitiua, tùm intellectiua duplex est, confusa vna, distincta alia. Prima est illa, qua cognoscitur totum non cognoscendo partes illius. Secunda est illa, qua cognoscitur totum cognoscendo partes illius. Vtraque rursus duplex est, actualis vna, potentialis altera. Prima est illa, qua cognoscitur totum simul cum partibus, quas actu continet, si sit distincta, secus si sit confusa; vt quando cognoscitur homo simul cum ratione animalis, & rationalis, quæ sunt partes, quas actu continet, dicitur cognitio actualis distincta, si verò non cognoscantur tales partes dicitur cognitio actualis confusa. Cognitio potentialis est illa, qua cognoscitur totum simul cum partibus, quas solum in potentia continet, si sit distincta, secus verò si sit confusa. Verbi gratia, cognitio, qua cognoscitur animal simul cum suis speciebus, homine, Leone &c. quas solum in potentia continet dicitur cognitio potentialis distincta, si verò non cognoscantur simul species dicitur cognitio potentialis confusa.

3 Aduertendum est tertiò, quod aliquid potest dici notius dupliciter. Primo secundum se; Secundo quò ad nos. Illud dicitur notius secundum se, quod maiorem cognoscibilitatem passiuam habet, vt explicat D. Th. 1. Phys. lect. 1. cum autem vnumquodque sit cognoscibile in quantum est in actu, illud erit magis cognoscibile quod habebit magis de entitate, & perfectione: vnde primo Deus, deindè Angeli dicenrur notiores secundum se. Illud autem dicitur notius quò ad nos, quod est magis proportionatum nostro intellectui, vnde cum noster intellectus

ctus in cognoscendo sit agens procedens de potentia ad actum, illud erit magis proportionatum, quod fuerit magis potentiale. His suppositis, cum nullum dissidium inter Doctores inueniatur, sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 Conclusio. In nostra cognitione ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia est procedendum. Hæc Conclusio est Philosophi 1. Phys. cap. 1. & D. Th. p. p. q. 85. art. 3.

5 Probatur 1. ex eiusdem doctrina: Connaturale est intellectui nostro à notioribus ad minus nota procedere, sed vniuersaliora sunt magis nota nobis, ergò ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia est procedendum in nostra cognitione; Maior patet, Minor probatur, confusiora sunt nobis notiora, sed vniuersaliora sunt confusiora, ergò vniuersaliora sunt nobis notiora; Minor patet, quia ea sunt confusiora, in quibus plura inuoluuntur, sed in vniuersalioribus plura inuoluuntur, cum plures rationes contineant, vt patet inductiuè in homine, animali, viuente, corpore, substantia, & ente, ergò &c. Maior probatur primò, quia totum quodcumque sit illud est magis confusum, quàm eius partes, & tamen totum est notius suis partibus, ergò &c. Secundò minus determinata sunt magis confusa, sed minus determinata sunt nobis notiora, cùm pueri à principio omnes homines vocent patrem, & omnes fœminas matrem, ergò &c.

6 Probatur 2. ratione D. Th. loco citato. Omne agens procedens de potentia ad actum priùs attingit imperfectiora, quàm perfectiora, sed intellectus noster in cognoscendo est agens procedens de potentia ad actum, ergò priùs debet attingere imperfectiora, quàm perfectiora; Sed vniuersaliora sunt imperfectiora, ergò priùs debet in sua cognitione procedere ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia: Minor subsumpta probatur, nam ea sunt imperfectiora, quæ sunt confusiora, sed vniuersaliora sunt confusiora, cum plura inuoluant, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

7 Arguitur 1. In nostra cognitione à notioribus ad minus nota est procedendum, sed singularia sunt notiora, ergò à singularibus est procedendum. Minor probatur, nam singularia sunt distinctiora, & actualiora, ergò sunt notiora, cum vnumquodq; sit cognoscibile, in quãtũ est in actu.

8 Respondetur distinguo Maiorem à notioribus quò ad nos, concedo Maiorem, secundum se, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque, vt patet ex tertio, Notabili dupliciter aliquid potest esse notius, secundum se, & quo ad nos; In nostra autem cognitione procedere debemus à notioribus quò ad nos, qualia sunt vniuersaliora, & ideò prius ab illis, quàm à singularibus est procedendum.

9 Instabis 1. In nostra cognitione à notioribus quò ad nos est procedendum, sed singularia sunt notiora quò ad nos, ergò à singularibus est procedendum. Probatur Minor, ea sunt notiora quò ad nos, quæ sunt propinquiora sensui, sed singularia sunt propinquiora sensui, ergò singularia sunt notiora quò ad nos. Probatur Maior ex Philosopho 1. post. cap. 2. vbi ait, *quod nobis notiora sunt, quæ sunt propinquiora sensui.*

10 Respondetur nego Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, loquendo de cognitione sensitiua, concedo Maiorem, intellectiua, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Similiter respondetur ad Philosophum, qui tantùm loquitur de cognitione sensitiua, secus enim de intellectiua loquendo oppositum docet loco citato. & 1. Phys. tex. 49. vbi ait; *vniuersale notius est ratione, singulare verò sensu.*

11 Instabis 2. Omnis nostra cognitio intellectiua ortum habet à sensu, ergò ea, quæ sunt propinquiora sensui erunt prius cognita

etiam

etiam cognitione intellectiua, ac ideò si singularia sunt propinquiora sensui, à singularibus ad vniuersalia erit procedendum etiam cognitione intellectiua.

12 Respondetur negando consequentiam; Licèt enim cognitio intellectiua oriatur à sensu, tamen debet in prima cognitione attingere ea, quæ sunt propinquiora intellectui vt procedenti de potentia ad actum, non autem sensui; & quia propinquiora intellectui sunt vniuersaliora, ideò ab illis in cognitione intellectiua est procedendum.

13 Instabis 3. Philosophus immediatè post illa verba subdit: *simpliciter verò notiora* (scilicet secundum se) *quæ à sensu remotiora sunt, ea verò remotiora, quæ vniuersaliora sunt*, ergò sentit quod vniuersaliora sunt notiora secundum se, non quò ad nos, ac ideò ab illis non esse in cognitione procedendum, cum debeamus incipere à notioribus quò ad nos, vtpotè confusioribus.

14 Respondetur explicando Philosophum, & alias loquitur de vniuersalioribus in causando concedo antecedens, in prædicando nego antecedens, & consequentiam. Itaque cum Philosophus dicit, quod vniuersaliora sunt notiora simpliciter, loquitur de substantijs separatis, quæ sunt vniuersaliores in causando, & cum habeant magis de entitate, perfectione, & actualitate, quam minus remota à sensibus, ideò sunt notiora simpliciter, & secundum se; Vniuersaliora autem in prædicando esto sint remotiora à sensibus, quam minus vniuersalia, hæc tamen magis habent de perfectione, & actualitate, illa verò sunt potentialiora, & ideò hæc sunt notiora secundum se, & simpliciter, illa verò quò ad nos.

15 Instabis 4. Vniuersaliora etiam in prædicando sunt perfectiora, ac ideò actualiora, ergò erunt notiora secundum se, ergò ab illis non est procedendum; antecedens probatur, nam vniuersaliora etiam in prædicando sunt magis remota à singularibus, sed singularia sunt, quæ materializant, ac imperficiunt naturam, ergo &c.

16 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Maiorem abstractione totali, concedo Maiorem, formali, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Licèt ergò vniuersaliora sint magis remota à singularibus, non tamen abstrahunt ab illis abstractione formali, sed tantùm totali, quæ vt diximus, parit confusionem in re abstracta, & ideò facit quod vniuersaliora sint magis potentialia, & magis proportionata intellectui procedenti de potentia ad actum.

17 Arguit. 2. Quando Philosophus dicit incipiendum esse ab vniuersalioribus, vel loquitur de cognitione naturali, vel de scientifica, neutrum est dicendum, ergò falsum est; quod incipiendum sit ab vniuersalioribus; Minor quò ad primam partem patet, nam hoc pacto non conduceret ad suum intentum, nimirum ad tradendum methodum, & ordinem cognitionis scientificæ obiecti Philosophiæ; quò ad secundam partem probatur, nam cognitio scientifica est cognitio obiecti per sua principia, sed vt sic non debemus procedere à magis confusis ad minus confusa, cum cognitio scientifica obiecti dependeat à cognitione principiorum, ergò in cognitione scientifica non debemus procedere ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia.

18 Respondetur quod Philosophus loquitur de vtraque; de scientifica ex professo, de naturali incidenter; cum enim eius intentum sit tradere cognitionem scientificam obiecti per suas causas, & principia, ad hoc vt designet ordinem cognoscendi talia principia, ad ordinem cognitionis naturalis recurrit, & asserit quod cum naturale sit, vt a notioribus ad minus nota procedamus, in cognitione principiorum alicuius obiecti à principijs notioribus nobis, qualia sunt vniuersaliora, debemus incipere. Ad id quod vltimò additur, quod cognitio scientifica obiecti dependet à cognitione principiorum; dicimus cum Ioanne à S. Th. quod si fiat comparatio inter principia, & Conclusiones, non debemus procedere à magis confusis ad minus confusa, benè tamen, si fiat comparatio principiorum inter se.

19 Arguitur vltimò, Connaturale est, vt

vt à notioribus nobis ad minus nota procedamus, sed vniuersaliora sunt minus nota nobis, ergò non debemus procedere ab vniuersalioribus: Probatur Minor, nam ea, quæ sunt confusiora sunt minus nota nobis, vt patet, sed vniuersaliora sunt confusiora, ergò &c.

20 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, loquendo de cognitione distincta, concedo Maiorem, de cognitione confusa, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Certum est ergò, quod cognitione distincta sunt magis cognoscibilia ea, quæ sunt minus confusa; cæterum cognitione confusa prius cognosci debent confusiora, cum sint magis proportionata intellectui; & quia cognitio confusa præcedit distinctam, ideò ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia est procedendum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm ens sit Primò Cognitum à nostro Intellectu?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est quod cognitio intellectus duplex est, complexa vna, simplex alia. Prima est illa, qua cognoscit aliquid vnum alteri attribuendo. Secunda est illa, qua aliquod obiectum simpliciter apprehendit. In præsenti quærimus de hac secunda, & non de cognitione distincta, sed confusa, de quibus suprà.

Prima sententia tenet primò cognitum à nostro intellectu pro hoc statu esse singulare. Ità Durandus in p. dist. 3. q. 7. Ocham in 1. dist. 3. q. 5. Burleus, & Buridanus 1. Phys. tex. 4. Fonseca 1. Met. cap. 2. q. 3. sect. 5. Niphus 1. Met. disp. 11. Conimbricenses, Plazza disp. 1. Met. q. 3. & plures alij Neoterici, inter quos acerrimus est Pennaphiel.

Secunda sententia sustinet primò cognitum esse speciem specialissimam, nimirum vltimum, & specificum gradum rei. Ità Scotus cum suis discipulis in 1. dist. 3. q. 2.

Tertia sententia docet primò cognitum à nostro intellectu esse rationem entis. Ità omnes Thomistæ cum suo Angelico Præceptore; Vnde sit,

§. II.

Veritas aperitur.

2 PRima Conclusio: Singulare non est primò cognitum à nostro intellectu pro hoc statu.

3 Probatur 1. ex Philosopho 1. Phys. tex. 20. vbi ait, *sensum esse singularium, intellectum verò vniuersalium*, ergo cum prima cognitio debeat versari circa proprium obiectum, iam primò cognitum non erit singulare. Idem sentit D. Th. q. 10. de Veritate, art. 5. & p. p. q. 85. art. 1.

4 Probatur ratione primò. Prima cognitio intellectus debet versari circa suum proprium obiectum, sed singulare non est proprium obiectum intellectus, ergò singulare non est primò cognitum à nostro intellectu pro hoc statu. Maior patet, Minor probatur, nam obiectum intellectus nostri est quidditas rei materialis, sed hæc est aliquid vniuersale, ergò &c.

5 Probatur 2. Singulare non est directè cognoscibile ab intellectu nostro, sed tantùm reflexè, & per comparationem naturæ vniuersalis ad phantasmata, à quibus fuit abstracta, sed intellectus prius cognoscit id, ad quod directè terminatur, quam id, ad quod reflexè se vertit, ergo singulare non est primò cognitum à nostro intellectu pro hoc statu,

statu. Minor patet, Maior probatur, siquidem singulare non habet in intellectu speciem impressam per se primò repræsentatiuam eius, ad hoc enim datur intellectus agens, vt abstrahat species à phantasmatibus singularibus, & reddat illas proportionatas intellectui possibili, ergò &c.

6 Conclusio 2. Nec species specialissima, nec aliquis alter gradus inferior ad ens, sed solum ipsum ens est primò cognitum à nostro intellectu. Hanc Conclusionem docet D. Th. in Prologo de Ente, & Essentia, & p. p. q. 84. art. 3.

7 Probatur 1. ratione S. D. loco citato p. p. illud est primò cognitum ab intellectu nostro pro hoc statu quod est imperfectius, & confusius, sed vltimus gradus speciei specialissimæ, nec alter gradus inferior ad ens est huiusmodi, benè tamen ipsum ens, ergò nec species specialissima, nec aliquis alter gradus inferior ad ens, sed solum ipsum est ens primò cognitum à nostro intellectu. Minor patet, nam illud est imperfectius, & confusius, in quo plura inuoluuntur, & non explicantur, sed in ente plura inuoluuntur, & non explicantur, quàm in specie specialissima, aut alio gradu inferiori ad ens, ergò &c. Maior probatur, nam omne agens naturale procedens de potentia ad actū prius elicit actum imperfectum, quam perfectum;& si sit cognoscitiuum prius fertur in obiectum imperfectum, quàm perfectum, sed intellectus noster pro hoc statu est agens procedens de potentia ad actum, ergò &c. Minor patet, Maior probatur, nam via generationis, quia agens procedit de potentia ad actum prius generatur forma embrionis, quam forma perfecta,& prius sub gradu vegetatiuo, quàm sub sensitiuo, & rationali, vt constat ex Philosopho 8. Phys. textu 58. & 9. Met. textu 15. Similiter via cognitionis, pueri, vt diximus, prius cognoscunt omnes homines sub ratione confusa, quàm sub ratione determinata; Et qui cognoscit aliquid à longè primò cognoscit vt ens, deinde vt animal, vlterius vt talis species animalis, & vltimò vt indiuiduum determinatum. Quorum omnium ratio est, quia agens procedens de potentia ad actum in primo processu magis proportionatur cum actu imperfecto, quam perfecto;& etiam quia actus imperfectus habet rationem medij, actus verò perfectus rationem finis, via autem executionis prius habetur medium, deindè finis.

8 Respondet Scotus quod potiùs ex hoc quod intellectus sit agens naturale, sequitur quod debeat elicere actum perfectissimum, qualis est cognitio speciei specialissimæ: omne enim agens naturale non impeditum debet elicere effectum perfectissimum, quem potest; vnde cum intellectus sit agens naturale non impeditum, sequitur quod primò debet cognoscere speciem specialissimam.

9 Sed contrà primò. Licèt agens naturale, quando est in actu completo producat effectum perfectissimum, quem potest, tamen quando procedit de potentia ad actum prius debet elicere actum sibi magis proportionatum, sed actus magis proportionatus potentiæ procedenti de potentia ad actum est ille, qui est imperfectior, & confusior, ergò prius debet elicere illum; Minor patet, nam actus imperfectior minus habet de actualitate, & magis de potentia.

10 Contrà 2. Potentia receptiua quando exit in actum recipiendi formam prius recipit illam secundum gradum imperfectum, quam perfectum, & prius actuatur secundum gradum entis, deindè secundum gradum corporis, gradatim vsque ad vltimum specificum, ergò à pari agens naturale procedens de potentia ad actum prius elicere debet actum imperfectum.

11 Contrà 3. In cognitione scientifica prius attinguntur principia vniuersaliora, quam particularia, & ideò primum quod occurrit intellectui est illud vniuersalissimum principium quodlibet est, vel non est, ergò à fortiori in cognitione naturali debemus prius attingere rationem magis vniuersalem, quæ est ratio entis.

12 Contrà 4. ad hominem: Nam ipse Scotus fatetur, quod intellectus noster prius elicit cognitionem confusam, quàm distin-

ctam speciei specialissimæ, sed hoc non alia ratione, nisi quia cognitio confusa est imperfectior distincta, ergò si cognitio entis est imperfectior cognitione speciei specialissimæ prius debet elici illa, quàm ista.

13 Probatur 2. Conclusio: Intellectus nõster procedit ad cognitionem vt informatus, & determinatus per speciem impressam eductam à phantasmatibus, sed hæc prius informat, & determinat intellectum sub ratione entis, quàm sub ratione speciei specialissimæ, ergò intellectus prius cognoscit illam sub ratione entis, ac ideò ens erit primò cognitum; Maior patet, Minor probatur, quia intellectus se habet in ordine ad speciem, sicut materia prima in ordine ad formam, sed forma plures gradus habens prius informat saltem prioritate naturæ materiam sub gradu vegetatiuo, deindè sensitiuo, & tandem rationali, & per consequens genitum prius elicit motum vitæ vegetatiuæ, deindè sensitiuæ, tandem intellectiuæ, ergò pariter quando species impressa repræsentat plures gradus prius informabit intellectum sub gradu communissimo entis, postea substantiæ, & sic vsque ad vltimum gradum speciei specialissimæ, & consequenter intellectus prius cognoscet ens, deindè substantiam, & tandem speciem specialissimam.

14 Probatur 3. ad hominem contrà Scotum. Illud vniuersale, per Scotum, prius mouet intellectum, cuius singulare fortius mouet sensum, sed singulare entis fortius mouet sensum, quàm singulare speciei specialissimæ, ergò ens prius mouebit intellectum, quàm species specialissima, ac ideò ens erit primò cognitum: Maior est ratio ipsius. Minor probatur; illud singulare fortius mouet sensum, quod in Maiori distantia mouet, sed singulare entis in maiori distantia mouet, quàm singulare speciei specialissimæ, ergo singulare entis fortius mouet sensum, quam singulare speciei specialissimæ. Maior patet, ignis enim, qui in maiori distantia calefacit, fortiùs, & efficacius calefacit. Minor verò probatur, nam quando homo à longè videtur prius percipitur vt ens, postea vt animal, deindè vt homo, ergò &c.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

15 **A**Rrguitur 1. contrà primam Conclusionem: intellectus mouetur à phantasmate ad cognoscendum id, quod in phantasmate repræsentatur, sed hoc est singulare, ergò intellectus prius cognoscit singulare, ac ideò hoc erit primò cognitum.

16 Respondetur, distinguo Maiorem, eo modo quo habet rationem sui obiecti formalis concedo Maiorem, secus nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque verum est quod intellectus mouetur à phantasmate ad cognoscendum id quod continetur in illo, sed non eodem modo, quo in eo continetur, sed iuxtà rationem sui obiecti formalis, quæ pro hoc statu est quidditas rei materialis; ex quo patet quod primò cognitum ab intellectu pro hoc statu est quidditas rei singularis, non autem singulare.

17 Instabis 1. Intellectus mouetur à phantasmate, sicut visus à colore, ità vt cum primùm singulare offertur sensui illud intellectus intuitiuè cognoscat, sed de ratione cognitionis intuitiuæ est quod versetur circa singulare formaliter qua tale, ergò primò cognitum ab intellectu est singulare formaliter quà tale. Maior est Philosophi pluribus in locis; Minor probatur, nam de ratione cognitionis intuitiuæ est quod sit circà rem præsentem, & existentem, ergò circà singulare formaliter, cum existere solùm competat singularibus.

18 Respondetur, distinguo Maiorem, dependenter à sensu, concedo Maiorem, independenter à sensu, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Quando ergò intellectus intuitiuè videt obiectum id habet dependenter à sensu, & in quantum continuatur cum illo; clausis autem sensibus, quantumcumque res sint præsentes, intellectus non potest eas intuitiuè cognoscere, quia non possunt earum species de tali præsen-

sensus certificare nisi mediantibus sensibus, & sic attingere rationem singularis formaliter pertinet ad sensum, quidditatem autem cognoscere spectat ad intellectum.

19 Instabis 2. Si Deus infunderet aliquod lumen superius, & species, sicut facit Angelis posset mediantibus illis intuitiuè videre independenter à sensu, ergò posset attingere rationem singularis formaliter qua talis.

20 Respondetur. Concedo totum, sed nihil contrà nos, cum in præsenti loquamur de intellectu pro hoc statu, qui non vtitur nisi speciebus per sensum acquisitis, & ab illo dependentibus.

21 Instabis 3. Cognoscendo intellectus hoc modo quidditatem rei materialis non cognoscit illam nisi per abstractionem à singularibus, sed talis abstractio infert necessariò, quod prius debeant cognosci singularia, ergò semper singulare est primò cognitum. Minor probatur, si enim non cognoscerentur prius singularia, nullatenus posset fieri abstractio vniuersalis ab illis.

22 Respondetur distinguo Maiorem, nisi per abstractionem negatiuam, concedo Maiorem, positiuam, nego Maiorem, sic distincta Minori, negatur consequentia. Intellectus ergò possibilis non cognoscit quidditatem, seu naturam vniuersalem nisi per abstractionem negatiuam, quæ semper præcedit positiuam, sic enim cognoscit per speciem ab intellectu agente productam, quæ representat naturam, & ommittit indiuidua; imò ipsa abstractio positiua licèt inferat cognitionem singularium, tamen non infert quod cognoscantur prius, sed tantùm indirectè, & reflexè, quod non facit singulare esse primò cognitum.

Arguitur 2. Ideò singulare non est primò cognitum, quia nequit directè cognosci ab intellectu, sed hoc est falsum, ergò est primò cognitum. Minor probatur, nam datur species expressa quæ est propria singularis, ergò potest directè cognosci; consequentia patet, antecedens verò probatur, nam de Petro v. g. formamus hunc conceptum, Petrus est albus, ergò &c.

24 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, quæ sit secundaria, concedo antecedens, quæ sit primaria, nego antecedens, & consequentiam. Non ergò sequitur quod singulare esset primò cognitum ex eo quod datur species propria illius, hæc enim secundaria est; prius enim cognoscitur natura in communi, vt per se representata in specie impressa, & postea per quandam reflexionem formatur conceptus representans in actu secundo singulare aduertendo ex quibus singularibus sit sumpta species Leonis potius quàm hominis, & ad quæ singularia possit comparari illa species impressa. Hæc responsio est Parrç. Ioannes autem à S. Thoma contendit S. Doctorem nunquam admittere quod possit dari species expressa, nec etiam secundaria, quæ directè representet singulare, vnde in hac sententia multo magis argumentum diluitur.

25 Arguitur 3. contrà 2. Conclusionem: si ens esset primò cognitum à nostro intellectu maximè quia omne agens procedens de potentia ad actum debet prius peruenire ad actum imperfectum, quàm perfectum, sed hoc est falsum, ergò ens non est primò cognitum. Minor probatur; Sol est agens naturale procedens de potentia ad actum, sed hoc non obstante circà passum debitè applicatum non causat priùs illuminationem imperfectam, & posteà perfectam, sed statim perfectè illuminat, ergò falsum est &c.

26 Respondetur negando Minorem, ad probationem negatur Maior, Sol enim semper est in actu illuminationis, semper enim egrediuntur ab illo radij medijs quibus illuminat, licèt aliquando defectu subiecti non recipiatur in illo Solis illuminatio.

27 Instabis 1. Saltem in primo instanti suæ creationis videtur existe de potentia ad actum, & tamen non peruenit priùs ad illuminationem imperfectam, & posteà perfectam, ergò semper falsum est quod omne agens naturale &c.

28 Respondetur negando consequentiam. Eo quia illuminatio à Sole non fit per veram actionem, sed per naturalem emanationem, id autem quod ab aliquo dimanat in

primo instanti secundum omnem perfectionem ab illo profluit, quod non verificatur de actibus, seu effectibus, qui fiunt per veram actionem, & non per naturalem emanationem; isti enim ab agente procedente de potentia ad actum tali ordine debent fieri, vt priùs imperfecti, & posteà perfecti eliciantur; cum autem actio intellectus sit vera actio, inde stat quod prius debet elicere cognitionem entis, quæ est imperfectissima, quam cognitionem speciei specialissimæ.

29 Instabis 2. Intellectus in cognitione scientifica procedit de potentia ad actum per veram actionem, & tamen priùs elicit actum perfectum, quàm imperfectum, ergò etiam in elicientia veræ actionis priùs potest elici actus perfectus; Minor probatur, nam intellectus in cognitione scientifica priùs elicit assensum præmissarum, quàm assensum Conclusionis, & tamen assensus præmissarum est perfectior assensu Conclusionis, ergò intellectus in cognitione scientifica priùs elicit actum perfectum, quàm imperfectum.

30 Respondetur distinguẽdo consequens, quando actus imperfectus dependet essentialiter à perfecto concedo consequentiam, secus, nego consequentiam. Quando ergò adest essentialis dependentia actus imperfectioris à perfectiori benè potest incipi à perfectiori; sicut in scientijs priùs incipimus à Logica etsò sit omnium difficillima, quia aliæ scientiæ dependent ab ipsa; & similiter natura priùs generat cor etsò perfectius sit cæteris membris propter dependentiam, quam habent ab ipso in motu vitali; Cum ergò in cognitione scientifica assensus Conclusionis dependeat à cognitione præmissarum, inde, stat benè quod intellectus eliciat assensum præmissarum priùs quàm assensum Conclusionis, non sic autem est in cognitione naturali, vnde est dispar ratio.

31 Instabis 3. Etiam cognitio entis dependet à cognitione speciei specialissimæ, ergò priùs intellectus debet elicere cognitionem speciei specialissimæ, quam entis. Antecedens probatur primò, cognitio partis dependet à cognitione totius, sed species specialissima est totum actuale, quod habet ens, & alia prædicata vniuersalia tamquam partes, ergo &c. Secundò probatur, cognitio distincta supponit confusam, & ab ea dependet, sed cognitio speciei specialissimæ est confusa, cognitio entis est distincta cum illa sit cognitio totius, ista verò partis, ergò &c.

32 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Maiorem, in ratione partis, concedo Maiorem, absolutè, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo. Solutio est D. Th. p. p. q. 85. art. 3. ad 3. vbi dicit, quod *pars aliqua dupliciter potest cognosci. Vno modo absolutè secundum quod in se est, & sic nihil prohibet priùs cognoscere partes, quam totum, vt lapides, quam domum. Alio modo secundum quod sunt partes huius totius, & sic necesse est quod prius cognoscamus totum, quam partes; prius enim cognoscimus Domum quadam confusa cognitione, quam distinguamus singulas partes eius. Sic igitur dicendum est quod diffinientia absolutè considerata sunt prius nota, quam diffinitum, alioquin non notificaretur diffinitum per ea, sed secundum quod sunt partes diffinitionis, sic sunt posterius nota.* Si ergò ens sumatur in ratione partis vtique dependet à cognitione speciei specialissimæ; Cæterum si sumatur absolutè, & secundum se præcisè non dependet à cognitione ipsius, imò petit esse primò cognitum, vtpotè omnes gradus in se confundens, & actu includens. Hinc patet responsio ad secundam probationem, cognitio enim entis in ratione partis est vtique distincta, non verò si cognoscatur absolutè, & ità ens erit primum cognitum, loquendo tamen de primo cognito vt quo, si enim loquamur de primo cognito vt quod, est species specialissima.

33 Instabis 4. Quando cognoscitur ens in prima cognitione, vel cognoscitur contractum, & concretum prædicatis inferioribus, vel abstractum ab illis, neutro modo potest esse primum cognitum, ergò ens nullo modo est primò cognitum. Minor patet quò ad primam partem, nam ens vt concretum non

cognoscitur sub ratione entis, sed sub ratione alterius prædicati; quò ad 2. partem probatur; Cognitio entis in abstracto est omnium postrema, ergò neque hoc pacto ens potest esse primum cognitum; antecedens probatur, illud priùs cognitione abstractiua ab intellectu cognoscitur quod est facilioris abstractionis, sed ens est difficillimæ abstractionis, species autem specialissima est facilioris abstractionis, ergò cognitio entis hoc pacto est omnium postrema; Minor probatur, quia singularia entis sunt valde dissimilia, singularia verò speciei specialissimæ sunt similiora, sed à magis similibus fit facilior abstractio, ergò &c.

34 Respondetur quod cognoscitur ens vt concretum quidditati sensibili, sed vt abstractum ab alijs prædicatis inferioribus accipiendo in ipso rationem confusiorem, vel communiorem secundum se, quæ est magis imperfecta, & potentialis. Ad probationem nego antecedens, ad probationem nego Minorem, ad eius probationem distinguo Minorem, positiua, concedo Minorem, negatiua, nego Minorem, & consequentiam. Licèt ergo à magis similibus fit facilior abstractio positiua, quæ fit cum habitudine superioris ad inferiora, tamen non est facilior abstractio negatiua, hæc enim æquè faciliter fit à quibuscumque singularibus cuiuscumque naturæ, vnde incipere debet à confusioribus, & magis proportionatis intellectui procedenti de potentia ad actum, sicut est ens.

35 Arguitur quartò. Causa naturalis non impedita primò producit effectum perfectissimum, quem potest, sed intellectus in intelligendo est causa naturalis non impedita, ergò primò producit effectum perfectissimum quem potest, sed iste est cognitio speciei specialissimæ, ergò species specialissima est primò cognita à nostro intellectu. Minor subsumpta probatur, quia si effectus perfectissimus intellectus esset cognitio entis, nunquam posset peruenire ad cognitionem speciei specialissimæ, sed hoc est absurdum, ergò cognitio speciei specialissimæ est effectus perfectissimus, quem potest intellectus producere. Secundò, quia cognitio minùs confusa est cognitio perfectior, sed cognitio speciei specialissimæ est minùs confusa, quàm cognitio entis, ergò &c.

36 Respondetur primò cum Caietano distinguo Maiorem, pro illo statu, in quo reperitur, & iuxtà suam capacitatem, concedo Maiorem, absolutè, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo, & distincta etiam Minori subsumpta, nego vltimam consequentiam. Causa ergò naturalis non impedita debet producere effectum perfectissimum, quem potest pro illo statu, in quo reperitur, & iuxtà suam capacitatem, non verò absolutè; vnde cum intellectus noster in prima cognitione sit in statu potentialitatis, & habeat debilissimum lumen, inde fit quod solùm potest producere cognitionem entis, quæ est confusissima. Imò instatur ad hominem contrà Scotum, quamuis enim intellectus sit agens naturale non impeditum, non tamen, in eius sententia, priùs exit in cognitionem distinctam alicuius obiecti, quam in confusam, & tamen certum est cognitionem distinctam esse perfectiorem confusa. Hinc patet solutio ad probationem in contrarium; potest enim intellectus exire in cognitionem speciei specialissimæ, quia cognitio entis est perfectissimus effectus non absolutè, sed comparatiuè ad illum statum, in quo reperitur, & iuxtà capacitatem intellectus procedentis de potentia ad actum.

37 Respondetur secundò cum Lerma distinguo Maiorem, si non procedat de potentia ad actum, concedo Maiori, secus nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Verum est ergò quod causa naturalis non impedita quando non procedit de potentia ad actum, quod elicit effectum perfectissimum quem potest, vt patet in Angelis; quando autem procedit de potentia ad actum, hoc non facit, vt patet etiam in ipsa natura, quæ prius producit embrionem, & deinde corpus perfectum; cum autem intellectus noster procedat de potentia ad actum, hinc fit quod in prima cognitio-

ne

ne non debet elicere effectum perfectissimum, quem potest.

38 Instabis primò. Licèt intellectus vtpotè agens procedens de potentia ad actum debeat prius elicere actum imperfectum, quàm perfectum, non tamen sequitur, quod cognitione confusa actuali debeat attingere rationem entis, ergò nunquam ens erit primò cognitum. Antecedens probatur, ens non potest attingi cognitione confusa actuali, ergò nequit esse primò cognitum cognitione confusa actuali. Probatur antecedens, illud quod habet conceptum simplicem excludentem quamcumque compositionem siuè Physicam, siuè Metaphysicam nequit cognosci cognitione confusa actuali, sed huiusmodi est ens, ergò &c. Minor patet, siquidem conceptus entis est irresolubilis, & transcendens quamlibet formalitatem, ac ideò nullam faciens compositionem; Maior probatur, nam cognitio confusa actualis est illa, qua cognoscitur totum ignoratis partibus, quas actu includit; sed illud, quod habet conceptum simplicem excludentem quamlibet compositionem non habet partes, ergò nequit cognosci cognitione confusa actuali.

39 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego antecedens, ad probationem nego Maiorem, ad probationem distinguo Minorem, non habet partes cum quibus faciat compositionem, concedo Minorem, de quarum essentia sit, nego Minorem, & consequentiam. Licèt ergo ens non habeat partes, cum quibus faciat compositionem, habet tamen partes, scilicet, substantiam, & accidens de quarum essentia est; & sic Caiet. de ente, & essentia quæst. prima contrà Scotum probat ens posse cognosci cognitione confusa actuali, quia quandocumque intellectus fertur in ens nesciendo illud separare à substantia, & accidente, & non cognoscendo per quid ens distinguatur à substantia, & accidente, habet de ente cognitionem confusam actualem, vnde cum hoc sepè sæpius accidat, sunt enim multi in studijs exercitati, qui nesciunt illud distinguere, inde stat quod ens estò habeat conceptum simplicem excludentem quamcumque compositionem, tamen potest cognosci cognitione confusa actuali.

40 Instabis secundò. Tunc cognoscitur aliquid cognitione confusa actuali, quando non penetrantur partes, quarum vna sit ratio generica, alia differentialis, sed ens nullam rationem genericam habet, ergò ens non est cognoscibile cognitione confusa actuali; Minor patet, Maior verò probatur, tunc homo cognoscitur cognitione confusa actuali, quando non cognoscitur ratio animalis, & rationalitas, quas actu includit, sed ratio animalis est ratio generica, rationalis verò est ratio differentialis, ergò &c.

41 Respondetur distinguo Maiorem, si illud sit vniuocum, concedo Maiorem, si sit analogum, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; Quando ergo totum quod cognoscitur est vniuocum, tunc cognoscitur cognitione cõfusa actuali, quando non cognoscitur ratio generica, & differentialis in illo inclusa. Cæterum si sit analogum, sicuti est ens sufficit quod non penetretur id, per quod distinguitur à substantia, & accidente, sicut tunc cognoscitur cognitione actuali distincta, quando penetratur id, per quod distinguitur ab illis.

42 Arguitur secundò. Illud vniuersale prius cognoscitur à nostro intellectu, cuius singulare fortius mouet sensum, sed singulare speciei specialissimæ fortius mouet sensum, quàm singulare entis, ergò species specialissima, & non ens erit primò cognitum à nostro intellectu; Maior patet, cognitio enim nostri intellectus ortum habet à sensu; Minor verò probatur primò, quia singulare in quantum singulare mouet sensum, cum sit obiectum illius, ergò magis singulare magis, & fortius mouebit sensum; sed singulare speciei specialissimæ est magis singulare, cum sit magis determinatum, quàm singulare entis, ergò singulare speciei specialissimæ fortius mouet sensum. Probatur secundò. Illud singulare fortius mouet sensum quod est actualius, sed singulare speciei spe-

ſpecialiſſimæ eſt actualius, cum addat actualitatem, & determinationem ad alia ſingularia, ergò ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ fortius mouet ſenſum, quàm ſingulare entis.

43 Reſpondetur primò negando Minorem, ad probationem diſtinguo antecedens, ſi ly in quantùm reduplicet conditionem ſine qua non, concedo antecedens, ſi reduplicet rationem formalem, nego antecedens, & conſequentiam. Licèt ergò ſingulare in quantum ſingulare moueat ſenſum ly in quantum dicente conditionem ſine qua non, quia cum ſenſus ſit potentia materialis non poteſt attingere vniuerſale, ratio tamen formalis mouendi ſenſum non eſt ipſa ſingularitas, ſed ratio ſpecifica ipſius, puta coloratum reſpectu viſus, & ità non ſequitùr quod magis ſingulare fortius moueat ſenſum, ſed quod magis participat rationem ſpecificam ipſius, patet enim quod hoc coloratum fortius mouet ſenſum, quam hoc album, cum in Maiori diſtantia moueat, & tamen hoc album eſt magis ſingulare, quàm hoc coloratum; Et ità retorquetur argumentum ratione adducta in probatione concluſionis. Ad ſecundam probationem diſtinguo Maiorem, abſolutè concedo Maiorem, in primo actu, nego Maiorem, & conceſſa Minori, nego conſequentiam. Cum enim ſenſus etiam procedat de potentia ad actum, inde in primo actu mouetur ab illo ſingulari, quod eſt communius, & ideò magis ſibi proportionatum, non verò ab eo quod eſt actualius.

44 Reſpondetur ſecundò ad argumentum, quod illud vniuerſale debet eſſe primò cognitum, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum, & cuius intellectus eſt capax in prima cognitione, cum autèm intellectus in prima cognitione ſit tantum capax cognitionis entis, non verò ſpeciei ſpecialiſſimæ, inde ſtat quod ens, non verò ſpecies ſpecialiſſima debet eſſe primò cognitum.

45 Arguitur vltimò. Si ens eſſet primò cognitum ſequeretur, quod intellectus non poſſet pertingere ad cognitionem ſpeciei ſpecialiſſimæ, niſi præcognitis omnibus alijs gradibus intermedijs, ſed hoc videtur abſurdum, ergò ens nequit eſſe primò cognitum; Minor patet, nam ſequeretur quod multum temporis conſumeretur antequam perueniretur ad cognitionem ſpeciei ſpecialiſſimæ, quod eſt contrà experientiam; ſequela maioris probatur, nam ideò ens eſſet primò cognitum, quia eſt vniuerſalius, ſed omnes gradus intermedij ſunt vniuerſaliores ipſa ſpecie ſpecialiſſima, ergò ſi ens, &c.

46 Reſpondet Caietanus negando ſequelam maioris, tenet enim quod intellectus tantùm debet incipere ab ente, quia eſt forma quædam vniuerſaliſſima intellectus, ſicut forma corporeitatis eſt forma generaliſſima materiæ primæ, vnde ſicut inter formam corporeitatis, & alias formas eſt ordo eſſentialis, ità vt illam omnes ſupponant, non verò vltima ſupponat intermedias; ità etiam inter ens, & alios gradus eſt eſſentialis ordo in cognitione, vt omnes ſupponant illud tamquam primò cognitum, inter alios verò gradus non eſt neceſſarius ordo, vt vltimus debeat ſupponere intermedios, & ità cognito ente intellectus poteſt immediatè cognoſcere ſpeciem ſpecialiſſimam. Sed

47 Contrà nam exemplum adductum eſt contrà ipſum. Forma enim corporea v.g. Equi actuat materiam primam cum tali ordine, ita vt det prius gradum entis, deinde corporis, poſtea viuentis, & denique ſenſitiui, ità vt ſit impoſſibile quod præbeat vltimum gradum, quin prius præbuerit priores, ergò idem dicendum eſt de omnibus gradibus Metaphyſicis inter ſe; antecedens patet, conſequentia probatur, nam eo modo ſpecies impreſſa actuat intellectum, quo forma actuat materiam primam, ergò eundem ordinem eſſentialiter ſeruabunt gradus reſpectu intellectus, quem ſeruant formæ reſpectu Materiæ primæ.

48 Reſpondetur ergò ad argumentum cum Maſio, Parra, Ortiz, & Lerma, qui tamen vtramque reſponſionem approbat, quod vtique quando intellectus primò exit de potentia ad actum operatur vt agens naturale, ac proinde debet ſeruare prædictum ordinem incipiendo ab ente, vtpotè imperfecto,

cto, & deinde per gradus intermedios descendere vsque ad speciem specialissimam, sed tamen in hoc non est necesse multum temporis consumere, sed in eodem instanti temporis omnes potest attingere cum prædicto ordine; sicuti patet in forma, quæ in eodem instanti præbet omnes gradus materiæ primæ, & tamen seruat ordinem præfixum. Quando autem intellectus iam est actuatus specie repræsentante omnes gradus, poterit à voluntate applicari ad cognoscendum quem voluerit nam tunc procedit vt agens liberum, non verò vt naturale, semper tamen debet incipere à gradu entis, quia est forma generalissima, & proprium obiectum intellectus, in quo sensu si loquitur Caietanus non dissentimur ab illo.

49 In fine articuli aduertendum est quod ordo scientiarum debet proportionari ordini cognoscibilium à nostro intellectu cognitione distincta, non verò confusa, vnde non sequitur quod si Metaphysica quæ agit de ente est omnium scientiarum postrema, ità etiam ens debeat esse vltimò cognitum loquendo de cognitione confusa, estò id verum sit de cognitione distincta. Et licèt ens pro vt stat sub abstractione ab omni materia positiuè sit perfectissimum, sic enim specificat Metaphysicam omnium scientiarum Reginam, tamen pro vt attingitur cognitione actuali confusa est omnium gradnum imperfectissimum, & ideò potest esse primò cognitum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum primò cognitum sit ens concretum quidditati sensibili?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

50 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est quod intellectus noster pro hoc statu ad hoc vt cognoscat aliquod obiectum debet priùs in se recipere speciem impressam illius, quæ habet produci ab intellectu agente abstrahente illam à phantasmatibus, quæ erant in sensibus; Vnde etiam in prima cognitione cognoscit dependenter à phantasmatibus attingendo obiectum, quod priùs fuerat cognitum per sensum, qua ratione dicitur, quod omnis nostra cognitio ortum habet à sensu. Hoc autem obiectum primò cognitum vt quod non controuertitur esse speciem specialissimam, cum debeat esse aliquod determinatum, sed in hoc lis maximè viget, quam in articulo antecedenti discussimus, quod cum in hac specie specialissima plures gradus reperiantur, nempè entis, substantiæ, corporis, viuentis, animalis, & hominis, meritò dubitauimus quisnam ex his gradibus primò occurrat intellectui; & modo quærimus supposito quod sit ens, an ipsum sit ens in tota sua latitudine sumptum, vel potius concretum quidditati sensibili, & loquimur eodem modo de cognitione confusa actuali, & de intellectu pro hoc statu.

Prima sententia tenet primum cognitum esse ens in tota sua latitudine sumptum. Ità Soto 1. Phys. q. 2. art. 2. Masius in præsenti. Lerma lib. 1. q. 3. & alij.

Secunda sententia docet primò cognitum esse ens concretum quidditati sensibili. Ità Caietanus de Ente, & Essentia q. 1. & p. 1. q. 81. art. 3. Arauio 1. Met. q. 1. art. 1. Ioannes à S. Thoma 1. Phys. q. 1. art. 3. Ortiz tract. 1. Procem. ad Phys. Conf. 3. Parra lib. 1. Phys. disp. 1. & alij. Vnde sit,

§. II.

§. II.

Veritas aperitur;

2 Conclusio. Primò cognitum à nostro intellectu pro hoc statu est ens concretum quidditati sensibili.

3 Probatur primò ex D.Tho. p. 1. q. 87. art. 3. ad 1. vbi sic ait. *Dicendum quod obiectum intellectus est commune quoddam, scilicet, ens, & verum, sub quo comprehenditur etiam ipse actus intelligendi, vnde intellectus potest suum actum cognoscere, sed non primò, quia nec primum obiectum intellectus nostri secundum præsentem statum est quodlibet ens, & verum, sed ens, & verum consideratum in rebus materialibus, vt dictum est, ex quibus in cognitionem omnium aliorum deuenit.* Item q. 88. art. 3. in fine, inquit, *quod primum quod intelligitur à nobis secundum statum præsentis vitæ est quidditas rei materialis, ergo &c.*

4 Respondent contrarij quod ideò S.Th. dicit quod quidditas materialis, & ens, & verum consideratum in rebus materialibus est primum obiectum intellectus, vt denotet ens abstrahens à materiali, & spirituali esse quidem primò cognitum, sed inadæquatè vt scilicet includitur in natura materiali, vel quatenus illam connotat.

5 Sed contrà cum Parra. Implicat dicere quod ens vt sic attingitur inadæquatè, & secundum quod includitur in natura materiali, & quod attingatur vt abstrahens, ergò ruit solutio; antecedens probatur, nam ens non præscindit ab inferioribus, nec dicit prædicatum obiectiuum distinctum ab illis, ergo si attingitur vt includitur tantum in natura materiali, iàm est ens concretum quidditati sensibili, si autem attingitur vt abstrahens, ergò iam attingitur vt actu includit ens materiale, & spirituale.

6 Contrà secundò. Nam si hoc verum esset posset quis dicere, quod etiam ens abstrahens à naturali, & supernaturali esset primò cognitum, sed hoc est falsum, cum sit obiectum improportionatum, ergò & primum; sequela maioris probatur, nam sicut ens materiale confunditur, & proportionatur cum ente spirituali, ità ens naturale confunditur, & proportionatur cum ente supernaturali.

7 Respondent alij mentem D. Tho. esse quod quidditas rei materialis est primum cognitum non taliter, quod materialitas intret in recto, & per se vt res representata, sed tantùm in obliquo, & per modum conditionis.

8 Sed contrà primò cum eodem. Licèt materia singularis intret in obliquo, vt terminus à quo abstrahitur species, & per accidens, tamen materia communis, & intelligibilis intrat per se, & vt primò repprentata, ergò D.Th. sentit quod quidditas rei materialis in recto est primum cognitum; probatur antecedens, licèt species, qua informatur intellectus abstrahat à materia singulari, & illam respiciat vt terminum à quo, non tamen abstrahit à materia communi, & intelligibili; sic enim nullo modo distinguitur ab ente spirituali.

9 Contrà secundò. In illa specie non repprefentatur ens spirituale, cum sit improportionatum, ergò solum ens materiale, & concretum quidditati sensibili, & consequenter hoc solum erit primò cognitum; probatur consequentia, quia si non repprefentaretur tantum ens concretum, sed abstrahens iam repprefentaretur etiam ens spirituale, vt enim hoc continet, ens vt sic est superius ad materiale.

10 Probatur ratione primò. Primum cognitum ab intellectu nostro pro hoc statu debet esse obiectum proportionatum cum illo, sed ens abstrahens à materiali, & spirituali non est obiectum proportionatum cum intellectu, sed ens materiale præcisè, ergò primum cognitum non est ens abstrahens à materiali, & spirituali, sed ens materiale præcisè. Minor probatur, illud obiectum est proportionatum intellectui nostro pro hoc statu, quod valet repprefentari per speciem, qua informatur per abstractionem intellectus agentis, sed huiusmodi species nequit repprefentare ens abstrahens à mate-

F ria-

riali, & spirituali, sed ens materiale præcisè, ergò &c. Probatur Minor primò, nam munus intellectus agentis est denudare singularitatem à natura, quæ est in phantasmate, sed in phantasmate solum continetur natura materialis, & sensibilis, non verò abstrahens à materiali, & spirituali, ergò huiusmodi species nequit reppresentare ens abstrahens à materiali, & spirituali. Probatur secundò eadem Minor; si species educta à phantasmatibus reppresentaret ens abstrahens à materiali, & spirituali, sequeretur quod posset ab intellectu nostro cognosci ens spirituale per propriam speciem, & quidditatiuè, non verò tantum connotatiuè, sed hoc est absurdum, ergò huiusmodi species nequit reppresentare ens abstrahens à materiali, & spirituali, sed ens materiale præcisè; sequela Maioris probatur. Nam quoties aliqua species per se primò reppresentat rationem superiorem, per se primò etiam reppresentat aliquod prædicatum essentiale inferius, ergò si illa species per se primò reppresentaret ens vt sic, reppresentant entitatem quæ est de essentia entis spiritualis, & sic ens spirituale posset quidditatiuè cognosci per propriam speciem saltem sub ratione entitatis spiritualis, & non tantum connotatiuè.

11 Probatur secundò. Primum cognitum à nostro intellectu pro hoc statu nequit esse ens spirituale, ergò neque ens abstrahens à materiali, & spirituali; antecedens patet, nam cognoscitur tantùm connotatiuè; consequentia verò probatur. Nam si species ab intellectu agente producta reppresentaret primò, & per se ens abstrahens à materiali, & spirituali reppresentaret quoque primò, & per se ens spirituale, ergò si hoc nequit esse primum cognitum, neque erit ens abstrahens à materiali, & spirituali; antecedens probatur, data specie proportionata in nostro intellectu, quæ primò, & per se reppresentet gradum animalis, primò, & per se reppresentaret quoque animaleitatem equi, & hominis, & per eandem posset quidditatiuè cognosci, ergò à fortiori data specie, quæ primò, & per se reppresentet ens abstrahens à materiali, & spirituali etiam reppresentabitur primò, & per se quidditas rei spiritualis vt spiritualis est, & per eandem poterit quidditatiuè cognosci; antecedens patet, consequentia probatur, nam animalitas obiectiuè præscindit à differentijs contractiuis equi, & Leonis, entitas verò non abstrahit obiectiuè ab inferioribus, sed illa actu includit, ergò potior ratio currit de secundo, quàm de primo.

12 Respondent contrarij hinc solum conuinci ens vt sic non esse primum cognitum vt quod, non verò vt quo, idest quod non attingatur ens materiale prius sub ratione entitatis præcisè, secundum quam confunditur cum ente spirituali.

13 Sed contrà primò; obiectum quod proportionatum intellectui pro hoc statu est ens materiale, ergò obiectum quo erit ipsa materialitas, non verò entitas abstrahens à materiali, & spirituali; antecedens patet, & consequentia probatur, obiectum quo constituit obiectum quod proportionatum, ergò ipsum à fortiori debet esse magis proportionatum, sed non posset esse nisi esset ipsa materialitas, non verò entitas abstrahens à materiali, & spirituali, ergò si obiectum quod proportionatum intellectui pro hoc statu est ens materiale, obiectum quo erit ipsa materialitas, non verò entitas abstrahens.

14 Contrà secundò. Quia obiectum potentiæ sensitiuæ est aliquid sensibile, etiam id quo est obiectum est aliquid sensibile, ergò si obiectum proportionatum intellectui nostro pro hoc statu est ens materiale, etiam id quo est proportionatum debet esse materiale.

15 Contrà tertiò. Ens non est proportionatum intellectui pro hoc statu vt abstrahit à spirituali, & materiali, aliàs ens spirituale non esset positiuè improportionatum, ergò ratio sub qua non debet abstrahere à spirituali, & materiali, sed præcisè debet esse materialis; ratio enim sub qua est illa, quæ reddit obiectum proportionatum.

Probatur vltimò. Cognitio intellectiua pro hoc statu essentialiter dependet à sensitiua,

tiua, ergò nequit ferri niſi in obiectum proportionatum illi per ſenſum, ſed hoc eſt tantùm ens materiale, non verò abſtrahens à materiali, & ſpirituali, ergò pro hoc ſtatu nequit directè cognoſcere niſi ens materiale, ac ideò primum cognitum ſolum poteſt eſſe ens materiale; antecedens patet, & conſequentia probatur; quia potentia volitiua eſſentialiter dependet ab intellectu non poteſt ferri in obiectum, quod non ſit illi propoſitum per intellectum, ergò ſi cognitio intellectiua pro hoc ſtatu eſſentialiter dependet à ſenſitiua nequit ferri niſi in obiectum proportionatum illi per ſenſum.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

16 Arguitur primò. Intellectus noſter vtpotè procedens de potentia ad actum in prima cognitione debet attingere id quod eſt vniuerſalius, confuſius, & imperfectius; ſed huiuſmodi eſt ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali; ergò ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali erit primò cognitum à noſtro intellectu.

17 Reſpondetur diſtinguo Maiorem, ſi ſit illi proportionatum pro hoc ſtatu, concedo Maiorem, ſecus nego Maiorem, & diſtincta eodem modo minori, nego conſequentiam. Intellectus ergò noſter vtique in prima cognitione debet attingere id quod eſt vniuerſalius, confuſius, & imperfectius, ſed tamen intrà ſphæram obiecti proportionati cum illo pro hoc ſtatu; cùm autem ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali non ſit obiectum proportionatum pro hoc ſtatu, hinc eſt quod eſſe non poteſt primum cognitum.

18 Inſtabis primò. Ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali eſt proportionatum intellectui etiam pro hoc ſtatu; aliunde eſt vniuerſalius, confuſius, ac imperfectiùs, ergò debet eſſe primum cognitum; antecedens probatur; illud eſt obiectum proportionatum cum intellectu noſtro pro hoc ſtatu, quod conuenit cum illo in modo eſſendi, ſed ità ſe habet ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali, ergò ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali eſt proportionatum intellectui etiam pro hoc ſtatu; probatur Minor. Intellectus etiam pro hoc ſtatu licèt ſit immerſus in materia, tamen eſt entitatiuè ſpiritualis, ergò ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali conuenit in modo eſſendi cum intellectu noſtro pro hoc ſtatu.

19 Reſpondetur negando antecedens, ad probationem diſtinguo Maiorem, in ratione entis, nego Maiorem, in ratione potentiæ cognoſcitiuæ, concedo Maiorem, & diſtincta eodem modo Minori, nego conſequentiam. Illud ergo eſt proportionatum intellectui noſtro pro hoc ſtatu, quod conuenit in modo eſſendi cum illo, non quatenus conſideratur in ratione entis, ſed in ratione potentiæ cognoſcitiuæ; cum autem intellectus in ratione potentiæ cognoſcitiuæ ſolum conueniat cum ente concreto quidditati ſenſibili, cum in cognoſcendo dependeat à phantaſmatibus, inde ſtat quod ſolum iſtud proportionatur intellectui pro hoc ſtatu, ac ideò eſt primò cognitum.

20 Inſtabis ſecundò. Intellectus etiam in ratione potentiæ cognoſcitiuæ conuenit cum ente abſtrahente à materiali, & ſpirituali, ergò ens abſtrahens à materiali, & ſpirituali eſt proportionatum intellectui pro hoc ſtatu, ac ideò eſt primò cognitum; antecedens probatur: ſi non conueniret maximè quia ſpecies impreſſa, vtpotè educta à phantaſmatibus, ſolum repræſentat ens materiale, ſed hoc eſt falſum, ergò intellectus etiam in ratione potentiæ cognoſcitiuæ conuenit cum ente abſtrahente à materiali, & ſpirituali. Minor probatur, etiamſi phantaſma ſit materiale in eſſendo, tamen ex vi intellectus agentis educitur ab eo ſpecies immaterialis in eſſendo, ergò etiam ſi phantaſma ſit materiale in repræſentando, tamen ab eo educi poteſt ſpecies immaterialis in repræſentando, ac ideò non repreſentabit tantùm ens materiale.

21 Reſpondetur negando antecedens, ad probationem nego Minorem, ad probationem nego conſequentiam, & diſparitas eſt, quia ſpecies habet immaterialitatem in eſſen-

do ex vi abstractionis intellectus agentis, qui cum sit spiritualis præbet immaterialitatem ipsi speciei, repptesentare verò habet ab ipso phantasmate, in quo continetur, cum hoc sit Idolum obiecti ad extrà, & ideò non stat quod si hoc est materiale in repprefentando, illa in repptesentando fit immaterialis.

22 Instabis tertiò. Licèt species habeat repprefentare dependenter ab ipso phantasmate, tamen stat quod illud sit singulare in repprefentando, & nihilominus species in repprefentando sit vniuersalis, ergò à pari licèt phantasma sit materiale in repprefentando, tamen species poterit esse immaterialis.

23 Respondetur negando consequentiam. Et disparitas est quia singularitas in repprefentando impedit cognoscibilitatem, quilibet enim intellectus ad hoc vt intelligat obiectum debet saltem abstrahere illud à materia singulari, materialitas autem in repprefentando non impedit cognoscibilitatem, quia non est necesse quod obiectum abstrahat à materia communi, imò ad hoc vt cognoscatur quidditatiuè, & directè pro hoc statu illam debet concernere.

24 Instabis quartò. Phantasma non solum repprefentat hoc animal, sed etiam hoc ens, ergò sicut potest abstrahi species repprefentans animal in communi abstrahens à rationali, & irrationali, ità poterit abstrahi species repprefentans ens in communi abstrahens à materiali, & spirituali.

25 Respondetur negando consequentiam. Et disparitas est, quia ens non constituit gradum obiectiuè, præcisum à modis, animal verò dicit gradum præcisum obiectiuè à speciebus, & ideò non potest abstrahi species repprefentans ens in communi abstrahens à materiali, & spirituali, benè verò potest abstrahi species repprefentans animal in communi abstrahens à rationali, & irrationali, nam species entis in communi deberet quidditatiuè, & directè repprefentare ens spirituale quod actu includitur in ente, & à quo ens non præscindit.

26 Instabis quintò. Licèt phantasma non repprefentet substantiam sed solum accidentia sensibilia, tamen species abstracta ab intellectu agente directè, & quidditatiuè repprefentat quidditatem substantiæ materialis, ergò & si ens in communi non repprefentetur in phantasmate, potest tamen repprefentari in specie educta ab illo.

27 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est quia substantia repprefentatur in phantasmata saltem vt sensibilis per accidens, quatenus repprefentat accidentia, vt sunt virtutes substantiæ materialis, & sic benè intellectus agens posset educere à phantasmate speciem quidditatiuè repprefentantem substantiam materialem; nam quod se habet per accidens respectu sensus, se habet per se respectu intellectus. Ens autem in communi nullo modo nec per se, nec per accidens repprefentatur in phantasmate, sicut nec ens spirituale, & ideò sicut species ab illo educta non repprefentat directè ens spirituale, ità nec ens in communi repprefentabit.

28 Instabis vltimò. Etiam si in specie visus ouis non repprefentetur inimicitia Lupi; potest tamen formari ab æstimatiua ouis species repprefentatiua innimicitiæ Lupi, ergò etiamsi in specie phantasmatis non repprefentetur ens in communi, poterit tamen illud repprefentare species intelligibilis; antecedens patet, hac enim ratione viso Lupo ouis statim fugit; consequentia verò probatur; quia sicut intellectus dependet à phantasmate, ità æstimatiua dependet à sensu, ergo &c.

29 Respondetur negando consequentiam. Et disparitas est, quia inimicitia, quam habet Lupus cum oue verè reperitur in specie visus, quia hæc fundatur in natura Lupi vt contraria naturæ ouis, & ideò potest formari ab æstimatiua species repprefentatiua inimicitiæ Lupi; in phantasmate autem nullo modo continetur ens vt sic in communi, & ideò nequit ab intellectu formari species, quæ illud repprefentet. Videatur D. Tho. p. 1. q. 78. art. 4. Vltrà quam quod retorquetur argumentum, sicut enim æstimatiua elicit tertiam speciem insensatam repprefentatiuam inimicitiæ Lupi, ac proinde

dè in primâ cognitione illam non cognoscit, ità intellectus solùm potest elicere tertiam speciem repræsentatiuam entis vt sic, ac ideò illud in prima cognitione non cognoscet.

30 Arguitur 2. Quælibet potentia debet habere primum actum circà suum obiectum specificatiuum, sed obiectum specificatiuum intellectus etiam pro hoc statu est ens in communi abstrahens à materiali, & spirituali, ergò debet habere primum actum circà illud, ac ideò tale ens est primò cognitum.

31 Respondetur distinguo Maiorem, proportionatum, concedo Maiorem, improportionatum, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Primus ergò actus intellectus debet versari circà suum obiectum specificatiuum, sed tamen proportionatum; Deus enim, & substantiæ spirituales sunt intra obiectum specificatiuum intellectus, & tamen non solùm non possunt primò cognosci, sed nec etiam quidditatiuè; vnde cognoscuntur tantùm connotatiuè pro hoc statu ad res materiales, quod idem est dicendum de ente in communi, cum tàm illæ, quàm illud sint obiectum improportionatum.

32 Instabis 1. Ens in communi sumptum non est obiectum improportionatum, ergò potest esse primò cognitum; antecedens probatur. Intellectus pro hoc statu potest cognoscere ens in communi absque aliquo superaddito, ergò signum est quod non est obiectum improportionatum; quia enim Deus est obiectum specificatiuum quidem, sed improportionatum non potest cognosci absque lumine eleuante intellectum.

33 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, connotatiuè, concedo antecedens, quidditatiuè, nego antecedens, & consequentiam. Intellectus ergò pro hoc statu potest cognoscere ens in communi solum connotatiuè, non verò quidditatiuè, & ideò non sequitur esse obiectum proportionatum; Sic enim etiam Deus connotatiuè potest cognosci pro hoc statu, per species scilicet rerum materalium, & ad instar illarum.

34 Instabis 2. Species infima materialis v. g. homo, vel equus vt quidditatiuè cognoscibilis est proportionata cum intellectu pro hoc statu, ergò omnia eius prædicata quidditatiua debent esse proportionata, sed ens in communi est vnum ex prædicatis quidditatiuis, & essentialibus speciei infimæ materialis, ergò hoc erit proportionatum intellectui pro hoc statu, antecedens patet, consequentia probatur, si enim ignoraretur aliquod prædicatum quidditatiuum, & essentiale speciei, non posset quidditatiuè cognosci.

35 Respondetur cum Parra negando Minorem subsumptam. Non enim ens vt sic est prædicatum quidditatiuum respectu hominis, vel equi, sicut est animal vt sic, quia ens in communi non est superius per præcisionem obiectiuam distincti gradus entis, & ideò sicut ad cognoscendum quidditatiuè equum non est necessarium cognoscere ens spirituale, sic nec est necessarium cognoscere ens in communi.

36 Arguitur 3. Primum cognitum in cognitione complexa est ens abstrahens à materiali, & spirituali, ergò similiter primum cognitum in cognitione incomplexa erit ens abstrahens à materiali, & spirituali; antecedens patet, siquidem primum cognitum in cognitione complexa est hoc vniuersalissimum principium, quodlibet est vel non est, sed hoc equè verificatur tàm de ente materiali, quàm spirituali, ergò primum cognitum in cognitione complexa &c. consequentia verò probatur à paritate rationis, siquidem vtrobique intellectus procedit de potentiam ad actum.

37 Respondetur primò negando antecedens; cognitio enim complexa solum percipit aliquid esse vel non esse ens materiale positiuè attingendo, nisi præcesserit aliqua cognitio incomplexa connotatiuè attingens ens spirituale.

38 Respondetur 2. negando consequentiam, ad probationem nego antecedens. Solum enim in cognitione incomplexa intelle-

ctus

ctus necessariò procedit de potentia ad actum, & ab imperfecto ad perfectum: in cognitione autem complexa potius procedit à perfecto ad imperfectum, cum primò cognoscat principia, quæ sunt perfectiora Conclusione.

39 Arguitur vltimò. Primum volitum à nostra voluntate pro hoc statu non est bonum materiale, sed bonum in communi, ergò pariter primum cognitum à nostro intellectu pro hoc statu non est ens materiale, sed ens in communi. Antecedens est D. Tho. p. 2. q. 1. art. 6. Et ratio suadet, quia obiectum proportionatum voluntatis est bonum naturale in communi, imò in primo actu potest habere actum amoris ergò Deum, vt habetur ex D. Th. p. p. q. 82. a. 2. Consequentia verò probatur, nam voluntas sequitur ordinem intellectus, & aliàs ad primum actum intellectus sequitur actus voluntatis, ergò si &c.

40 Respondetur negando consequentiam. Et disparitas est, eo quia voluntas trahitur ab obiecto, & ideò in primo actu potest diligere bonum in communi, intellectus autem trahit obiectum ad se per speciem eductam à phantasmatibus, quæ cum non possit repræsentare nisi ens materiale, ideò intellectus nequit cognoscere directè nisi ens materiale; nec actus voluntatis sequitur ad primum actum intellectus speculatiuum, sed practicum, hunc autem præcedunt plures actus speculatiui, qui feruntur in ens concretum quidditati sensibili.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA
DE ANALOGIA.

DEterminato iam ens esse primum cognitum à nostro intellectu, de ente agendum est priùs. Cum autem respectu suorum inferiorum conceptum habeat nec purè æquiuocum, nec purè vniuocum, sed analogum, ideò antecedenter analogiæ notitiam tradere oportet, vt eius quidditatem perfectiùs attingamus. Sit ergò.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm analogia rectè diuidatur in analogiam attributionis, & proportionalitatis, & quomodo?

§. I.

Quædam præmittuntur.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quod analogia est quoddam nomen Græcum, quod idem sonat, ac apud latinos proportio; vnde analoga definiuntur, quod sunt ea, quorum nomen commune est, ratio verò importata est partim eadem, partim diuersa: Ratio autem huius est, quia analoga media sunt inter vniuoca, & æquiuoca, & cum medium participet de extremis, ab vniuocis participat vnitatem, & ab æquiuocis diuersitatem.

2 Aduertendum est 2. Quod analoga latissimè sumpta diuiduntur in analoga analogia Physica, & analogia Logica: prima sunt ea, quorum nomen commune est, & ratio importata per nomen est eadem, sed diuersimodè participata ab inferioribus, & sic corpus corruptibile, & incorruptibile, animal rationale, & irrationale dicuntur analogari physicè in ratione corporis, & animalis, quia etsi ratio communis habeat omnimodam vnitatem, tamen inæqualiter participatur, à corruptibili, & incorruptibili, à rationali, & irrationali. Analoga analogia Logica sunt illa, quorum nomen est commune, ratio verò per illud significata non est simpliciter eadem, sed tantum secundum quid, vnde ad analogiam Logicam non sufficit diuersitas ex parte differentiarum, sed vlteriùs requiritur quod ratio communis partim sit eadem, partim diuersa; sicut est ratio entis dicta de substantia, & accidente, non solum enim reperitur diuersitas secundum rationes particulares substantiæ, & accidentis, sed etiam in ipsa entitate, nàm entitas substantiæ est entitas simpliciter, entitas verò accidentis est entitas secundum quid, & ità D. Th. q. 7. de Potentia a. 7. ad 7. & 7. Phys. lect. 8. docet quod genus est vniuocum vniuocatione Logica, sed analogum analogia Physica, quia ratio communis est eadem omninò, differentiæ verò sunt diuersæ: Logicus autem considerat res vt abstrahunt à suis differentijs, Physicus verò vt differentias sensibiles concernunt.

3 Aduertẽdum est 3. Quod analoga Logica, de quibus est sermo sunt in duplici differentia; alia enim sunt analoga analogia attributionis, seu proportionis, alia verò ana-

analogia proportionalitatis: Prima sunt illa, quorum nomen commune est, ratio autem significata per nomen est eadem secundum terminum, diuersa verò secundum habitudinem ad illum, vt sanum dictum de animali, vrina, & medicina. Licèt enim omnia denominentur sana vna, & eadem sanitate, tamen diuersimodè respiciunt illam, nam animal respicit sanitatem vt proprium subiectum, medicina vt causa, & vrina vt signum, & quia animal est intrinsecè sanum, medicina verò, & vrina solum extrinsecè, & dicuntur sanæ per attributionem, & dependentiam à sanitate animalis, ideò animal est analogatum magis principale, alia verò duominis principalia: Secunda sunt illa, quorum nomen est commune, ratio verò per illud significata est eadem proportionaliter, vt visio dicta de visione intellectuali, & corporea; quia etsi videre solum propriè competat potentiæ corporeæ, tamen etiam cognitio intellectiua denominatur visio secundum quandam proportionem ad visionem corporalem, quæ proportio consistit in hoc quod sicut oculus se habet ad obiectum visibile, ità intellectus se habet ad obiectum intelligibile.

4 Aduertendum est 4. Quod analoga proportionalitatis rursus sunt in duplici differentia, scilicet proportionalitatis propriæ, & Metaphoricæ. Illa analogantur primo modo, quorum ratio significata per nomen propriè reperitur in omnibus analogatis, & hoc pacto substantia, & accidens, Deus, & Creaturæ analogantur in ente, cum in omnibus propriè reperiatur. Illa analogantur secundo modo; quorum ratio significata per nomen propriè dicitur de vno, & metaphoricè de altero, vt homo dictus de homine viuo, & picto. Item analogia attributionis, vt ex D. Tho. doctrina p. p. q. 13. a. 5. in corpore colligitur, diuiditur in analogiam duorum, vel plurium in ordine ad vnum tertium, vt analogia sani dicti de animali, vrina, & medicina, & in analogiam vnius ad alterum, qualiter analogantur accidens, & substantia, pro vt formaliter sunt analoga attributionis. His suppositis sit.

§. II.

Veritas aperitur.

5 Prima Conclusio. Optima, & adæquata est diuisio analogiæ in analogiam attributionis, & proportionalitatis; ità D. Th. q. 11. de Veritate art. 11. & 1. cont. gent. cap. 42.

6 Probatur 1. ratione. Illa diuisio est adæquata, in qua membra diuidentia exhauriunt totam confusionem diuisi, & saltem suis rationibus formalibus opponuntur, sed ità se habet in præsenti, ergò præfata diuisio est adæquata. Maior patet; minor probatur primò quoad primam partem; ratio analoga, vel est intrinsecè in omnibus analogatis, vel est extrinsecè in vno, & extrinsecè in alijs: si primum, sic est analogia proportionalitatis; si secundum, sic est analogia attributionis, ergò adæquatè &c. Probatur Minor quantum ad secundam partem; huiusmodi enim analogiæ habent diuersas definitiones, & proprietates; vndè si aliquandò contingat, vtramque analogiam in eadem re coincidere adhuc tamen secundum diuersas rationes formales formaliter distinguuntur; ergò tales analogiæ saltem suis rationibus formalibus opponuntur.

7 Probatur 2. Analogia Logica consistit in conuenientia coniuncta cum diuersitate in ratione communi, sed tantum his duobus modis contingit, ergò est adæquata diuisio. Maior patet, Minor probatur, nã ea quæ conueniunt cum diuersitate, vel conueniunt per habitudinem ad eundem terminum, diuersimodè respectum, vel quia participant diuersas rationes habentes similitudinem proportionalem, si primum, resultat analogia attributionis, si secundum analogia proportionalitatis, ergò tantùm his duobus modis contingit conuenientia cum diuersitate in ratione communi.

8 Secunda Conclusio. Talis diuisio est analogica. Ità Caietanus, Arauius, & Lerma, qui sustinent, solam analogiam proportionalitatis esse propriè, & simpliciter analogiam;

giam; imò hoc videtur sentire D. Tho. in 1. dist. 19. q. 1. a. 2. ad 1.

9 Probatur ratione. Analogia proportionalitatis est analogia secundum rem, & secundum intentionem; analogia verò attributionis est analogia secundum intentionem tantùm, sed illa videtur solum esse simplicitèr analogia, quæ est secundū rem, & secundum intentionem, ergò sola analogia proportionalitatis est simplicitèr analogia, ac ideò diuisio est analogica.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

10 ARguitur 1. contrà primam Conclusionem; omnis analogia est proportionalitatis, ergò mala diuisio assignata: antecedens probatur, analogia attributionis, vt talis formalitèr est analogia proportionalitatis Metaphoricæ, ergò omnis analogia est analogia proportionalitatis; antecedens probatur; quæ denominantur extrinsecè à forma existente in alio, denominantur Metaphoricè talia, non enim medicina dicitur propriè sana, cum nullam habeat proportionem humorum, sed hoc pacto denominantur analogata minùs principalia in analogia attributionis, ergò &c.

11 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego antecedens, ad probationem nego Maiorem, aliud est enim quod denominentur extrinsecè, aliud est, quod denominentur Metaphoricè; Medicina enim dicitur extrinsecè sana, sed tamen propriè, cum propriè causet sanitatem, similiter vrina est extrinsecè sana, & tamen propriè significat sanitatem.

12 Instabis primò. Analoga, quibus conueniunt eædem conditiones non diuersificantur in ratione analogiæ, sed conditiones analogiæ proportionalitatis Metaphoricæ conueniunt etiam analogis attributionis, ergò non diuersificantur. Minor probatur, nam etiam analogatum, quod est Metaphoricè tale definitur per ordinem ad analogatum quod est propriè tale, sicut definiuntur analogata attributionis minùs principalia, ergò &c.

13 Respondetur distinguendo Maiorem, si conueniant omnes, concedo Maiorem, si tantum aliquæ, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam; licèt enim vtrisque conueniat aliqua conditio, vt videtur probare argumentum quantum ad definitionem, non tamen conueniunt omnes, maximè prima, nimirum quod ratio analoga intrinsecè sit in omnibus analogatis.

14 Instabis 2. etiam prima conditio reperitur in vtraque analogia, ergò cum ad illam sequantur cæteræ, nullatenùs differunt; antecedens probatur, quando definiuntur analoga vt sic, intentio Logicalis analogiæ intrinsecè reperitur in omnibus analogis, ergò etiam prima conditio reperitur in vtraque analogia.

15 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguitur antecedens, non tamen quantum ad substractum talis secundæ intentionis, concedo antecedens, & etiam quoad substractum, nego antecedens, & consequentiam. Verum est ergò, quod secunda intentio analogiæ reperitur eodem modo, tùm in analogis proportionalitatis, tùm attributionis; tamèn illius substractum scilicet diuersitas cum conuenientia diuersimodè est in illis, ità quod in analogia proportionalitatis intrinsecè est in omnibus analogatis, in analogia verò attributionis solum in principaliori.

16 Arguitur secundò. Diuisum in hac diuisione coincidit cum vno ex membris diuidentibus, ergò mala diuisio; antecedens probatur, analogum vt sic est analogum proportionalitatis, cum intentio analogica repetiatur intrinsecè in omnibus analogatis, ergò &c.

17 Respondetur distinguendo antecedens, denominatiuè, & vt quod, concedo antecedens, essentialiter, & vt quo, nego antecedens, & consequentiam; sicut enim vniuersale, quod est genus ad quinque prædicabilia denominatiuè, & vt quod coincidit cum genere, quod est primum prædicabile, ità

non repugnat, quod analogum vt sic vt quod,& denominatiuè coincidat cum analogo proportionalitatis.

18 Arguitur 3. Omnis analogia est attributionis, ergò mala diuisio; antecedens probatur ex D. Th. p. p. q. 13. art. 5. vbi loquens de analogia inquit, *quod vel est secundum proportionem plurium ad vnum, vel vnius ad alterum*, sed hæc est præcisè analogia attributionis, ergò omnis analogia &c.

19 Respondetur negando antecedens, ad probationem dico, quod S. Tho. non loquitur de analogia adæquatè sumpta vt abstrahit ab analogia proportionalitatis, & attributionis, sed tantum de Analogia attributionis; ità Brunus; Ferrariensis verò, Ioannes à Sancto Thom. Martinez de Prado, & Lerma asserunt quod Angelicus Doctor sub alijs verbis nostram astruit diuisionem, nam analogum Logicum primò diuiditur in analogum plurium ad vnum,& vnius ad alterum, & rursus hæc analoga in analoga attributionis, & proportionalitatis, licèt præfata diuisio in analogia attributionis communitèr explicetur, vt in notiori exemplo.

20 Instabis primò. Analoga attributionis sunt illa, in quibus ratio analoga reperitur intrinsecè in vno analogato, in alijs autem solum per extrinsecam denominationem, sed omnia analoga per D. Tho. sunt huiusmodi, ergò D. Th. tunc sumit analogiam adæquatè, & sic nulla alia datur; Minor probatur ex D. Th. p. p. q. 16. a. 6. in corpore vbi ait, *Quod quando aliquid prædicatur vniuocè de multis, illud in quolibet illorum secundum propriam rationem inuenitur, sicut animal in qualibet specie animalis, sed quando aliquid dicitur analogicè de multis illud inuenitur secundum propriam rationem in vno eorum tantùm, à quo alia denominantur*, ergò omnia analoga &c.

21 Respondetur negando Minorem, ad probationem explico D. Tho. ità quod loquatur de eo, quod dicitur analogicè analogia attributionis concedo antecedens, in communi, nego antecedens, & consequentiam. Cum ergò analoga media sint inter vniuoca aliquando reducuntur ad illud extremum,ad quod magis accedunt; vndè cum analoga attributionis magis accedant ad æquiuoca, ex eo quod minimam dicunt vnitatem,aliquando nomine æquiuocorum comprehenduntur, è contrà verò analoga proportionalitatis, ex eo quod maiorem habent vnitatem magis ad vniuoca accedunt, & ideò aliquando nomine vniuocorum comprehenduntur, eo modo quo de coloribus intermedijs dicitur quod reducuntur ad extremos.

22 Instabis 2. D. Tho. loquitur de analogis quatenus ab vniuocis distinguuntur, sed omnia analoga Logica ab vniuocis distinguuntur, ergò loquitur de omnibus analogis.

23 Respondetur explicando S. Tho. comparatiuè, concedo Maiorem, absolutè, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam; Absolutè ergò omnia analoga ab vniuocis distinguuntur; cæterum analogum attributionis comparatiuè ad analogum proportionalitatis, cum minorem dicat vnitatem potest ab illo distingui, sicut analogum ab vniuoco, eo modo quo pallidum licèt absolutè non sit nigrum, tamen comparatiuè ad album est nigrum, & ità analogum proportionalitatis licèt absolutè non sit vniuocum, tamen comparatiuè ad analogum attributionis est vniuocum.

24 Instabis 3. D. Th. ibi ponit exemplum in veritate, quatenus dicitur de veritate creata, & increata, sed hæc est analoga analogia proportionalitatis, ergò loquitur de omnibus analogis etiam proportionalitatis.

25 Respondetur distinguendo Maiorem, quatenus formaliter est analoga analogia attributionis,concedo Maiorem;quatenus identicè est analoga analogia proportionalitatis, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam: Veritas ergò, sicut entitas, & bonitas vtraque analogia, vt videbimus dicitur de veritate, entitate, & bonitate creata, & increata; D. Thom. autem præcisè loquitur de veritate vt formaliter ana-

analogatur analogia attributionis.

26 Instabis 4. Proprium est analogorum attributionis, quod ratio analoga sit vna secundum numerum, sed id omnibus analogis competit, ergò omnis analogia est attributionis. Probatur Minor ex D. Tho. p. 2. q. 20. a. 3. ad 3. vbi ait, *quando aliquid derivatur ab vno in alterum secundum analogiam, vel proportionem tunc est vnum tantum numero*, ponens exemplum in sano, quod est analogum attributionis, ergò id omnibus analogis competit.

27 Respondetur negando Minorem, ad probationem dico D. Tho. loqui similiter tantum de analogia attributionis, vt de facto constat ex exemplo quod adducit.

28 Instabis vltimò; quando in definitione analogati minus principalis oportet ingredi magis principale, tunc est vera attributionis analogia; sed hoc verificatur de omnibus analogis, ergò omnia analoga sunt analoga attributionis; Minor probatur ex D. Tho. p. p. q. 13. art. 6. in corpore, vbi inquit, *quod in omnibus nominibus, quæ de pluribus analogicè dicuntur, necesse est quod omnia dicantur per respectum ad vnum, & ideò illud vnum oportet, quod ponatur in definitione omnium*, ergò &c.

29 Respondetur negando Minorem, ad probationem etiam dico, D. Tho. loqui tantùm de analogis attributionis, ob rationem suprà assignatam.

30 Arguitur, vltimò contrà secundam Concl. Licèt natura Angelica sit vniuersalis secundum rationem tantum, & natura humana secundum rem, & rationem simul, tamen vniuocè conueniunt in rationem speciei prædicabilis; ergò licèt ratio analoga attributionis sit talis secundum rationem tantum, & ratio analoga proportionalitatis sit talis secundum rem, & rationem simul, tamen conuenient in ratione analogiæ vniuocè.

31 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quia maior, vel minor perfectio in ratione vniuersalis inter naturam Angelicam, & humanam, est solum in ratione particulari, cùm potiùs ratio communis perfectè præscindat à tali diuersitate; non sic autem est in ratione analoga, quæ potius dicit diuersitatem in ratione communi, & ideò est dispar ratio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm proprietates analogorum attributionis, & proportionalitatis sint rectè assignatæ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod tres proprietates assignantur, tùm pro analogis attributionis, tùm pro analogis proportionalitatis; Prima proprietas pro analogis attributionis est, quod ratio significata per nomen intrinsecè sit in principaliori analogato tantùm, & in alijs per extrinsecam denominationem. Secunda quod ratio significata sit vna, & eadem in omnibus analogatis, ità quod non multiplicetur ad multiplicationem illorum. Tertia quod analogatum principale ponatur in definitione cæterorum; duæ vltimæ proprietates necessariò subsequuntur ad primam, si enim talis ratio est solum intrinsecè in vno analogato, sequitur, quod non multiplicetur in cæteris, & si analogata minus principalia sint extrinsecè talia per habitudinem ad principale analogatum, hoc vtique poni debet in definitione illorum. Similiter pro analogis proportionalitatis prima proprietas è contrà exposcit, quod ratio significata sit intrinsecè in omnibus analogatis; secunda, quod huiusmodi

di ratio multiplicetur ad multiplicationem analogatorum. Tertia quod vnum analogatum non definiatur per aliud; his suppositis,quantum ad proprietates analogiæ proportionalitatis nulla diuersitas apud Doctores reperitur, quantum autem ad proprietates attributionis.

2 Prima sententia negat illas verificari in omnibus analogis attributionis maximè quod ratio communis sit intrinsecè in vno, & in alijs extrinsecè; ità Suarez in Metaphysica.

3 Secunda affirmat omnes proprietates prædictas esse optimè traditas; ità omnes Thomistæ, & alij; vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 PRima Conclusio. Omnes proprietates analogorum proportionalitatis sunt rectè assignatæ.

5 Probatur. Illæ proprietates sunt rectè assignatæ, quæ explicant differentiam propriæ essentiæ, ad quam consequuntur ab alia sibi opposita, sed huiusmodi sunt proprietates assignatæ pro analogis proportionalitatis, ergò sunt rectè assignatæ: Maior patet, Minor probatur; nam analoga attributionis, & proportionalitatis, per hoc distinguuntur, quod in istis ratio sit intrinsecè in omnibus, in illis verò intrinsecè in vno, & extrinsecè in alijs cum cæteris proprietatibus, quæ consequuntur ad istam, sed hoc explicant prædictæ proprietates; ergò &c.

6 Secunda Conclusio. Proprietates etiam pro analogis attributionis sunt rectè assignatæ.

7 Probatur primò. In analogis attributionis ratio est eadem secundum terminum, & diuersa secundum habitudinem ad illum, sed hoc optimè saluatur per hoc quod sit intrinsecè in vno, & in alijs extrinsecè, ergò de facto in principaliori analogato intrinsecè reperitur, & in alijs extrinsecè, ac ideò, etiam aliæ duæ proprietates, quæ ad hanc consequuntur illis optimè conueniunt; Maior patet ex eorum definitione; Minor probatur,nam forma est solum intrinseca subiecto, cui inhæret, & extrinsecè tantum comparatur ad ea, quæ illam respiciunt, ergò &c.

8 Probatur 2. Illa ratio ad quam diuersæ habitudines referuntur est vna numero; ergò nequit esse intrinsecè in omnibus analogatis, consequentia patet, quia idem numero accidens, vel eadem numero forma nequit simul esse in pluribus subiectis; antecedens autem est D. Tho. 4. Met. lect. 1. vbi ait, *item sciendum, quod illud vnum, ad quod diuersæ habitudines referuntur in analogicis est vnum numero, & non solum vnum ratione, sicut vnum est illud, quod per nomen vniuocum designatur*, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

9 ARguitur primò contrà primam Conclusionem. Dantur aliqua analoga analogia proportionalitatis, in quibus ratio analoga est intrinsecè in vno, & extrinsecè in alio, ergò prima proprietas malè assignatur. Antecedens probatur, risus est analogum proportionalitatis ad risum hominis, & ad risum prati, & tamen in prato solum extrinsecè reperitur, ergò &c. Probatur Minor, quia pratum solum dicitur ridere per habitudinem, & similitudinem, quàm eius floriditas, & amenitas dicit ad risum hominis, ergò in prato solum extrinsecè risus reperitur.

10 Respondetur primò negando antecedens, ad probationem nego Minorem, ad probationem nego antecedens; aliud est enim, quod pratum solum Metaphoricè dicatur ridere, aliud verò quod denominetur extrinsecè ridens per habitudinem ad risum hominis. Primum est verum, secundum falsum, nam pratum denominatur intrinsecè ridens ab amænitate, & floriditate sua intrinseca, quæ tantùm impropriè, & Metaphorice dicitur risus.

11 Respondetur secundò quod risus est ana-

analogûm analogia proportionalitatis Metaphoricæ, non verò propriæ, & huic tantum prædicta proprietas cum cæteris competit; vnde analoga proportionalitatis Metaphoricæ potiùs accedunt ad analoga attributionis, eorumque proprietates participant.

12 Arguitur secundò. In analogia proportionalitatis nequit intelligi vnum analogatum sine proportione, & habitudine ad aliud, ergò debet poni in eius definitione aliud analogatum, consequentia patet, antecedens probatur, aliàs nullam explicaret proportionalitatem.

13 Resp. distinguendo antecedens, si cognoscatur relatiuè, concedo antecedens, absolutè, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo: Analoga ergò attributionis ità se habent, quod analogata minus principalia dicunt formaliter, & in actu signato habitudinem ad analogatum magis principale: Medicina enim cum significet causam sanitatis, formaliter, & in actu signato dicit habitudinem ad sanitatem animalis; vnde hæc ingredi debet in definitione illius: analoga verò proportionalitatis non dicunt ex se habitudinem ad inuicem formaliter, & in actu signato, sed tantum si comparentur ad inuicem, & ità non est necesse quod ingrediatur vnum in definitione aliorum.

14 Instabis. D.Tho. p.1. q. 4. art. 6. ait *quod nomina quæ dicuntur de Deo per Metaphoram non possunt definiri nisi in ordine ad creaturas, tanquam ad terminum habitudinis*; sed prædicta nomina sunt analoga proportionalitatis, cum sint Metaphorica, ergò etiam ista analoga dicunt formaliter habitudinem ad inuicem.

15 Respondetur distinguendo minorem, non tantùm, concedo Minorem, tantùm, nego Minorem, & consequentiam; talia ergò nomina etiam sunt analoga attributionis, & quatenus talia definiuntur in ordine ad creaturas. Vltrà quam quod, vt suprà dictum est, analoga analogia proportionalitatis Metaphoricæ conueniunt cum analogis attributionis, vnde sicut ratio est in vno intrinsecè, & in alio extrinsecè, ità consequenter petit, quod vnum definiatur per ordinem ad aliud.

16 Arguitur tertiò contrà secundam Conclusionem. Si propter aliquam rationem ratio analoga non posset esse intrinsecè in omnibus analogatis, maximè quià non posset reperiri in vno per habitudinem, & attributionem ad aliud, sed hæc ratio est nulla, ergò &c. Probatur Minor, esto ratio analoga sit intrinsecè in omnibus, adhuc potest inueniri in vno per priùs, & in alio per posteriùs, & cum dependentia ab alio, ergò &c. Probatur antecedens, ens intrinsecè reperitur in substantia, & accidente, & tamen in illa reperitur per priùs, & in isto per posteriùs, & cum dependentia ab illa, ergò verum antecedens.

17 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo consequens, ità quod habitudo ingrederetur in recto, & primariò, nego consequentiam, secundariò, & in obliquo, concedo consequentiam; analogata ergò minùs principalia in analogia attributionis debent importare habitudinem ad magis principale de primariò, & in recto, non autem de connotato, & in obliquo, sicut importat accidens ad substantiam, & effectus ad causam, & ideò est dispar ratio.

18 Instabis primò. Ens respectu substantiæ, & accidentis, Dei & Creaturarum est analogum analogia attributionis, sed ratio entis intrinsecè reperitur in omnibus, ergò etiam in analogis attributionis ratio importata per nomen reperitur intrinsecè in omnibus.

19 Respondetur distinguendo Minorem, quatenus analogantur analogia proportionalitatis, concedo Minorem, analogia attributionis, nego Minorem, & consequentiam; Ens ergò vt videbimus est analogum vtraque analogia ad ens creatum, & increatum ad substantiam, & accidens, si quidem, tùm creatura, tùm accidens possunt denominari à propria entitate, & ab entitate Dei, & substantiæ. Si primo modo denominentur, analogantur analogia proportionalitatis; & sic intrinsecè participant entitatem; Si secundo modo denominentur, analogantur analogia attributionis, nec intrinsecè participant entitatem, & hoc quantum ad creaturam ex-

expressè est D.Tho. p.1.q.6. art.4. & quantū ad accidens colligitur ex paritate rationis.

20 Instabis secundò. Sanum est analogum tantùm analogia attributionis respectu animalis, vrinæ, & medicinæ, & tamen ratio significata per illud intrinsecè est in omnibus, ergò in analogis attributionis &c. Probatur Minor, medicinam esse sanam est esse causatiuam sanitatis, vrinam esse sanam est esse significatiuam sanitatis, sed hoc dicit aliquod intrinsecum in ipsis, ergò &c.

21 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Minorem, si reduplicetur ratio fundamentalis, concedo Minorem, si reduplicetur ratio formalis, nego Minorem; & consequentiam; itaque virtus causatiua sanitatis in medicina, & ratio significatiua in vrina est fundamentum, quare denominentur sanæ à sanitate intrinsecè existente in animali, quam causant, aut significant, tamen ipsæ sunt sanæ tantum extrinsecè, licèt fundamentum sanitatis intrinsecè reperiatur in illis.

22 Instabis tertiò. Esse sanum in vrina, & medicina est denominatio realis, & formalis, ergò debet desumi à forma intrinsecè existente in ipsis, consequentia probatur, quia quælibet denominatio realis debet desumi à forma reali, ergo &c.

23 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, vel intrinsecè, vel extrinsecè, concedo antecedens, semper intrinsecè nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò denominatio intrinseca desumi debeat à forma existente in subiecto, quod denominat, vt patet in denominatione videntis respectu oculi, tamen denominatio extrinseca debet desumi à forma existente in alio subiecto, vt patet in denominatione visi respectu parietis, & denominatione Creatoris in tempore adueniente Deo, quæ desumitur à relatione seruitutis existente intrinsecè in creaturis, denominatio autem sani in vrina, & medicina est denominatio extrinseca, ac ideò debet sumi à forma existente intrinsecè in animali.

24 Instabis quartò. Medicina, & vrina nequeunt denominari sanæ à sanitate intrinsecè existente in animali, ergò nulla responsio: antecedens probatur, nam secùs medicina, & vrina haberent proportionem quatuor humorum, ergò &c.

25 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego sequelam, non enim est necesse, quod forma eodem modo denominet subiectum, in quo est, & alia subiecta, quæ extrinsecè afficit; nam visio denominat oculum cui intrinsecè inhæret videntem, & parietem solùm visum, ex eo quod illum extrinsecè afficit.

26 Instabis quintò. Esse causæ, & effectus realiter distinguuntur, sed sanitas quæ est in pulsu, & in vrina est effectus sanitatis, quæ est in animali, ergo sunt realiter distinctæ, ergò intrinsecè in omnibus.

27 Respondetur negando minorem, nullā enim causalitas inter ipsas reperitur, sed sicut eadem numero visio absque vlla causalitate denominat oculum, & parietem, ità eadem sanitas tali pacto denominat animal, pulsum, vrinam &c.

28 Instabis vltimò. Nomen numerale additum termino substantiuo numerat supposita, & formas; sed animal, vrina, & medicina sunt tria sana; ergò per tres numero sanitates intrinsecè existentes in ipsis; Minor patet; Maior est D. Tho. p. 1. q. 36. art. 4. quā ratione nequeunt in diuinis dici tres Dij, bene verò tres sapientes, æterni &c.

29 Respondetur distinguendo Minorem materialiter, & ex parte subiecti, concedo Minorem, formaliter, & ex parte sanitatis nego Minorem, & consequentiam; dicuntur ergo vt ait Caietanus, tria sana materialiter, & ex parte subiecti tantum, non verò formaliter, & ex parte sanitatis, vnde non sunt in illis tres sanitates intrinsecè. Vltrà quam quod sanum est nomen adiectiuum, quod sola supposita numerat, non autem formas, iuxtà regulas assignatas, & ideò potiùs retorquetur argumentum.

30 Arguitur quartò. Si ratio analoga in analogis attributionis non multiplicaretur in analogatis, sequeretur, quod analoga attributionis maiorem vnitatem haberent, quàm vniuoca, consequens est absurdum, ergo, &c.

V an-

antecedens; Sequela maioris probatur, nam vniuoca dicunt vnam rationem, quæ est vna tantum vnitate formali generica, vel ad summum specifica, analoga verò attributionis dicunt vnam rationem, quæ est vna numero, sed maior est vnitas numerica, quam specifica, aut generica, ergò si ratio analoga, &c.

31 Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguo Maiorem, ità tamen, quod reperiatur tantum intrinsecè in vno analogato, concedo Maiorem, intrinsecè in omnibus, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam; Quamuis ergò in analogis attributionis ratio sit vna numero, non tamen est intrinsecè in omnibus, sed in vno tantùm, & ideò minorem vnitatem habet, quàm ratio vniuoca, quæ est intrinsecè in omnibus.

32 Instabis primò. Si talis ratio non multiplicaretur, iam idem causaret se ipsum; sed hoc non est dicendum, ergò multiplicatur; probatur Maior, sanitas medicinæ est causa realis sanitatis animalis; ergò si ratio sanitatis non multiplicaretur, iam idem causaret se ipsum. Probatur antecedens, quia enim medicina est sana causat sanitatem in animali, ergò &c.

33 Respondetur negando Maiorem, ad probationem nego antecedens, ad probationem distinguo antecedens, quia est sana formaliter, nego antecedens, fundamentaliter, concedo antecedens, & nego consequentiam; Denominatio enim sani in medicina consurgit ex eo, quod secundum suam virtutem sit causatiua sanitatis.

34 Instabis secundò. Si ratio sanitatis non multiplicaretur in inferioribus analogatis, nec ratio entis multiplicaretur in illis, consequens est absurdum, ergò & antecedens, sequela maioris probatur; ratio superior non multiplicatur non multiplicatis rationibus inferioribus, non enim animal multiplicaretur in Petro, & Paulo, nisi multiplicaretur in illis ratio hominis, sed ratio entis est superior ad sanitatem, ergò si ratio sanitatis non multiplicaretur, iam &c.

35 Respondetur distinguendo Maiorem, nec ratio entis imbibita in sanitate, concedo Maiorem, absolutè, nego Maiorem, & distincta eodem modo minori, nego consequentiam: Cum ergò ens imbibatur, & transcendat omnes rationes, transcendit etiam ipsam sanitatem, quæ si extrinsecè tantùm est in medicina consequens est, quod etiam entitas illam transcendens sit in illa extrinsecè, cum quo tamen stat, quod entitas illi propria, & quæ sequitur ad esse causatiuum sanitatis animalis sit in illa intrinsecè.

36 Arguitur vltimò contrà vltimam proprietatem. Ens est analogum analogia attributionis ad Deum, & creaturas, & tamen Deus nullo modo ponitur in definitione illarum, ergò in analogis attributionis vnum non ponitur in definitione alterius: Minor probatur, Deus est ignotior creaturis, imò per illas cognoscitur iuxtà illud ad Rom: primò: *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, sed id quod ponitur in definitione alterius debet esse notius: ergò &c.

37 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Minorem, si ponatur vt pars intrinseca, concedo Minorem, vt terminus extrinsecus, nego Minorem, & consequentiam: Si ergo exactè, & adæquatè definiatur creatura definiri debet quod sit ens participatum à Deo, nec est necesse quod id quod ponitur in definitione alterius vt terminus extrinsecus sit notius, vt patet in vno relatiuo, quod ponitur in definitione alterius, & tamen non est notius illo.

38 Instabis. Solum id quod est relatiuum debet per ordinem ad aliud definiri, sed creatura non est aliquid relatiuum, ergò non debet definiri in ordine ad Deum.

39 Respondetur distinguendo Minorem, prædicamentale, concedo Minorem, transcendentale, nego Minorem, & consequentiam; Accidens ergò, & creatura sunt relatiua transcendentalia, cum dicant essentialem dependentiam respectu substantiæ, & Dei, & ideò saltem vt sunt analoga attributionis definiri debent in ordine ad principale analogatum.

AR-

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sola transcendentia sit sufficiens fundamentum, & causa analogiæ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, ad analogiam Logicam exigi, vt vidimus, tàm conuenientiam, quàm diuersitatem in ratione communi analoga, non enim prædicatur de suis inferioribus, quatenus præcisè dicunt diuersitatem, sic enim esset communis æquiuocè, nec vt omninò conueniunt, sic enim esset communis vniuocè, sed vt conueniunt, & differunt: Quærimus ergò an formalis transcendentia rationis communis sit ratio sufficiens, quod ab illis participetur cum conuenientia, & diuersitate, ac ideò quod respectu illorum sit communis analogicè.

2 Aduertendũ est secundò nomine transcendentiæ nihil aliud intelligi, quam intimam inclusionem alicuius rationis communis in omni formalitate reperta in suis inferioribus, vnde ad transcendentiam non sufficit realis, & Physica identificatio cum differentijs, sed insuper requiritur identitas formalis, & Metaphysica: nam secùs ratio animalis esset transcendens respectu rationalis, cum realiter identificetur cum illo. De hac ergò quærimus, an quocumque alio fundamento cessante sit sufficiens radix analogiæ. His suppositis,

3 Prima sententia est negatiua. Hanc defendunt Scotus cum suis, Suarez, & alij ex recentioribus.

4 Secunda sententia est affirmatiua. Itá communitèr Thomistæ, & præcipuè Ferrara Primò contrà Gent. cap.23. Io: à S.Thoma quæst. 13. Log. art. 3. Ortiz Tract. 4. Conf. 3. Lerma lib. 6. quæst. 12. Parra Tract. 3. dub. 6. Lince lib. 2. quæst. 1. art. 1. cum alijs recentioribus D. Tho. discipulis; Vnde sit,

§. II.

Veritas aperitur.

5 COnclusio. Sola transcendentia est sufficiens radix, causa, & fundamentum analogiæ.

6 Hæc Conclusio est D. Thomæ 10. Met. lect. 1. q. 2. de Verit. art. 11. & op. 13. cap. 5. vbi ex transcendentia entis infert ipsum esse analogum, & non genus respectu suorum inferiorum; dicit enim *nulla alia differentia potest accipi, de cuius intellectu non sit ens, vnde manifestum est, quod ens non potest habere differentias, sicut genus habet, & ideò ens genus non est, sed est de omnibus prædicabile analogicè; similiter dicendum est de alijs transcendentibus*. Quid clarius de mente Diui Thomæ?

7 Prob. ratione 1. Quidquid causat formalitèr conuenientiam, & diuersitatem inter inferiora in aliqua ratione communi causat analogiam, sed sola transcendentia hoc facit, ergò sola transcendentia causat analogiam. Maior patet. Minor probatur, & primò quoad primã partem, nam ratio transcendens est communis omnibus inferioribus, sed nequit esse aliquid commune pluribus, nisi aliqualiter conueniant, ergò transcendentia causat conuenientiam; quantum ad secundam partem probatur primò, quia talia inferiora differunt formaliter per proprias differentias, sed ex hoc sequitur, quod differant etiam secundum rationem communem, quæ essentialiter imbibitur in ipsis, & est de earum quidditatiuo conceptu, ergò transcendentia causat diuersitatem. Probatur secundò; nam ex conceptu entis, & conceptu explicito differentiæ

fit;

sit vnus simplicissimus conceptus, cum ens nullam faciat compositionem cum suis differentijs, sed res ipsæ differunt suis differentijs, ergò differunt etiam in ente, cùm implicet quod conceptus entis, & differentiæ sit vnus simplicissimus, & quod sit diuersitas in vno, & non in alio, & probatur tertiò; nam si differentiæ differunt, ergò in aliquo differunt, ergò in ente.

8 Probatur secundò, & efficacissimè roboratur ratio præcedens. Inferiora ex vi transcendentiæ conueniunt, & differunt, ergo conueniunt analogicè, consequentia liquet; antecedens quoad primam partem à nullo negatur, imò & contrarij in eius probatione se diffundunt ad exclusionem secundæ partis, quæ sic probatur: inferiora non possunt differre suis differentijs, quin differant quoque per prædicata, quæ sunt de earum essentia, & quidditate, & faciunt vnicum conceptum simplicissimum cum illis absque vlla compositione, sed huiusmodi est quælibet ratio transcendens, ergò inferiora ex vi transcendentiæ, etiam inter se differunt; Minor patet, aliàs non esset transcendens; Maior probatur; ideò homo non differt formaliter ab equo per animalitatem, sed tantùm per rationalitatem, quia animalitas non est de essentia, & quidditate rationalitatis, nec facit vnicum conceptum simplicissimum cum illa, sic enim deberet differre per vtrumque, ergò inferiora non possunt differre, &c.

9 Probatur tertiò. Sicut vniuocatio fundatur in perfecta vnitate rationis communis, ità analogia in vnitate secundum quid, & imperfecta, quæ est coniuncta cum diuersitate simpliciter, sed ratio communis, quæ est vna vnitate perfecta, & non transcendens, ratione non transcendentiæ causat, & fundat vniuocationem, ergò quoque ratio communis transcendens, & vna vnitate imperfecta, & secundum quid, ratione transcendentiæ causat, & fundat analogiam: Maior patet, Minor probatur, nam ideò ratio communis vnitate perfecta est talis, quia non includitur formaliter in suis differentijs, à quibus participaret diuersitatem, sed hoc habet ratione non transcendentiæ vt patet, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

10 **A**Rguitur primò. Illud tantùm potest causare analogiam, quod potest esse principium conuenientiæ, & diuersitatis, sed transcendentia hoc non facit, ergò non causat analogiam: probatur Minor, nam ens transcendit vltimas differentias hominis, & equi; sed homo, & equus non differunt in ratione communi entis, ergò &c. Probatur Minor, siquidem in tali ratione conueniunt, ergò non differunt. Consequentia probatur, impossibile enim est eundem indiuisibilem conceptum, qualis est conceptus entis esse simul rationem conuenientiæ, & diuersitatis, ergò si in ratione entis conueniunt &c.

11 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego Minorem, ad probationem nego consequentiam, ad eius probationem distinguo antecedens, secundum eandem rationem concedo, secundum diuersam rationem nego antecedens: Ens ergò ratione sui præcisè est ratio conueniendi in homine, & equo, quatenus autem imbibitur in rationalitate, & hinnibilitate, per quas differunt, necesse est, quod sit ratio differendi, cum faciat vnicum simplicissimum conceptum cum illis, & ad verificanda ista contradictoria sufficit distinctio rationis etiam penes implicitum, & explicitum, vt patet in diuinis.

12 Instabis primò. Stat quod ratio transcendens entis faciat vnicum simplicissimum conceptum cum differentijs, & tamen non sit ratio differendi, ergò semper ens erit tantùm ratio conueniendi; antecedens probatur, stat, quod essentia diuina faciat vnicum simplicissimum conceptum cum relationibus, & tamen non sit ratio differendi, ergò &c.

13 Respondetur primò negando antecedens, ad probationem nego consequentiam, & disparitas est, quia ens transcendit, & facit vnicum simplicissimum conceptum cum

differentijs modo diuisibili; Essentia autem diuina transcendit, & facit vnicum simplicissimum conceptum cum relationibus modo indiuisibili, vnde sicut Personæ identificantur cum essentia, quæ est vna, & tamen non identificantur inter se; ità essentia potest identificari cum Personis distinctis absque eo quod in se aliquam distinctionem includat.

Respondetur secundò. Quod essentia diuina potest dupliciter considerari, Primò sub conceptu naturæ; Secundò sub conceptu entis increati, sub conceptu autem naturæ non transcendit, sed tantum sub conceptu entis in creati, sub qua ratione multiplicatur in Personis, & est ratio differendi parimodo in illis, vnde retorquetur hac efficacissima paritate argumentum contrà aduersarios.

15 Instabis secundò. Sicut ens includitur in differentijs, & facit vnicum simplicissimum conceptum cum illis, ità differentiæ includuntur in ente, & faciunt vnicum simplicissimum conceptum cum illo, sed ex eo quod differentiæ conueniant in ente, non sequitur, quod conueniant inter se, ergò ex eo quod differunt inter se, non sequitur, quod differant in ente.

16 Respondetur distinguendo Minorem, pro vt explicantur per nomen differentiæ, concedo Minorem, pro vt confusè, & implicitè reperſentantur per nomen commune transcendens, nego Minorem, & consequentiam: Sicut ergò ratio transcendens propter eius identitatem cum suis differentijs est simul ratio conueniendi, & differendi, & conuenientiam importat secundum conceptum explicitum, diuersitatem verò secundum implicitum, ità similiter rationes differentiales propter eandem identitatem cum ratione transcendenti sunt rationes differendi, & conueniendi, & differentiam important secundum conceptum explicitum, conuenientiam verò secundum implicitum.

17 Arguitur secundò. Illa ratio, in qua Inferiora simpliciter conueniunt nequit esse analogica, sed vniuoca; sed inferiora alicuius rationis transcendentis simpliciter conueniunt in illa, ergò nequit esse respectu eorum analogica, Minor probatur; inferiora entis, quod est ratio transcendens, vt equus, & homo simpliciter conueniunt in ratione animalis, ergò etiam conuenient simpliciter in ratione entis, probatur consequentia, nam ens transcendit animal, & facit vnicum conceptum simplicissimum cum illo absque Metaphysica compositione, ergò si conueniunt, &c.

18 Respondetur negando minorem, ad probationem nego cõsequentiam; licèt enim ens faciat vnicum simplicissimum conceptum cum animali, tamèn diuersimode de inferioribus prædicatur ens, ac animal; Ens enim prædicatur vt includens essentialiter differentias, & vt non præscindens ab illis, ac idcò tantum analogicè, animal verò prædicatur vt excludens differentias, ac ideò cum omnimoda vnitate.

19 Instabis primò. Magis conueniunt inferiora in ratione entis, quam in ratione animalis, sed in ratione animalis conueniunt vniuocè, ergò à fortiori in ratione entis; Minor patet, Maior probatur, nam inferiora conueniunt in ratione entis non solum quoad rationem communem, sed etiam quoad rationes particulares, modos, & differentias etiam vltimas; in ratione autem animalis solum conueniunt quoad rationem communem, ergò magis &c.

20 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo consequens, extensiuè concedo, intensiuè, nègo consequentiam: Inferiora ergò in ratione entis magis conueniunt extensiuè, quia in omnibus prædicatis conueniunt; non tamen magis conueniunt intensiuè, idest cum maiori exclusione diuersitatis, imò semper illam inuoluunt, inferiora autem in ratione animalis magis conueniunt intensiuè, quia habent conuenientiam simpliciter, idest excludentem quamcumque diuersitatem, cum ratio animalis præscindat à differentijs.

21 Instabis secundò. Angeli conueniunt intensiuè, & vniuocè in ratione intellectiui, & tamen ratio intellectiui transcendit differentias, quibus specificè differunt, ergò transcendentia, & inclusio differentiarum non

non facit analogiam; Minor probatur, si quidem quæuis differentia Angeli est omninò immaterialis, sed nequit esse immaterialis quin simul sit intellectiua, cum ad immaterialitatem sequatur intellectiuitas, vt probat D. Tho. p. 1. q. 14. art. 1. ergò &c.

22 Respondetur distinguendo Maiorem, in ratione intellectiui completi, concedo Maiorem, abstrahentis à completo, & incompleto, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam; sicut enim substantia abstrahens à cõpleta, & incompleta transcendit omnes differentias sui generis, non verò substantia completa, & ideò illa est analoga, non verò ista, ità etiam intellectiuitas abstrahens à completa, & incompleta transcendit omnes suas differentias, non verò intellectiuitas completa; Angeli autem conueniunt vniuocè tantùm in intellectiuitate completa, non verò abstrahente à completa, & incompleta.

23 Respondetur secundò. Quod intellectiuitas non est transcendens, quia non sequitur ad quamcunque immaterialitatem, sed ad immaterialitatem, vt subsistentem. Et hoc pacto se explicat D. Tho. in 2. Contragentes c. 5. & 6.

24 Respondetur tertiò. Quod eadem ratio est de intellectiuitate completa in Angelis, ac de accidente completo in ordine ad nouem genera; vnde sicuti hoc est analogum propter transcendentiam actiuam, qua includit omnia nouem prædicamenta, ità & intellectiuitas completa erit hoc pacto analogica, & in hac sententia conuenient Angeli solum analogicè in intellectiuitate adhuc completa.

25 Instabis tertiò. Differentia indiuidualis in communi transcendit quamcumque differentiam indiuidualem, & tamen vniuocè prædicatur de illis, ergò transcendentia non obstat vniuocationi; Maior patet, nam quæuis differentia est formaliter differentia: Minor verò admittitur à pluribus Thomistis, vt hic fatetur Lynce.

26 Respondetur negando Minorem, ad probationem dico, quod illi Thomistæ, qui hoc docent, consequenter tenent differentiam indiuidualem in communi non transcendere differentias determinatas, sed ab illis perfectè prescindere, eo modo quo communis ratio personæ, quam constituit, perfectè præscindit à personis determinatis.

27 Arguitur tertiò. Personalitas diuina est transcendens respectu omnium personalitatum, sed hæc vniuocè prædicatur de tribus personis diuinis, cum simpliciter, & æqualiter participetur ab illis, ergò cum transcendentia stat vniuocatio.

28 Respondetur negando Minorẽ ad probationem nego consequentiam: Nam etiam accidens æqualiter, & simplicitèr participatur à nouem Prædicamentis, & tamen est analogum propter transcendentiam saltem actiuam, quam suo loco explicabimus habere respectu illorum; vnde cum personalitas diuina, sicut & ratio actus puri, & entis increati habeant transcendentiam, & inclusionem formalem tàm actiuam, quàm passiuam, mirum non est, quod analogicè dicantur de tribus diuinis personis. Nec est confingere alium conceptum analogiæ ab illo, qui ex Aristotele communitèr circumfertur, vt obijciunt contrarij, diuersitas enim hæc analogica summæ Dei simplicitati non officit, imò illam egregiè explicat, quod non faceret ratio vniuoca, quæ poneret rationem potentiæ in diuinis, & denotaret quod Personalitas, Relatio, Ens increatum, & actus purus non essent de conceptu, & quidditate relationum, & personarum in particulari, & ità ponendo vnitatem tolleret diuinitatem.

29 Instabis primò. Si personalitas diuina prædicaretur analogicè de tribus Personis diuinis, sicut & alia prædicata, vel prædicarentur analogicè analogia attributionis, vel proportionalitatis, nullum ex his est dicendum, ergò non prædicatur analogicè. Probatur Minor quantum ad primam partem, nam omnia illa prædicata intrinsecè participantur; quoad secundam partem probatur, quia aliàs haberent vnitatem solum proportionalem, sed hoc est falsum, quia vnitas in diuinis est qua maior excogitari non potest, ergò &c.

H 2 30 Res-

30 Respondetur ad instantiam, quæ est contrariæ sententiæ Achilles negando Minorem; & dico cum Gonet disput. 5. de Trinitate art. 5. §. 4. non prædicari vniuocè, sed tantùm analogicè, non analogia attributionis, sed proportionalitatis eo ferè modo, quo ratio entis vt sic de Petro, & Paulo prædicatur; & ratio est clara, quia cum ratio vniuoca debeat esse perfectè vna, nec vllam in suo conceptu importare diuersitatem debet esse perfectè præcisa à differentijs inferiorum; vnde cum non possit dari perfecta præcisio ex parte vnius extremi, quin detur etiam ex parte alterius, si in Deo daretur aliqua ratio vniuoca deberet etiam dari perfecta præcisio conceptuum, seu distinctio rationis per modum excludentis, & exclusi, & consequenter aliqua compositio rationis tanta, quanta est compositio ex genere, & differentia, quod diuinæ simplicitati repugnat; ergò ratio Personæ non est vniuoca, sed analoga respectu trium personarum: & cum non possit esse analoga analogia attributionis, eo quod ratio personæ intrinsecè, & essentialiter in qualibet ex tribus personis reperitur restat vt sit analoga respectu illarum analogia proportionalitatis, eo fere modo, quo dicunt Philosophi ens esse analogum ad duo indiuidua eiusdem speciei: Hucusque Gonet. Quid ergò mirum, si ponimus analogiam in diuinis? Ad probationem autem secundæ partis nego Minorem, ad probationem distinguo antecedens, in ratione naturæ omninò immultiplicabilis concedo antecedens; in ratione Personæ, Relationis, & aliorum prædicatorum, quæ multiplicantur in illis, nego antecedens, & consequentiam. Vnitas ergò in diuinis, qua maior excogitari non potest saluatur in omnimoda vnitate naturæ cum Trinitate Personarum, non verò in alijs predicatis Relationis, Personæ, Entis à se, & Increati &c. quæ cum reali transcendentia multiplicantur in tribus diuinis personis, & quatuor Relationibus si sumantur relatiuè, non absolutè. Proportionalitas autem consistit in hoc, quod ità se habet Filius ad Filiationem, & Spiritus Sanctus ad spirationem passiuam, sicut Pater ad Paternitatem. Vel sicut Paternitas constituit primam Personam, & Patrem, ità Filiatio constituit secundam Personam, & Filium, & spiratio passiua tertiam Personam, & Spiritum Sanctum.

31 Instabis secundò; Nedum relatio, & personalitas, verum etiam omnia absoluta, imò, & ipsa Essentia Diuina adhuc sub conceptu naturæ in sententia Gonet transcendunt relationes, & personas, sed hoc non obstante non dicuntur analogicè de illis neque analogia attributionis, neque proportionalitatis, ergò transcendentia. qua talis non causat analogiam; Minor quantum ad primam partem patet, cum intrinsecè sint in omnibus; quo ad secundam probatur; ratio analoga in analogis proportionalitatis multiplicari debet, sed absoluta non multiplicantur in Diuinis, ergò &c.

32 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem si sit finita concedo Maiorem, si sit infinita nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam. Ratio enim quare multiplicari debet ratio analoga, est quia est intrinsecè in omnibus analogatis, quod in creatis nequit esse nisi cum reali multiplicatione propter limitationem, & finitudinem. Cum autem natura diuina, sicuti, & omnia absoluta sint infinita, ideò possunt esse in tribus Diuinis Personis intrinsecè absq; vlla multiplicatione cum nulla adsit oppositio relatiua, & in diuinis omnia sint vnum vbi illa non obuiat. Cæterum relicta hac Resp. quæ tamen egregiè soluit id, quod petit obiectio.

33 Respondetur secundò, quoad essentiam diuinam sub conceptu naturæ esse probabiliorem sententiam non transcendere relationes, & si transcendit hoc facit absque diuisione; vnde vna numero existens communitate reali est communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto, & hoc idem dicimus de omnibus absolutis, quæ ideò non sunt analoga, cum vnitas numerica sit maxima vnitatum, qualis non est vnitas proportionalis requisita ad analogiam. Transcendentia ergò duplex est vna secundum rem, & rationem, alia secundum rem tantùm: Prima com-

competit rationi superiori essentialiter diuisibili in inferioribus, & ista semper causat analogiam, alia competit rei, quæ non est superior, nec diuisa, & ista numquam causat analogiam, sed summam identitatem. Prima competit Relationi, & Personalitati Diuinæ in communi; secunda verò Naturæ Diuinæ, & omnibus absolutis, sicut, & naturæ Angelicæ respectu suæ singularitatis.

34 Instabis tertiò: ad analogiam etiam proportionalitatis requiritur, quod ratio communis descendat ad inferiora cum vnitate secundum quid, & diuersitate simpliciter, sed ratio Personæ hoc non facit, ergò non est analoga analogia proportionalitatis; Minor probatur, nam omnes tres Personæ simpliciter conueniunt in ratione subsistentiæ relatiuæ, ergò &c.

35 Respondetur cum Magistro Ferre de Trinit. q. 5. § 13. vbi nostram sententiam expresè defendit cum Philippo à SS. Trinitate, qui excipiens Caietanum, & Nazarium, quibus adhæret Herrera dicit esse communiorem apud Thomistas, & multum fauet Mag. Io: à S. Thoma soli transcendentiæ innixus, licèt propter delectum inæqualitatis dicat non peruenire ad analogiam simpliciter; Itaque negatur minor, ad probationem, negatur antecedens, conueniunt enim in illa vt in se includit actu modos Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passiuæ, qui sunt diuersi simpliciter, & ità non descendit ad tres personas vt omninò eadem, sed vt diuersa simpliciter, & vt secundum quid scilicet proportionaliter tantùm vna. Pater ergò, Filius, & Spiritus Sanctus conueniunt in subsistentia relatiua secundum quid, quamuis in Diuinitate conueniant simpliciter.

36 Instabis 4. Ratione quæ torquet Io: à S. Tho. ratio analoga nedum debet descendere ad inferiora cum diuersitate, sed etiam cum inæqualitate, imò eo ipso quod descendit cum diuersitate descendit quoque cum inæqualitate, sed Persona Diuina hoc facere nequit, ergò non est analoga; Minor probatur, nam in Symbolo D. Athanasij dicitur, quod omnes tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

37 Respondetur; cum eodem distinguendo Maiorem, in his quæ habent quantitatem molis, aut virtutis, concedo Maiorem, secus, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; æqualitas enim, & inæqualitas tantum spectantur in his, quæ habent quantitatem molis, aut virtutis, cum ergò neutra interueniat in diuinis Relationibus, cum ex se nullam perfectionem importent, inde stat quod non sint capaces æqualitatis, vel inæqualitatis propriè dictæ, de qua non loquitur D. Athanasius, sed tantum vult, quod in sua linea non explicante perfectionem non habent ad inuicem excessum, vel defectum.

38 Respondetur 2. & meliùs, inæqualitatem in participanda ratione communi, requiri ad analogiam attributionis, & de hac videtur loqui Io: à S. Thoma, cæterùm in analogia proportionalitatis, sufficit quod ratio communis sit solum proportionaliter, non omninò vna, licèt æqualiter participetur. Patet enim quod omnia accidentia completa æqualitèr rationem accidentis participent; & omnia prædicamenta æqualiter participent rationem entis completi, & tamen conueniunt analogicè analogia proportionalitatis, sic pariter duo indiuidua eiusdem speciei in ratione entis conueniunt analogicè analogia proportionalitatis, & tamen æqualitèr ipsum participant. Cæterum quod adhuc stante æqualitate inter diuinas personas interueniat analogia manifestè liquet, nam ratio communis pluribus, & in eis multiplicata, vel est æquiuoca, vel analoga, vel vniuoca, sed ratio Personæ est communis tribus Diuinis Personis, & multiplicatur in illis, nec est æquiuoca, quia non solum nomen, sed etiam res significata per nomen est illis communis, nec vniuoca, quia actu includit Personas, ad quas descendit, cum sit actus purissimus, & nullatenus in potentia, ergò restat, quod sit analoga.

39 Instabis 5. D. Th. in 1. dist. 25. q. 1. a. 3. impugnans sententiam aliquorum, qui dicebant Personam Diuinam analogicè prędicari de tribus Personis concludit, *eam esse communem, sicut ratio animalis, est communis* Ho-

Homini, & *Asino*, sed hæc communis est vniuocè, ergò nostra assertio est contrà D. Thomam.

40 Respondetur negando consequentiam; nam D. Tho. impugnat quosdam dicentes Personam esse communem tribus Diuinis Personis, solum secundum communitatem intentionis, aut proportionis, & non esse in re communem, & ideò ad hoc explicandum affert exemplum de Animali, quod non solum ratione, sed etiam re est commune Homini, & Asino, & paritas tenet solum quantum ad hoc: Quod verò Persona non sit vniuoca, colligitur, ex eo quod ibidem docet, quod licèt ratio Personæ sit communis non est tamen sicut vniuersale, & p. p. q. 30. a. 4. ait, esse aliquid commune, *non sicut genus, vel species*, alterutrum autem haberet, si vniuocè prædicaretur.

41 Instabis 6. D. Tho. p. p. loco citato in corpore ait, *quod hoc nomen Persona est commune communitate rationis, non sicut genus, vel species, sed sicut indiuiduum vagum*, sed hoc non prædicatur analogicè, & vt superiùs, sed solum dicit modum particulariter existendi, ergò ratio Personæ in Diuinis de mente D. Thomæ non est analoga.

42 Respondetur distinguendo Minorem, quando non est transcedens, concedo Minorem, secus, nego Minorem, & consequentiam. Persona ergò in communi dicit vtique modum particulariter existendi, sed iste, quando est transcendens prædicatur de pluribus modis particularibus analogicè, quia in ratione communi importat conuenientiam, & diuersitatem; Nec tamen Persona de mente D. Thomæ prædicatur vt indiuiduum vagum quoad omnia, quia indiuiduo vago debetur tantùm assensus, vel descensus disiunctiuus; Personæ verò in communi copulatiuus, sed quoad hoc, quod sicut indiuiduum vagum non prædicat naturam, sed tantum modum particulariter existendi, ità Persona; Cæterùm D. Tho. in fine corporis concludit, *quod hoc nomen Persona secundum rationem est commune tribus Diuinis Personis*.

43 Instabis vltimò, Nullum prædicatum creatum potest habere maiorem vnitatem, quam increatum; Sed persona creata in communi vniuocè prædicatur de Personis creatis, ergò etiam Personalitas Diuina de Diuinis etiam stante transcendentia.

44 Respondetur distinguendo Maiorem; Si vtrumque sit absolutum, concedo Maiorem, si creatum sit absolutum, & increatum relatiuum, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; nec est absurdum, quod prædicatum creatum absolutum habeat maiorem vnitatem, quàm prædicatum relatiuum Diuinum, quia vnitas vniuoca in prædicato creato absoluto potiùs dicit imperfectionem, cum arguat potentialitatem, & compositionem saltem Metaphysicam, quam excludit vnitas analogica reperta in prædicato relatiuo diuino ratione transcendentiæ. Non sic autem est in natura diuina, & prædicatis absolutis, quæ sunt vnum numero in tribus Diuinis Personis.

45 Arguitur 4. Verum, & bonum sunt rationes transcendentes secundum rem, & rationem, sed hoc non obstante sunt rationes vniuocæ, ergò cum transcendentia etiam secundum rem, & rationem stat vniuocatio; Maior patet; nam sunt passiones entis; Minor verò probatur, siquidem specificant potentias vniuocas, intellectum, & voluntatem, ergò &c.

46 Respondetur primò negando Minorem; ad probationem distinguo antecedens; tanquam specificatiuum extrinsecum, concedo antecedens, intrinsecum, nego antecedens, & consequentiam; Verum ergò, & bonum, imò, & ipsum ens specificant vtrique potentias, & habitum vniuocum, vt sunt Intellectus, Voluntas, & Metaphysica, sed hoc faciunt in genere causæ formalis extrinsecæ, de cuius ratione non est habere in se, quod alteri præstat, vt patet in ente rationis, quod præstat realitatem Logicæ, quam in se non habet, & maior quidem amplitudo debet esse in principijs, quàm in principiatis, maximè quando sunt principia, & causæ æquiuocè, vt sunt verum, & bonum in præsenti.

47 Respondetur secundò distinguendo Maiorem, quatenus respiciunt sua inferiora,

& ipsum

& ipsum Intellectum, & Voluntatem, vt sunt verum, & bonum transcendentale, concedo Maiorem, quatenus specificant tales potentias, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Verùm ergò, & bonum possunt dupliciter comparari. Primò ad inferiora, de quibus prædicantur, & hoc pacto sunt rationes transcendentes etiam Intellectum, & Voluntatem, & analogicè prædicantur de illis, secundò in ordine ad potentias, quas specificant, & sic cum hoc faciant sub eadem indiuisibili ratione formali sub qua habent vnitatem vniuocam; eo modo quo potentia visiua hominis, & æqui in ratione potentiæ specificæ conueniunt, licèt in ratione proprietatis differant.

48 Arguitur 5. Natura Angelica transcendit suam singularitatem, & tamen non est analoga, ergò stat transcendentia absq; analogia: Probatur maior, nam sunt de mutuo conceptu, ergò &c.

49 Respondetur distinguendo Maiorem transcendentia secundum rem tantùm, & tanquam duo prædicata æqualia, concedo Maiorem, transcendentia secundum rem, & rationem simul, & tanquam prædicatum superius, & inferius, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Transcendentia ergò solum reperta in ratione communi prædicabili de pluribus causat analogiam, hæc enim debet respicere plura analogata ad hoc vt saluetur vnitas proportionalis; vnde cum natura Angelica sit prædicabilis de vno tantum, ideò potiùs se habent vt duo prædicata æqualia.

50 Instabis primò. Sicut ens transcendit modos, ità natura Angelica transcendit singularitatem, sed hoc non obstante natura Angelica inadæquatè concepta est vniuersalis, ergò etiam ens inadæquatè conceptum erit vniuocum, ac ideò cum transcendentia etiam secundum rationem stabit vniuocatio, consequentia probatur, quia non minus opponitur singularitas vniuersalitati, quàm vnitati diuersitas, ergò si &c.

51 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, & aliàs cætera non sunt paria, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Disparitas ergò est, quia natura Angelica facit compositionem, & non transcendit singularitatem saltem reduplicatiuè vt fundat subsistentiam, sic enim pertinet ad genus subsistentiale, eo modo quo absolutum fundans relationem pertinet ad genus relatiuum, & materiale peccati reduplicatiuè vt fundat malitiam pertinet ad genus moris, & egreditur à linea Physica, vnde nequit causari à Deo. Certum autem est, quod subsistentia facit compositionem etiam realem cum natura Angelica, vtpotè ab ipsa realiter distincta, vt suo loco videbimus: Ens verò ex opposito nullam facit compositionem cum modis siuè specificatiuè, siuè reduplicatiuè sumantur, quomodocumque enim sunt ens essentialiter, & ideò dispar ratio.

52 Instabis 2. Natura Angelica transcendit singularitatem specificatiuè sumptam, nec facit compositionem cum illa, & tamen potest concipi vt vniuersalis, ergò licèt ens transcendat modos potest esse vniuocum.

53 Respondetur negando consequentiam. Nam singularitas specificatiuè sumpta non impedit vniuersalitatem, cum tota incommunicabilitas oriatur à subsistentia tanquam effectus secundarius ipsius.

54 Ex dictis colligitur primò transcendentiam causare solum analogiam proportionalitatis, cum ex sua intrinseca ratione petat, quod ratio transcendens sit intrinsecè in omnibus analogatis.

55 Colligitur secundò, quam malè dicatur vnitatem proportionalem esse causam analogiæ; cum manifestè petatur principium, sicut quando petitur à definitione ad definitum; vnitas enim proportionalis, analogia proportionalitatis, & conuenientia cum diuersitate sunt prorsus idem, vnde quærenda est causa horum omnium, quam rectè dicimus esse transcendentiam, sicut enim non transcendentia causat vniuocationem, ità ab opposito transcendentia causat analogiam, non quidem tanquam ratio adæquata, sed inadæquata, & sufficiens,

ciens, eo modo quo rationalitas est causa sufficiens, & inadæquata animalitatis.

56 Colligitur tertiò, quam malè contrarij recurrant ad vniuocationem per excellentiam, vel eminentiam in diuinis, cum prædicata communia relatiua verè multiplicentur, absoluta verò sint communia solum communitate reali retinendo vnitatem prorsus numericam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm dependentia sit sufficiens fundamentum, & causa Analogiæ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, nomine dependentiæ nil aliud intelligi quam ordinem secundum prius, & posterius in participanda aliqua ratione communi; sicut autem analogia duplex est, Physica, & Logica, ità duplex est dependentia, Physica vna, altera Logica. Dependentia Physica ea est, qua aliquid dependet ab alio in ratione particulari, & in genere causæ efficientis vniuocæ, vel æquiuocæ, qualis est dependentia, quam habet filius à Patre, & corpora sublunaria à Cælestibus, & ista analogiam solum Physicam causat, quæ à Caietano dicitur analogia inæqualitatis, non verò Logicam, cum omnes effectus sint in eodem prædicamento cum suis causis creatis; Nec obstat quod D. Tho. p. p. q. 13. a. 5. doceat quod omnis effectus non adæquans virtutem causę agentis recipit similitudinem, eius non secundum eandem rationem, ac ideò analogicè vnam; loquitur enim de effectu non adæquante virtutem causæ agentis in ratione communi, sicut facit creatura respectu Dei, quæ nec in ratione communi entis ei adæquatur, cum Deus sit ens increatum, & independens, creatura verò ens creatum, & dependens. Non loquitur autem de effectibus qui licèt non adæquent in ratione particulari virtutem Causæ agentis, adæquant tamen in ratione communi, sicut corpora sublunaria in ratione entis, substantiæ, & corporis adæquant Cælestia, qua ratione Logicè vniuocantur cũ ipsis. Dependentia Logica est illa, qua aliquid ab alio dependet in ratione communi, ità quod ab vno participetur simpliciter, ab alio secundum quid, quod liquet in exemplo allato de creaturis, & etiam in substantia, & accidente, cum substantia sit ens per se, accidens verò ens in alio, & de hac dependentia est quæstio an sit sufficiens causa analogiæ Logicæ, quæ tantùm est propriè analogia.

2 Prima sententia est negatiua: Hanc defendunt communiter recentiores Neoterici, præcipuè P. Franciscus Bonæspei, tract. 1. Log. disp. 1. dub. 5. res. 1. & P. Lyncæus lib. 1. Met. tract. 2. cap. 3. cum alijs ex Societate Iesu, eam quoque tuetur Mag. Serna in Log. disp. 3. a. 2.

3 Secunda sententia est affirmatiua; hanc docent pari consensu omnes Thomistæ, & plures extranei; vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Sola dependentia in participanda ratione communi est sufficiens causa analogiæ.

5 Probatur primò ex D. Tho. qui in omnibus locis, in quibus explicat analogiam attributionis docet illam consistere in eo quod ab vno dependeant plura in participatione alicuius rationis, & præcipuè p. p. q. 4. a.

4. a. 3. ad 3. docet inter Deum, & Creaturas interuenire analogiam in ente, quia Deus est ens per essentiam, & Creaturæ per participationem, ergò de mente D. Tho. est vera Conclusio.

6 Probatur secundò ratione. Admissa dependentia in participanda aliqua ratione communi, necessariò admittenda est etiam conuenientia cum diuersitate in eadem ratione; sed in hoc consistit analogia, ergò sola dependentia est causa analogiæ. Minor patet, Maior probatur quoad primam partem, id quod participat rationem communem dependenter ab altero, se habet respectu illius tanquam effectus, sed quiuis effectus habet conuenientiam cum sua causa, cum hæc intendat assimilare sibi effectum, ergò admissa dependentia, resultat conuenientia in ratione communi; quoad secundam partem probatur, talis dependentia efficit, quod ratio communis descendat ad id quod dependet, imperfectè, deficientèr, & secundum quid, & ad aliud, à quo dependet simpliciter, & perfectè, in tan um enim creatura est respectu Dei ens imperfectum, & secundum quid, quia est ens per participationem, & dependens à Deo, similiter accidens respectu substantiæ, ergò admittenda est diuersitas.

7 Probatur 3. Inductiuè in analogis proportionis, seu attributionis; nam eatenus medicina, & vrina analogicè conueniunt in ratione sani cum animali, quia vtraque denominatur sana per dependentiam à sanitate animalis. Item ideò ens est analogum attributionis respectu Dei, & Creaturarum, substantiæ, & accidentis, quia dicitur de creatura dependenter à Deo, & de accidente dependenter à substantia; non enim alia ratio inueniri potest, ergò dependentia in participanda ratione communi causat analogiam.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

8 Arguitur primò. Ad analogiam requiritur conuenientia, & diuersitas in ipsa ratione communi analoga, sed hæc dependentia non causat, ergò dependentia non causat analogiam: probatur Minor, actus vitalis dependet à principio vitali, & tamen in ratione communi vitalitatis solùm conueniunt, & nullatenus differunt, ergò dependentia non causat diuersitatem.

9 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, dependentia Physica, & in ratione particulari, concedo Maiorem, dependentia Logica, & in ratione communi, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo; itaque in ea ratione est diuersitas, in qua est dependentia, si est dependentia solùm in ratione particulari, est diuersitas solùm in illa, si verò est dependentia etiam in ratione communi, causabitur quoque diuersitas in illa, & hæc sola facit analogiam; cum autem actus vitalis, sicut, & omnes effectus vniuoci, vel æquiuoci dependeant à potentia vitali, & à suis causis solum in ratione particulari, ideò stat quod solum diuersificantur in ratione particulari ab illis, ac ideò quod nullatenus analogia Logica analogentur.

10 Instabis primò. Omnis dependentia est solum in ratione particulari, ergò nulla dependentia causat analogiam: antecedens probatur, si aliqua dependentia esset in ratione communi maximè illa quam habet creatura à Deo, sed hæc non est nisi in ratione particulari, ergò omnis dependentia est solum in ratione particulari. Probatur Minor, quia si dependentia esset in ratione communi entis, omne ens, ac ideò etiam Deus dependeret, sed hoc est absurdum, ergò dependentia creaturarum à Deo est solam &c. Minor patet, Maior probatur, quod enim alicui conuenit secundum rationem communem, necessariò omnibus illam habentibus conuenit, ergò si dependentia esset &c.

11 Respondetur primò negando antecedens, ad probationē nego Minorem, ad probationem nego Maiorem, ad probationem distinguo antecedens, si talis ratio sit vniuoca, concedo antecedens; si sit analoga, nego antecedens, & consequentiam; Quando ergò

gò ratio communis non est simpliciter vna, sed partim vna, partim diuersa potest diuersimodè à suis inferioribus participari, & ideò vnum inferius potest ei subijci cum dependentia ab alio, & in vno reperiri primariò, principalitèr, & independentèr, in alio verò secundariò, minùs principaliter, & dependenter, vt benè dicit hic Lince, vnde cum hoc pacto se habeat ens respectu Dei, & creaturarum, inde stat, quod licèt dependentia sit in ratione communi, tamen non sequitur quod etiam Deus sit ens dependens.

12 Respondetur secundò distinguendo vltimum antecedens, si dependentia esset in ratione communi abstractiuè sumpta, concedo antecedens, concretiuè sumpta, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo; dependentia ergò non est in ratione entis abstractiuè sumpti, talis enim ratio abstrahitur ab intellectu, & non reperitur à parte rei, sicut requiritur ad realem dependentiam; vndè solum est in ratione entis concretiuè sumpti, scilicet in ente creato, quod verè sit, & dependet à Deo, & non tantum dependet in tali, vel tali ratione particulari hominis, scilicet animalis, vel corporis.

13 Instabis secundò. Datur vera dependentia etiam secundum rationem communem sine vlla prorsùs analogia, ergò analogia non causatur ex dependentia etiam in ratione communi reperta; antecedens probatur, nam in probabiliori sententia, causa vt sic est vniuoca ad quatuor genera causarum, & tamen aliæ tres in causando dependent à causa finali. Item potentia operatiua est vniuoca ad intellectum, & voluntatem, & tamen voluntas quò ad specificationem dependet ab intellectu, & intellectus quò ad exercitium dependet à voluntate in operando, ergò &c.

14 Respondetùr negando antecedens, ad vtramque probationem distinguo Minorem, in ratione particulari, concedo Minorem, in ratione communi, nego Minorem, & consequentiam; sola ergò dependentia quæ est talis quod effectus non adæquat virtutem causæ in ratione communi vt ait D. Thomas loco citato ex p. 1. q. 13. art. 5. facit analogiam; cum autem aliæ tres causæ adæquent causam finalem, & intellectus voluntatem, & vice versa voluntas intellectum in ratione communi, ideò vniuocè conueniunt, sic enim simpliciter sunt causæ cæteræ causæ sicut est causa finalis, & simpliciter est potentia operatiua tùm intellectus, tùm voluntas.

15 Arguitur secundò. Datur vera analogia sine vlla dependentia, ergò nulla dependentia causat analogiam; probatur antecedens, accidens est analogum ad nouem genera accidentium, & tamen vnum nullo modo dependet ab alio, ergò datur vera analogia sine aliqua dependentia. Probatur Minor, si aliquod esset accidens à quo cætera dependerent maximè esset quantitas, sed hoc nequit esse, cum in genere qualitatis sint multa accidentia spiritualia, quæ non dependent à quantitate, imò respectu omnium accidentium materialium sit tantum subiectum quo, ergò vnum accidens nullo modo dependet ab alio.

16 Respondetur distinguendo cōsequens, non est causa adæquata concedo consequentiam, sufficiens, nego consequentiam. Causa enim adæquata est transcendentia, dependentia, & inæqualitas in participanda ratione communi; vnde cum accidens sit transcendens actiuè ad nouem genera accidentium, inde stat esse verè analogum, licèt non adsit dependentia. Sic ergò quandoq; analogia causatur ex transcendentia sine dependentia, vt patet in diuinis, quandoque ex dependentia sine transcendentia, vt patet in exemplo de sano, & in lapide, & specie lapidis ab ipso producta, quandoq; verò ex vtraque, vt liquet in Deo, & Creaturis, in substantia, & accidente, quandoq; tandem ex inæquali participatione secundum magis, & minus reperta in ratione communi vt liquet in bono, & bonitate, in calore Solis, & ignis, vt expresè docet D. Thomas q. 7. de potentia, a. 7 ad 3 vbi ait, *quod magis, & minus potest tripliciter considerari, & sic prædicari; vno modo secundum solam quantitatem participati, sicut nix dicitur albior pariete, quia, perfectior est albedo*

bedo in niue, quàm in pariete, sed tamèn vnius rationis, vndè talis diuersitas secundum magis, & minus non diuersificat speciē; alio modo secundum quod vnum participatur, & aliud secundum essentiam dicitur, sicut diceremus quod bonitas est melior quam bonum; tertio modo secundum quod eminentiori modo competit idem aliquid vni quam alteri, sicut calor Soli, quam igni, & hi duo modi impediunt vnitatem speciei, & vniuocam prædicationem: Hæc D. Thomas.

17 Instabis primò. Datur vera analogia fine vlla dependentia, transcendentia, & inæqualitate in participanda ratione communi, ergò non sunt causæ adæquatæ analogiæ; probatur antecedens, ratio lapidis analogicè dicitur de lapide, ac de specie lapidis, & tamen non interuenit vnum ex istis ergò &c. Maior patet, nam in lapide reperitur simpliciter, & in eius specie secundum quid; Minor verò probatur, nam lapis habet esse naturale, eius verò species habet esse intentionale, sed esse naturale, & intentionale sunt in linea diuersa, & ex æquo distinguuntur, ergò &c.

18 Respondetur negando antecedens, ad probationem negando Minorem, ad probationem, nego consequentiam, & dico quod ibi interuenit vera dependentia, & inæqualitas in participanda ratione communi; prima quidem, nam species lapidis etiam secundum esse commune intentionale verè causatur ab ipso lapide, secunda etiam, siquidem magis participat rationem lapidis obiectum, quam species, cum obiectum ipsam participet in esse naturali, & entitatiuo, quod est esse simpliciter, species verò in esse intentionali, & repræsentatiuo, quod est esse secundum quid.

18 Instabis secundò. Licèt species lapidis, quæ est in intellectu humano sit causata ab ipso obiecto, ac ideò dependeat ab illo, tamen species lapidis existens in intellectu Angelico non est causata ab obiecto, cum non intelligat per species acceptas à rebus, & tamen adhuc analogicè conueniunt propter eamdem rationem, ergò stat analogia fine aliqua ex assignatis causis.

19 Respondeo distinguendo Minorem, si considerentur in ratione entis, concedo Minorem, in esse intelligibili, nego Minorem, & consequentiam. Si ergò considerentur in ratione entis species est accidens, & obiectum substantia, & ità analogantur in ente in ratione substantiæ, & accidentis, cuius analogiæ causa erit transcendentia, si verò considerentur in esse intelligibili, sic species lapidis est ipsa natura lapidis, nec analogicè differunt, vltrà quam quod adest inæqualis participatio, cum species lapidis sit talis in esse intentionali, & lapis in esse entitatiuo, & ideò ista etiam exclusa transcendentia, & dependentia erit sufficiens causa talis analogiæ.

20 Ex dictis collige quod analogia attributionis semper causatur ex dependentia, cum semper adsit inter aliqua, quæ in sua denominatione dependent à forma intrinsecè existente in alio. Analogia verò proportionalitatis potest causari, & ex transcendentia, vt vidimus, & ex dependentia, si ratio analoga sit per priùs, & simpliciter in vno, & per posteriùs, & secundum quid in alio: Vtraque denique potest causari ab inæquali participatione, non quidem secundum rationem particularem, sic enim tantum causatur analogia Physica, sed secundum rationem communem, ità quod ratio participata sit simpliciter in vno, & secundum quid in alio.

QVÆSTIO QVARTA
DE ENTE.

HOc nomen ens deriuatur à verbo substantiuo sum, quod certè significat esse. Varijs autem diuisionibus solet partiri scilicet in ens creatum, & increatum, in finitum, & in infinitum, in ens à se, & ens per participationem, in ens reale, & rationis, in ens per se, & ens per accidens, in actum, & potentiam, in substantiam, & accidens, & similia. In præsenti ergò Quæstione tractabimus de ente comparatiuè ad sua inferiora; vndè sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ens sit transcendens respectu suorum inferiorum?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis, aduertendum est primò, quod transcendens est illud quod per omnia genera diuagatur tanquam prædicatum essentialissimum omnium, ità quod nulla formalitas in eis reperiatur, de qua formaliter, & explicitè non prædicetur, & hoc ad differentiam vniuoci, quod licèt sit de essentia inferiorum, tamen non prædicatur explicitè, & formaliter de quacumque formalitate in eis reperta, vt liquet in animali, respectu rationalis, de quo essentialiter non prædicatur cum faciat cum illo compositionem. Nec per hoc quod ratio transcendens non ponatur in definitione essentiali rerum, sequitur de illis essentialiter non prædicari, sufficit enim quod ponatur ratio generica, & differentialis, non autem requiritur, quod in ipsa ponatur etiam ratio vniuersalissima, qualis est ratio transcendens.

2 Aduertendum est secundò, quod ens dupliciter potest sumi, primò nominaliter, secundò participaliter. Primo modo sumptum est illud quod dicit existentiam, vel importat ordinem ad illam, & istud competit rebus in statu præsentialitatis, vel futuritionis, & de hoc non procedit difficultas in præsenti, cum tale ens sit accidens prædicabile. Secundo modo sumptum dicit præcisam essentiam, & competit rebus etiam in statu puræ possibilitatis, & de hoc difficultas procedit.

3 Aduertendum est tertiò, quod hic non est sermo de transcendentia, quæ competit naturæ Diuinæ, quæ cum sit actus purissimus transcendit absque vlla minima diuisione, & multiplicatione omnes, & quascumque formalitates siuè absolutas, siuè relatiuas, quæ sunt in Deo; certum est enim quod ens communitate reali, & sine vlla prorsus diuisione, nequit prædicari de suis inferioribus, cum finitum sit, & limitatum. Vnde difficultas est de transcendentia, quæ secum habet annexam diuisionem, & multiplicationem in pluribus.

4 Prima sententia negat transcendentiam enti respectu suorum inferiorum, & tenet tantum habere rationem generis respectu

pectu illorũm. Ità Scotus cum sua Schola in p. dist. 3. q. 3. & in 7. Met. q. 1. & plures ex Societate, inter quos præcipui sunt Fonseca 5. Met. q. 6. sect. 2. & Ariaga disp. 11. Log. sect. 3.

5 Secunda sententia distinguit inter differentias nominatas, cuiusmodi sunt perseitas, & inalceitas, corporeitas, & spiritualitas,& innominatas,quæ includuntur in nominatis, & suntquasi incognitæ, & sic defendit ens transcendere primas, non secundas. Ità Pater Linceus Societatis Iesu 5. Met. tract. 1. cap. 4.

6 Tertia sententia docet esse ens transcendens respectu omnium differentiarum, ità quod nullum sit prædicatum, aut formalitas,in qua intimè non imbibatur. Ità omnes Thomistæ cum Angelico Præceptore,& ex extraneis Suarez 2. Met. sect. 6. Vasquez p. p. disp. 22. Hurtado disp. 9. Log. sect. 4. Telles 3. p. Summæ Phil. disp. 51. sect. 10. Vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

7 Conclusio. Ratio entis transcendit formaliter omnes, & singulas rerum differentias.

8 Probatur primò ex Aristotele 3. Met. tex. 10. vbi hac ratione probat ens non esse genus: *nullum genus prædicatur de differentijs, sed ens prædicatur de differentijs, ergò non est genus*; nequit autem loqui de prædicatione identica, cum hoc pacto etiam genus prædicatur de suis differentijs, & ità prædicatur formaliter, adeòque transcendit differentias.

9 Probatur secundò ex Diuo Thoma 1. 2. q. 94. art. 2. asserente *illud quod primo cadit in apprehensione est ens, cuius conceptus includitur in omnibus, quæcunque intellectus apprehendit.* Item q. 1. de ver. art. 1. inquit, *quod enti nihil potest addi quasi extraneum, per modum quo differentia additur generi, quia qualibet natura, aut essentia est essentialiter ens.*

10 Probatur ratione primò. Nomine transcendentis nihil aliud intelligitur quàm illud quod formaliter, & essentialiter includitur in quouis prædicato, & formalitate reperta in suis inferioribus, sed ens est huiusmodi, ergò ens est transcendens; Maior patet, Minor probatur primò, nam intimiùs spectat ratio entis ad conceptum differentialem cuiuscunque rei, quam v. g. ratio animalis ad rationale, sed in omnium Philosophorum sententia ratio animalis identicè, & realiter identificatur cum rationalitate, ergò ratio entis quidditatiuè, & formaliter includitur in differentia cuiuscumque rei. Secundò probatur eadem minor, nam vltima formalitas differentialis cuiuscumque rei est illa, qua formaliter differt ab alijs, sed hæc est essentialiter, & formaliter ens, cum sit opposita nihilo ergò ratio entis includitur formaliter, & essentialiter in quouis prædicato, & formalitate reperta in suis inferioribus.

11 Probatur secundò. Ità se habet ens in essendo,sicut Deus in causando, sed Deus in causando est transcendens, ità quod causet quamcumque formalitatem repertam in effectu, aliàs daretur aliquid increatum, & improductum preter Deum, ergò similiter ens est transcendens in essendo, ità quod includatur in qualibet differentia. Minor est probata Maior quoque probatur, nam sicut Deus est prima causa, ità ens est prima forma omnium rerum, sed quia Deus est prima causa nihil est quod eius causalitatem subterfugiat, ergò quia ens est prima forma nihil est quod eius prædicationem euitet, non solum identicè, sed etiam formalissimè, sicut non solum realiter, & identicè, sed etiam formalissimè quæcumque res causatur à Deo.

12 Probatur tertiò. Obiectum adæquatum intellectus est ens, ergò omne quod per se cognoscit debet esse ens sed vltimæ differentiæ sunt per se cognoscibiles, cum sint extrà nihil, ergò sunt formaliter entia.

13 Respondent primò Scotistæ ad hæc omnia, differentias vltimas esse ens identicè non formaliter, nec per hoc sequi differentias esse nihil, sicut non sequitur in Diuinis,

Pater

Pater non est formaliter Sapientia, ergò absolutè non est sapientia, cum sit Sapientia identicè.

14 Sed contrà primò: quod est alicui ratio formalis quare sit ens debet esse ens formaliter, & non tantum identicè, sicut si Sapientia esset ratio formalis quare Prima Persona sit Pater deberet esse Pater formaliter, sed differentiæ sunt rationes formales quare aliqua sint entia, cum ea formaliter constituant, ergò debent esse ens formaliter.

15 Contrà secundò. Quotiescumque aliquod prædicatum est essentiale, necesse est quod aliquid, vel sit formaliter illud, vel nihil, sed ens est prædicatum essentiale respectu cuiuscumque rei, cum nulli sit extraneum, ergò necesse quod quælibet res sit formaliter ens, vel formaliter nihil, sed non est formaliter nihil, ergò erit formaliter ens.

16 Respondent secundò, differentias entis esse ens vt quo, seu quale, vel in obliquo, non verò vt quod, vel quid, aut in recto, seu non esse entia sed entalia, & modos entis.

17 Sed contrà primò; nam in præsenti non est sermo de ente participiali, seu completo, sed de ente nominali, seu pro vt dicit ens communissimè sumptum, & pro vt opponitur nihilo, sed differentiæ opponuntur nihilo, ergò semper sunt ens.

18 Contrà secundò. Vltimæ differentiæ, vel includunt prædicatum reale, vel non, si secundum, constitutum per eas erit formaliter ens rationis, vel chimera; si primum, ergò sunt formaliter aliquid à parte rei, ergò sunt formaliter ens.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

19 Arguitur primò. Si ratio entis formaliter transcenderet vltimas differentias sequeretur quod conuenirent formaliter in ratione entis, sed hoc nequit esse, ergò ratio entis formaliter non transcendit vltimas differentias; probatur Minor, si conuenirent in ratione entis deberent inter se differre alijs differentijs, & cùm illæ pariter conuenirent in eadem ratione entis deberent alijs differentijs differre, & ità dari processus in infinitum, sed hæc omnia sunt absurda, ergò &c.

20 Respondetur negando Minorem, & ad probationem distinguo Maiorem, si conuenirent vniuocè, concedo Maiorem, analogicè, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo; cum ergò conueniant analogicè in ratione entis non est necesse quod per alias differentias differant, quia eadem ratio entis vt potè transcendens, non solum fundat conuenientiā, sed etiam diuersitatem, imò conuenientiam secundum quid, diuersitatem verò simpliciter. Et retorquetur argumentum contrà ipsos Scotistas, qui concedunt differentias esse ens quale, sic enim conuenient in ratione entis, vnde per alias differentias deberent differre vsque in infinitum.

21 Instabis: si vltimæ differentiæ includerent rationem entis essent quid compositum ex conceptu differentiali, & communi ratione ipsius entis, sed hoc est falsum, ergò non includunt rationem entis. Maior patet, nam compositio est distinctorum vnio; Minor probatur, si quidem quæuis vltima differentia est formalitas omninò simplex Metaphysicè, ergò &c.

22 Respondetur negando Maiorem; ad probationem distinguo antecedens, distinctorum penes exclusum, & inclusum, concedo antecedens, penes explicitum, & implicitum nego antecedens, & consequentiam; licèt ergò differentiæ includant ens, tamen faciunt vnicum simplicissimum conceptum cum ipso, nec omnis distinctio facit compositionē, sed tātum distinctio penes exclusum, & inclusum, vt patet in diuinis, relationes enim distinguuntur ratione ab essentia, & tamen non faciunt compositionem rationis cum ipsa, quia habent distingui solùm penès implicitum, & explicitum.

23 Arguitur secundò. Ratio communis determinabilis, & contrahibilis non includitur quidditiuè, & formaliter in ratione determinante, & contrahente, sed ratio communu-

munis entis est determinabilis, & contrahibilis per differentias, ergò non includitur formaliter, & quidditatiuè in illis. Probatur Maior, nam hac ratione animal non includitur formaliter, & quidditatiuè in rationali, & irrationali, ergò &c.

24 Respondetur distinguo Maiorem determinatione propria, & quo ad implicitum, concedo Maiorem, determinatione impropria, & quo ad explicitum, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam; Ad probationem respondetur similiter. Vnde disparitas est inter animal respectu rationalis, & irrationalis, & ens respectu suorum modorum, quod animal contrahitur propriè, & per aliquid sibi superadditum & ideò non includitur in rationali, & irrationali; ens autem tantum contrahitur Metaphoricè, & non per aliquid ipsi superadditum faciens cum illo compositionem; vndè debet includi in qualibet sua differentia.

25 Instabis primò, Ens determinatur, & contrahitur propriè per differentias, ergò nulla solutio, antecedens probatur; nam rationalitas v. g. propriè contrahit rationem animalis, ergò etiam contrahit propriè rationem entis, probatur consequentia, nam quæuis formalitas contractiua propriè alicuius rationis communis contrahit quoque omnia prædicata quidditatiua ipsius, sed ratio entis est prædicatum quidditatiuum animalis, ergò si rationalitas, &c.

26 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego consequentiam, ad probationem distinguo Maiorem, eodem modo, nego Maiorem, diuerso modo concedo Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; Differentia ergò contrahens rationem superiorem contrahit quoque omnia prædicata quidditatiua ipsius, sed eo modo quo sunt contrahibilia; vnde si non sint transcendentia, & faciat compositionem cum illis, contrahit propriè, si verò sint transcendentia, nec faciat compositionem cum illis contrahit tantum Metaphoricè, & quoad explicitum.

27 Instabis secundò, Rationale secundum suum essentialem conceptum est aliquid extraneum componens cum ratione entis, ergò propriè contrahit illam, nec illam includit; antecedens probatur, siquidem rationalitas secundum suum essentialem conceptum definitur quod sit principium quo ratiocinandi; sed in huiusmodi definitione non intrat formaliter ratio entis, cum ens dicat tantùm habitudinem ad existentiam, ergò rationale, &c.

28 Respondetur negando antecedens, ad probationem concessa Maiori distinguo Minorem, tanquam eius prædicatum explicitum, concedo Minorem, tanquam aliquid implicitè, & transcendentaliter inclusum in prædicatis definientibus nego Minorem, & consequentiam; sicut enim corpus est de conceptu essentiali, & quidditatiuo hominis, & tamen non ingreditur explicitam definitionem Metaphysicam illius, ità à fortiori ens potest esse de conceptu quidditatiuo rationalitatis, etiamsi explicitè eius definitionem non ingrediatur.

29 Arguitur tertiò. Sicut Deus est vniuersalissimus, in causando, ità ens est vniuersalissimum in essendo, sed hoc non obstante causalitas Diuina non transcendit quæcumq; differentiam entis in causando, ergò neque entitas transcendet quamcumque differentiam in essendo; probatur Minor, nam in probabiliori sententia peccatum pro formali constituitur formaliter, & in recto per aliquid positiuum, sed hoc non causatur à Deo, ergò &c.

30 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, morale, concedo Maiorem, Physicum, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo; Ex eo enim quod Deus vniuersalissimus sit in causando sequitur quod eius causalitas transcendat quamcumque differentiam entis Physici, non verò moralis; sicut est peccatum pro formali, cum constituatur per positiuam dissonantiam, & difformitatem ad legem, quæ reducitur in ipsam voluntatem creatam, & defectibilem tanquam in causam primam, & adæquatam; non sic autem est de entitate materiali peccati,

enti, quæ cum sit aliquid Physicum positiuè à Deo causatur.

31 Arguitur quartò. Quando vnum realiter abstrahitur ab alio realiter non manet in illo, ergò similiter quando vnum ratione abstrahitur ab alio, ratione non manet in illo, sed ens per rationem abstrahitur à suis modis, scilicet substantia, & accidente, ergò non manet in illis, ac ideò non est transcendens, & inclusum in qualibet differentia entis.

32 Respondetur distinguo consequens, si abstrahatur penès inclusum, & exclusum, concedo consequentiam, penès implicitum, & explicitum, nego consequentiam, & distincta eodem modo minori subsumpta, nego vltimam conseq. Potest ergò dupliciter aliquid abstrahit ab alio, primò ità quod abstrahatur distinctione penès inclusum, & exclusum faciêdo compositionem cum ipso, quo pacto animal abstrahitur à suis differentijs: secundò, ità quod abstrahitur distinctione penès explicitum, & implicitum nulla intercedente compositione inter illa, & hoc pacto abstrahitur ens à suis modis; licèt autẽ id quod ratione abstrahitur primo modo non remaneat in re abstracta, tamen id quod secundo modo abstrahitur adhuc remanet in re abstracta, non secundum explicitum, secundum quod abstrahitur, sed secundum implicitum, secundum quod non abstrahitur.

33 Arguitur vltimò. Quæ sunt primò diuersa se totis differunt, & in nullo conueniunt, sed modi entis sunt primò diuersi, ergò se totis differunt, & in nullo conueniunt, sed hoc esset falsum, si ens illos trascenderet, ergò ens non est transcendens respectu suorum inferiorum.

34 Respondetur distinguendo Maiorem; conueniunt vniuocè, concedo Maiorem, analogicè, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo; modi igitur entis sunt vtique primò diuersi, sed tamen per hoc non sequitur, quod non conueniant analogicè in ente, sed tantum vniuocè.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum ens respectu suorum inferiorum sit æquiuocum, vel vniuocum?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod de triplici diuisione entis possumus loqui. Prima qua ens latissimè sumptum diuiditur, in reale, & rationis; secunda, qua ens reale diuiditur in creatum, & increatum. Tertia denique, qua ens creatum diuiditur in substantiam, & accidens, & de omnibus quæstio procedit. Quo ad primam partem nullum est dissidium apud Doctores, vno excepto Rabbi Moisè Teste Diuo Thoma q. 7. de Potentia a. 7. dicente ens esse æquiuocum. Quoad secundam verò partem.

2 Prima sententia est affirmatiua, & hanc tenet Scotus cum omnibus Scotistis, in 1. dist. 3. q. 1. art. 3. & in 3. dist. 8. q. 2. quos sequuntur Nominales, & plures Neoterici, præcipuè Ouiedo tom. 2. Met. conf. 1. Ariaga disput. 9. Log. sect. 4. & Linceus 1. Met. tom. 2. cap. 1. imò plures ex Scotistis, & inter cæteros Bonetus primo Metaphysicæ etiam id tenent respectu entis realis, & rationis.

3 Secunda sententia est negatiua, & hanc docent omnes Thomistæ, & ex exteris Suarez in Met. disp. 28. sect. 2. Vasquez p. p. disp. 22. cap. 5. Hurtado disp. 9. Log. sect. 4. Tellez in Met. disp. 51. sect. 1. & Conimbricenses §. 1. de Prædicam. Vnde fit,

§. II.

§. II.

Veritas aperitur.

4 PRima conclusio. Ens non est æquiuocum respectu suorum inferiorum.

5 Probatur primò. Ratio æquiuoca dicit omnimodam diuersitatem ex parte suorum inferiorum cum sola nominis vnitate, sed ens dicit aliquam rationem communem suis inferioribus præter nomen; ergò non est purè æquiuocum; Maior patet, probatur Minor, nam ens significat esse, sed hoc est commune Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti, ergò &c.

6 Probatur secundò ratione Diui Thomæ 1. p. q. 13. art. 5. Per vnum æquiuocum non cognoscitur aliud, neque vnum est similitudo alterius, sed per ens reale cognoscitur ens rationis, & per creaturas Creator, iuxtà illud Apostoli ad Romanos primò *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, similiter ens rationis est vmbra, vestigium, & similitudo entis realis, sicut etiam Creatura Creatoris, & accidens est affectio substantiæ, cum sit entis ens, ergò ens non est æquiuocum respectu suorum inferiorum.

7 Probatur tertiò. Si ens purè æquiuocè prædicaretur de substantia, & accidente, de Deo, & Creaturis non posset dari aliqua scientia, ac ideò nec Metaphysica de ipso, sed hoc est absurdum, ergò ens purè æquiuocè non prædicatur de suis inferioribus. Sequela maioris probatur, nam omnia quæ attinguntur ab aliqua scientia oportet quod conueniant in vna ratione formali obiecti, sed æquiuoca non conueniunt in aliqua ratione formali, cum solum nomen commune habeant, ergò &c.

8 Secunda conclusio. Ens non est vniuocum respectu entis realis, & rationis.

9 Probatur primò. Ad hoc vt aliqua ratio sit vniuoca debet esse simpliciter in omnibus, sed ratio entis non est huiusmodi respectu entis realis, & rationis, ergo non est vniuoca; Maior patet, Minor probatur, nam ens rationis non est propriè, & simpliciter ens, sed tantum similitudinariè, & secundum quid, ergò &c.

10 Probatur secundò. Ideò ratio significata per hoc nomen homo, non comparatur vniuocè ad hominem verum, & pictum, quia homo pictus non participat rationem essentialem hominis, sed tantum per quandam apparentiam, sed etiam ens rationis, non est propriè, & verè ens, sed tantum Metaphoricè, & apparenter, ergò ratio communis entis non est vniuoca respectu entis realis, & rationis.

11 Tertia conclusio. Nec etiam ens est vniuocum respectu Dei, & Creaturarum, substantiæ, & accidentis. Ità Diu. Thomas 3. Met. lect. 8. primò contrà Gent. cap. 28. & 1. p. q. 13. art. 5.

12 Probatur primò ratione. Dependentia in ratione communi, vel transcendentia rationis communis in suis inferioribus causat analogiam, ac tollit vniuocationem, sed vtraque reperitur in ente respectu Dei, & Creaturarum, substantiæ, & accidentis, ergò ens non est vniuocum, sed analogum respectu omnium. Maior liquet ex dictis, Minor probatur, & primò quò ad dependentiam, nam accidens dependet à substantia, & Creatura à Deo, etiam in participanda ratione communi entis; Probatur pariter quò ad transcendentiam, nam ens essentialiter includitur in qualibet formalitate reperta tùm in Deo, tùm in Creaturis, tùm in substantia, tùm in accidente, ergo &c.

13 Probatur secundò. Quotiescumque effectus non adæquat virtutem causæ in ratione communi, ità quod simpliciter non dicatur de vtroque talis ratio nequit esse vniuoca, sed analoga; sed omnis creatura est effectus Dei in genere causæ efficientis, & finalis non adæquans tali pacto eius virtutem, sicuti etiam accidens est effectus substantiæ in genere causæ materialis substentantis, ergò ratio entis illis communis nequit esse vniuoca, sed analoga; Maior liquet ex dictis; Minor etiam videtur clara, nam Deus est simpliciter ens, & est ens increatum, infinitum, & independens; Creatura verò est

ens secundum quid, creatum, finitum, & dependens; similiter substantia est ens simpliciter habens esse per se, accidens verò est ens secundum quid habens esse in alio, ergò &c.

14 Probatur tertiò. Omne prædicatum vniuocum, vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens; sed respectu Dei, & Creaturarum, substantiæ, & accidentis nequit dari prædicatum, quod sit aliquod ex prædictis prædicabilibus, ergò ens nequit esse vniuocum &c. Maior liquet, Minor probatur, siquidem si aliquod esset, maximè genus; sed ens nequit esse genus, cum actu includat sua inferiora per perfectam transcendentiam in illis, ergò &c.

15 Respondent Scotistæ diuisionem illam non esse adæquatam; vndè potest ens esse vniuocum, & tamen non esse aliquod prædicabile ex assignatis.

16 Sed contrà. Quia omne quod prædicatur vniuocè, vel prædicatur essentialiter, vel accidentaliter; si primum, vel dicit totam essentiam, & sic erit species, vel partem essentiæ contrahibilem, & ità erit genus, vel partem essentiæ contrahentem, & sic erit differentia. Si secundum, vel separabiliter, & sic erit accidens, vel inseparabiliter, & ità erit proprium.

17 Respondent denuò talem diuisionem esse vniuoci vniuoci; non verò vniuoci analogi, quo pacto Mastrius inter cæteros dicit ens esse vniuocum analogum ad Deum, & Creaturas, ad substantiam, & accidens; vndè non sequitur esse genus, cum genus non sit vniuocum analogum.

18 Sed audiant Scholæ nouum, & ingeniosum inuentum, miscentem audiant Mastrium analogiam cum vniuocatione, Philosophiam confundentem, & quod peiùs est ipsum Aristotilem suam nitentem trahere in sententiam; cum tamen pluribus in locis, & præcipuè 4. Met. tex. 2. expressè doceat *quod non semper requiritur vnitas perfecta, & vniuoca ad specificandas scientias in obiecto, sed sufficit imperfecta, & analogica.* Imò sibi ipsi Mastrius contradicit, dum ponit vnitatem entis esse imperfectam, & dicit esse vniuocam, vel nobiscum sentiens solis terminis ludit; in hoc enim Thomistica Schola vniuoca ab analogis secernit, quod illa habent vnitatem perfectam, ista verò imperfectam. Quod si analoga quandoque videntur habere rationem vniuoci, & ità appellari, iam vidimus hoc esse comparatiuè, non absolutè.

19 Sed re vera hæc eadem sentit Scotus in 1. dist. 3. q. 2. vbi hæc habet: *ne fiat contenta de nomine vniuocationis, conceptum vniuocum dico, qui ità est vnum, quod eius vnitas sufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipsum de eodem, & sufficit pro medio syllogistico, vt extrema vnita in medio sic vno sine fallacia æquiuocationis concludantur inter se vnum.* Hucusque Scotus; Vbi certè sub vniuoco conceptu comprehendit tùm vniuoca, tùm analoga, quorum vnitas sufficit ad contradictionem, & potest esse medium in demonstratione, vt patet in demonstrationibus Metaphysicalibus.

20 Respondet aliter Mastrius negando quod ens esset genus, quia genus debet dicere realitatem potentialem ad aliam comparatem, ità quod sit extrà illam per modum compartis, quod non habet ens; & ità respondet etiam Trombetta, & Mairon.

21 Sed vltrà quam quod apertè conuincitur Scotistę docentes ens dicere potentialitatem, vt cæteri gradus prædicamentales, vt contrà ipsos insurgit Mastrius; contrà ipsum est; Tùm quia ex hoc sequitur quod ens non solum non sit genus, sed nec vniuocum, sed solum analogum, cum diuisio prædicabilis vniuoci sit adæquata vt vidimus. Tùm quia ratio superior vniuoca cum præscindat à differentiali, si vniatur facit compositionem cum illa, & ideò necessariò debet habere rationem compartis potentialis; vndè si ens non habet partis potentialis rationem, nec erit genus, nec vniuocum.

22 Respondent etiam communiter Scotistæ talem diuisionem esse vniuoci non transcendentis, cum autem ens sit transcendens benè potest esse vniuocum, & non esse genus, & hanc solutionem Mastrius inquit tra-

tradi à Scoto in terminis; in 1. dist. 3. q. 3.

23 Sed contrà primò cum Complutensibus; quia concedere ens esse vniuocum, & postea negare esse genus quia est transcendens, & illi deficit proprietas generis scilicet non includi in differentijs est idem, ac concedere equum esse animal rationale, & negare esse rationalem, quia deficit ei risibilitas; vnde repugnat quod alicui conueniat essentia, non verò propria passio, & quod repugnet propria passio, non verò essentia, ergò si ens est vniuocum idest contrahibile potentiale debet quoque non includere differentias, & ità esse genus, vel si includit differentias, non est contrahibile potētiale, ac ideò, nec genus, nec vniuocum.

24 Contra secundò cum Ioanne à Sancto Thoma: si quidem in Scotistarum sententia, ens non transcendit, & non includitur in differentijs ergò nihil ei deesset quin foret genus, si aliunde esset vniuocum; & licèt Mastrius distinguat de vltimis, & non vltimis differentijs, tamen certum est quod respectu illarum quas transcendit, nec erit vniuocum, nec genus; respectu verò illarum quas non transcendit erit vniuocum, & genus. Sed re vera, vt vidimus, omnes transcendit, vndè nunquam potest esse vniuocū.

25 Contrà tertiò. Transcendentia quà talis impedit vniuocationem, & ponit analogiam, vt vidimus, ergò si ens transcendit modos respectu illorum non erit vniuocum, ac ideò, nec genus. Hæc quidem ratio adeò torquet Scotistas, vt diuersis vijs respondentes, Pontius in Scotum, Mastrius in Pontium inuehatur, omnesque quærant effugium, quod inuenire non possunt.

26 Respondet Arriaga concedendo ens esse genus, contendens ex definitione generis id necessariò sequi, maximè in Scholis eius vniuocationem admittentibus.

27 Sed contra. Nam licèt hoc necessariò sequatur, tamen falsum est; tùm quià directè est contrà Philosophum, tùm quià prædicatur de primò diuersis, & non solum differentibus specie, tùm denique quia ex hoc sequeretur Deum poni sub genere, vt benè arguit Mastrius, quod tamen est absurdum.

28 Respondet Auersa ens posse dici genus latè sumptum, seù transcendentale, eo modo, quo differentiæ entis dicuntur species.

29 Sed contrà. Genus ex vi nominis importat conceptum potentialem, extraneum à differentia, quem non habet ens; vndè candidè loquendo, ens non est genus, nisi abusiuè, sicut differentię abusiuę sunt species.

§. III.
Argumenta Soluuntur.

30 Arguitur 1. contrà primam conclusionem. Magis differunt substantia, & accidens, Deus & Creaturæ, quàm canis cælestis, terrestris, & marinus, sed canis dicitur æquiuocè de illis omnibus, ergò etiam ens à fortiori de substantia, & accidente, &c. Minor patet, Maior probatur, nam canis cælestis, terrestris, & marinus conueniunt in ratione substantię creatæ, nō verò substātia, & accidens, Deus, & Creatura, ergò &c.

31 Respondetur cum Diuo Thoma, q. 2. de ver. art. 11. ad 7. distinguendo Maiorem pro vt eis correspondet tantùm hoc nomen canis, nego Maiorem, pro vt eis correspondet aliquod prædicatum reale, concedo Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque canis cælestis, terrestris, & marinus possunt dupliciter considerari. Primò vt conueniunt in ratione animalis, vel substantiæ, & ità minùs differunt quàm substantia, & accidens, imò hoc pacto conueniunt vniuocè; Secundò vt significantur per hoc nomen canis, & quia illos significat tanquam plura vt plura absque vlla conuenientia, & proportione, ideò hoc pacto minùs conueniunt, quàm substantia, & accidens, & purè æquiuocè dicuntur.

32 Instabis primò. Magis distant ens reale, & rationis, quàm substantia, & accidens, Deus, & Creaturæ, sed substantia, & accidens, Deus, & Creaturæ conueniunt tantum analogicè in ente, ergò ad minus ens reale, & rationis conuenient solum æquiuocè; Minor patet, Maior quoque est clara, cum tàm Deus, quàm creatura, tàm substantia, quàm accidens sit ens reale.

33 Respondetur negando consequentiam; magis enim, & minùs conueniunt in eadem ratione analogica, secundum latitudinem diuersorum graduum, sicuti equus, & homo magis conueniunt quam corpus sublunare, & cæleste, & tamen omnes conueniunt in ratione vniuoca, imò Deus, & Creaturæ, sicut in ratione entis realis magis conueniunt, quam ens reale, & rationis; ità etiam in ratione finiti, & infiniti magis inter se differunt.

34 Instabis secundò. Ideò vtrobique est conuenientia analogica esto magis, vel minus different in ratione entis, quià per vnum cognoscimus aliud, sed ista ratio est nulla, ergò non conueniunt analogicè; Maior patet, Minor probatur, etiam per hominem pictum cognoscimus hominem verum, & tamen per Philosophum, homo dicitur æquiuocè de homine verò, & picto, ergò &c.

35 Respondetur distinguendo Maiorem, tanquam per causam, vel effectum concedo Maiorem, præcisè, nego Maiorem, & distincta eodem modo minori nego consequentiam; ad probationem respondeo similiter; vndè est dispar ratio; Creatura enim est verus effectus Dei participans intrinsecè rationem entis, quod non habet homo pictus.

36 Instabis tertiò. Quandò aliquid prædicatur secundum purum nomen, & non secundum aliquam rationem, prædicatur purè æquiuocè, sed aliquod prædicatum v. g. sapientia prædicatur de Deo, & Creaturis secundum nomen, & non secundum aliquam rationem, ergò purè æquiuocè prædicatur, ac ideò etiam ens; probatur Minor, remoto genere remouetur quoque ratio speciei contenta sub illo, sed ratio qualitatis, quæ est genus ad sapientiam repertam in Creaturis remouetur à Deo, ergò remouetur etiam sapientia, ac ideò secundum solum nomen prædicatur de Deo, & Creaturis.

37 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo consequens, remouetur etiam sapientia vniuocè conueniens cum illa, concedo consequentiam, analogicè cùm illa conueniens nego consequentiam, Remoto ergò genere remouetur ratio vniuoca remanente analoga, quæ potest prædicari de inferioribus, vt contingit in casu nostro, & ideò Sapientia vt sic prædicatur analogicè de creata, & increata, cùm in diuinis sit substantia, in creatis verò accidens.

38 Arguitur secundò ex D. Thoma 10. Met. lect. 4. vbi ait, *quod ens, & vnum prædicantur æqualitèr de omnibus generibus*, ergò vniuocè prædicantur.

39 Respondetur negando consequentiam; ly enim æqualitèr non cadit suprà inferiora, ità quod æqualitèr, & simplicitèr participent rationem entis; sed cadit suprà ens, & vnum, ità quod cùm tanta vniuersalitate prædicatur vnum, ac ens, cùm sit eius passio; cæterùm vtrumque simplicitèr participatur à Deo, & substantia, & secundum quid à creatura, & accidente, cum per priùs dicatur de illis, quàm de istis.

40 Instabis. Etiam si numerus dicatur de binario, & ternario cum prioritate, & posterioritate adhuc prædicatur vniuocè de illis, ergo pariter etiam si ens, & vnum prædicentur cum prioritate, & posterioritate &c.

41 Respondetur cum D. Tho. 1. poster. lect. 8. negando consequentiam, & disparitas est, quia talis prioritas, & posterioritas in numeris est Physica orta ex rationibus particularibus, prioritas autem, & posterioritas reperta in substantia, & accidente, in Deo, & creaturis est Logica orta ex ipsa rationecommuni entis.

42 Arguitur tertiò. Ideò ens non est vniuocum, quia includitur in vltimis differentijs suorum inferiorum, sed illa ratio est nulla, ergò ens est vniuocum. Maior patet: Minor probatur, substantia est genus generalissimum, & vniuocum, & tamen includitur in vltimis differentijs substantiæ, cum istæ non sint accidentia, sed substantiæ, ergò illa ratio est nulla.

43 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, substantia completa, concedo Maiorem, abstrahens à completa, & incompleta, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori negatur

Con-

Consequentia; itaque substantia abstrahens à completa, & incompleta includitur in omnibus suis differentijs, & sic analogicè dicitur de illis; substantia verò completa non imbibitur in suis differentijs, cùm illæ sint incompletæ, nec directè ponibiles in prædicamento substantiæ, & hæc vniuocè dicitur.

44 Instabis primò. Ex hac solutione sequitur, quod licèt ens abstrahens à completo, & incompleto sit analogum, non tamen ens completum, ergò hoc erit vniuocum respectu suorum inferiorum, antecedens probatur, quia licèt ens abstrahens à completo, & incompleto imbibatur in suis differentijs, non tamen imbibitur ens completum, ergò &c.

45 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego Consequentiam; transcendentia enim non est causa adæquata analogiæ, & ideò adhùc ista cessante in ente completo non cessaret ratio analogiæ, cum adhuc dicatur de substantia per priùs, & simplicitèr, & de accidente per posteriùs, & secundum quid, & de vno dependentèr ab alio, quod non habet substantia completa in ordine ad substantias sibi subiectas; vltrà quàm quod in ente completo adest transcendentia, & imbibitio actiua, qua includit omnes modos prædicamentales, vt sic distinguatur ab ente abstrahente à completo, & incompleto.

46 Instabis secundò. Licèt accidens in ratione communi entis habeat dependentiam à substantia, non tamen illam habet in ratione entis completi, ergò nulla causa analogiæ in ente completo reperitur, ac ideò erit vniuocum; antecedens probatur, nàm independentèr à substantia habet suum vltimum complementum, quod est inhærentia, ergò &c.

47 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego antecedens; ex eo enim quod accidens complcatur per inhærentiam in subiecto vtiquè in suo complemento dependet à substantia, quæ est illius subiectum, sicut enim vltima actualitas substantiæ est subsistere in se, ità vltimà actualitas accidentis est alteri inesse.

48 Arguitur quartò. Mensura, & Mensuratum debent esse eiusdem rationis, & vniuocè conuenire, sed Deus est mensura omnium creaturarum, ergò debet vniuocè conuenire cum illis. Minor patet: Maior quoque videtur clara; ideò enim quantitas magna non potest esse mensura quantitatis paruæ, quia non adæquantur intèr se ergò &c.

49 Respondetur ex D. Tho. quæst. 7. de Potentia art. 7. distinguo Maiorem, mensura homogenea, & adæquata, concedo Maiorem, etherogenea, & excedens, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, negatur Consequentia: duplex ergò est mensura, homogenea, & adæquata vna, & hæc est eiusdem rationis, & vniuocè conuenit cum mensurato: alia est etherogenea, & excedens, & hæc est diuersæ rationis, nec vniuocè conuenit cum mensurato: Deus autem est mensura etherogenea, & excedens respectu omnium creaturarum, & ideò est diuersæ rationis, nec vniuocè conuenit cum illis.

50 Arguitur quintò. Analogum nequit esse medium in demonstratione, sed ens est medium in demonstratione; ergò nequit esse analogum, sed vniuocum, Maior patet, quia causat fallaciam æquiuocationis in secundo modo, & consequentèr destruit formam syllogisticam; Minor probatur, nàm de ente datur scientia, ergò potest esse medium in demonstratione.

51 Respondetur cum Bruno distinguo Maiorem: analogum puræ attributionis, concedo Maiorem: proportionalitatis, nego Maiorem, & concessa Minori: distinguo consequens eodem modo. Solum ergò analogum attributionis causat æquiuocationem, non verò analogum proportionalitatis, vel quod est simul analogum vtraque analogia, quale est ens, & ideò benè po est esse medium in demonstratione.

52 Arguitur vltimò. Dependentia accidentis à substantia est tantùm in genere causæ materialis sustentantis, ergò non causabit analogiam, sed vniuocationem: antecedens patet; Consequentia probatur: nàm forma materialis depédet à materia in sustentari; similitèr qualitates spirituales ab intellectu, & ta-

& tamen non arguitur analogia in illis, sed adest vera vniuocatio, ergò si &c.

53 Respondetur negãdo consequentiã, ad probationem negatur consequentia: & disparitas est quia prima est dependentia nedum in ratione particulari accidentis; verum etiam in ratione communi entis, ità quod ratio entis sit priùs in substantia, quàm in accidente, & ità in accidente dependenter à substantia, non sic autem est in forma, quæ potiùs priùs participat rationem entis, quàm materia, cùm illa sit actus, & ista potentia, nec in accidentibus spiritualibus respectu intellectus, cùm æquè sint accidentia cum ipso, vndè dependentia est tantùm in ratione particulari.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Ens sit analogum respectu suorum Inferiorum vtraque Analogia?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est ens esse analogum, vt euidentèr conuincitur ex antecedenti articulo, respectu suorum inferiorum, vndè quærendum remanet an sit analogum vtraq; analogia tàm attributionis, quàm proportionalitatis simul.

2 Prima sententia vult, quod ens in communi sit tantùm analogum analogia attributionis. Ità Suarez to. 1. Met. disp. 28. sect. 3. Vasquez p. p. to. 2. disp. 27. c. 20. & Rubius.

3 Secunda sententia tenet, quod ens formaliter sit tantum analogum analogia proportionalitatis, & solum virtualiter analogia attributionis. Ità Io: à S. Thoma q. 13. Log. a. 4.

4 Tertia sententia docet, quod ens formaliter est analogum vtraque analogia. Ità omnes alij Thomistæ: vnde sit,

§. II.

Veritas aperitur.

5 PRima Conclusio. Ens formaliter est analogum analogia proportionalitatis propriæ. Ità D. Tho. q. 2. de Veritate art. 2. & alibi.

6 Probatur: ratio analoga denominans propriè, & intrinsecè omnia analogata fundat analogiam proportionalitatis propriæ, sed ratio communis entis denominat propriè, & intrinsecè omnia analogata; ergò fundat analogiam proportionalitatis propriæ. Maior patet, Minor probatur primò, siquidem intrinsecè participatur ab omnibus suis inferioribus, dicente D. Th. p. p. q. 6. a. 4. *quamlibet creaturam denominari bonam, & ens simil tudine bonitatis, & entitatis diuinæ sibi inhærente*. Secundò, ens est prædicatum transcendens, ergò intrinsecè denominat omnia sibi inferiora. Tertiò, quæuis creatura dicit respectum transcendentalem ad Deum, sicut, & accidens ad substantiam, & ens rationis ad ens reale, sed respectus transcendentalis fundatur in aliqua entitate, imò cum illa identificatur; ergò ratio communis entis &c.

7 Secunda Conclusio. Ens est etiam formaliter analogum analogia attributionis.

8 Probatur primò ex Philosopho, & D. Th. 4. Met. lect. 4. & lib. 11. lect. 3. vbi explicat analogiã entis exemplo sani, quod de animali, vrina, & medicina dicitur analogicè analogia attributionis, ergò de mente Philosophi, & D. Th. vera Conclusio.

9 Probatur secundò ratione: licèt creatura, accidens, & ens rationis, denominentur intrinsecè entia à propria entitate, tamen creatura potest quoque denominari extrinsecè ens ab entitate existente in Deo, sicuti, & accidens ab entitate substantiæ, & tan-

tandem ens rationis ab entitate entis realis, [illegible] quatenùs denominantur extrinsecè entia analogantur cum ipsis analogia attributionis, ergò ens est etiam formaliter analogum analogia attributionis, Maior probatur, nam creatura in ratione entis dicit habitudinem ad Deum, accidens ad substantiam, & ens rationis ad ens reale, & definiuntur per ordinem ad illos, ergò possunt denominari extrinsecè entia ab entitate intrinsecè existente in ipsis, consequentia probatur, siquidem ideò vrina, & medicina denominantur sanæ à sanitate animalis, quia dicunt habitudinem formaliter ad ipsum, & definiuntur per ordinem ad illam, ergò si creaturæ in ratione entis &c.

10 Probatur tertiò. Sicuti qualibet creatura denominatur intrinsecè ens à propria entitate, ità medicina denominatur intrinsecè bona à propria bonitate sibi intrinsecè inhærente, v patet in potione dulci, at non obstante intrinseca bonitate medicinæ, aut alterius cuiusuis medij conducentis ad aliquem finem, tùm medicina, tùm alia media possunt extrinsecè denominari bona à bonitate finis, ad quem per se ordinantur, ergò similiter licèt creatura denominetur intrinsecè ens à propria entitate, adhuc tamen potest denominari ens ab entitate diuina.

§. III.

Argumenta soluuntur.

11 Arguitur primò contrà primam Conclusionem. Ad analogiam proportionalitatis requiritur quòd vnum analogatorum non ingrediatur definitionem alterius; sed creatura nequit definiri nisi in ordine ad Deum, & accidens sinè habitudine ad substantiam, ergò ratio entis communis Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti non est analoga analogia proportionalitatis. Maior patet, Minor probatur; nam creatura nequit definiri nisi per hoc, quod sit ens participatum ab alio, scilicet à Deo, & accidens nisi per hoc, quod sit ens in alio, scilicet in substantia, ergò &c.

12 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, si definiantur adæquatè, concedo antecedens, inadæquatè, nego antecedens, & consequentiam; itaque creatura, & accidens dupliciter possunt definiri, primò adæquatè, exprimendo nimirum, non solum esse imperfectum, quod habent, sed etiam subordinationem, quam dicunt ad suum primum principium, vel subiectum, à quo sustentantur in esse, & ità certum est, quod in definitione creaturæ ingreditur Deus, & in definitione accidentis ingreditur substantia. Secundò possunt definiri inadæquatè, solum explicando esse imperfectum ipsorum, absque mentione principij, vel subiecti, à quo dependent, & ità nec Deus ingreditur definitionem creaturæ, nec substantia accidentis, nisi materialiter, & implicitè; vndè si creatura, & accidens definiantur, & considerentur hoc modo; analogantur analogia proportionalitatis cum Deo, & substantia, & proportionalitas in hoc consistit, quod sicut Deus se habet ad suum esse infinitum, & illimitatum, ità creatura se habet ad suum esse finitum, & limitatum, & sicut substantia se habet ad suum esse substantiale, ità accidens ad suum esse accidentale.

13 Arguitur secundò. Ad analogiam proportionalitatis requiritur, quod ratio communis analoga non participetur propriè ab omnibus analogatis, sed à minùs principali tantùm impropriè, sed ratio entis participatur propriè ab omnibus inferioribus, ergò ens non est analogum proportionalitatis; Minor patet, Maior verò probatur; nam sola proportionalitas nequit fundare analogiam, ergò vltrà illam requiritur quod ratio analoga non participetur propriè ab analogatis; antecedens probatur, nam secus sequeretur, quod nulla daretur vniuocatio, sed hoc est absurdum, ergò sola proportionalitas nequit fundare analogiam. Sequela Maioris probatur, nam etiam inferiora rationis vniuocæ dicunt suam proportionalitatem, cum ità se habeat leo ad suum esse animalis, sicut homo se habet ad suum, ergò.

gò si sola proportionalitas &c.

14 Respondetur negando Maiorem vniuersaliter, verificatur enim tantùm in analogis proportionalitatis metaphoricæ, ad probationem, nego antecedens, ad probationem, nego sequelam, ad probationem, distinguo antecedens, proportionalitatem fundatam suprà perfectam, & absolutam conuenientiam in ratione communi, concedo antecedens, fundatam in vnitate secundum quid, & diuersitate simpliciter, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò inter vniuoca reperiatur sua proportionalitas, tamen hæc fundatur in omnimoda conuenientia in ratione communi, quæ tollit rationem analogiæ, non sic autem est proportionalitas reperta in inferioribus entis, puta inter substantiam, & accidens, Deum, & creaturas, & ideò est dispar ratio.

15 Arguitur tertiò contrà secundam Conclusionem; ad analogiam attributionis requiritur necessariò, quòd ratio communis analoga reperiatur intrinsecè in analogato magis principali, & in alijs tantùm extrinsecè, sed ens intrinsecè reperitur tàm in substantia, quàm in accidente, tàm in Deo, quàm in creaturis, ergò non est analogum analogia attributionis.

16 Respondetur distinguendo Minorem, quatenus analogatur analogia proportionalitatis, concedo Minorem, analogia attributionis, nego Minorem, & consequentiam. Duplex ergò denominatio entis, & boni reperitur in creatura, vt inquit D. Th. p. p. q. 6. a. 4. iam suprà citatus, & proportionali modo potest dici in accidente. Primò namque potest denominari ab entitate, & bonitate intrinseca creaturæ, & hoc pacto analogatur analogia proportionalitatis cum Deo. Secundò denominari potest ab entitate Dei, & hoc pacto cum sit illi extrinseca, analogatur analogia attributionis cum Deo.

17 Instabis primò. Nullo modo creatura potest denominari ens extrinsecè, ergò nullo modo ens potest analogari analogia attributionis. Antecedens probatur; Siquidem vna, & eadem forma nequit simùl denominare idem subiectum intrinsecè, & extrinsecè, sed de facto creatura denominatur intrinsecè ens, ergò non potest denominari talis extrinsecè.

18 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Minorem, à propria entitate, concedo Minorem, ab entitate diuina, nego Minorem, & consequentiam. Non est enim eadem forma, quæ simul denominet intrinsecè, & extrinsecè, sed entitas propria intrinsecè denominat creaturas, entitas autem diuina denominat extrinsecè.

19 Instabis secundò. Implicat quod Creatura denominetur ens ab entitate diuina; ergò nulla solutio: antecedens probatur, quia Creatura solum potest denominari ens finitum, & participatum, sed entitas Diuina nequit tribuere talem denominationem, ergò implicat &c. Probatur Minor, nam qualis fuerit forma, talis erit denominatio resultans, sed entitas diuina est ens infinitum, & per essentiam, ergò nequit &c.

20 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego Minorem, ad probationem, distinguo Maiorem, si subiectum sit capax recipiendi talem denominationem, concedo Maiorem, secus, nego Maiorem, & concessa Minori negatur consequentia; licèt ergò forma tribuat semper denominationem subiecto, quod denominat; non tamen est necesse, quod eandem præstet omnibus subiectis, sed iuxtà eorum capacitatem, maximè cum denominat extrinsecè; sic enim visio, vt dixi, oculum cui intrinsecè inhæret, denominat videntem, & parietem, quem extrinsecè afficit denominat visum. Sic etiam anima rationalis aliquibus partibus corporis, vt oculo, & auditui præstat denominationem sensitiui, & aliquibus, vt vnguibus, & capillis solum denominationem vegetatiui, quia non sunt capaces alterius denominationis. Sic pariter entitas Diuina denominat ipsum Deum, in quo intrinsecè reperitur ens infinitum, & per essentiam, creaturam verò, quam extrinsecè respicit ens finitum, & per participationem, quia Creatura non est capax alterius denominationis.

21 Instabis tertiò. Quando sunt diuersæ formæ denominantes nequit resultare eadem

dem denominatio, sed Creatura à propria entitate denominatur ens finitum, & per participationem, ergò ab entitate Diuina nequit hoc suscipere.

22 Respondetur distinguendo Minorem: intrinsecè, concedo Minorem, extrinsecè, nego Minorem, & distinguitur consequens eodem modo. Denominatio enim creati resultans in Creatura à propria entitate est omninò intrinseca, illa verò, quam accipit ab entitate Diuina est extrinseca, sicut denominatio intelligibilis, quam habet obiectum ex vi connexionis prædicatorum essentialium est intrinseca, & illa, quam à potentia intellectiua desumit, est extrinseca.

23 Instabis quartò. Implicat, quod Creatura denominetur intrinsecè ens à propria entitate, & postea extrinsecè ab entitate Diuina, ergò nequit denominari extrinsecè ens, & ità hoc nequit esse analogum attributionis: antecedens probatur, si vrina, & medicina essent intrinsecè sanæ non possent denominari extrinsecè sanæ à sanitate animalis, ergò &c.

24 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego antecedens, in tali enim casu participatio intrinseca sanitatis esset fundamentum talis denominationis extrinsecæ, quæ illi adueniret à sanitate animalis; sicut de facto esse intrinsecè significatiuum, vel causatiuum sanitatis est fundamentum denominationis extrinsecæ sanitatis in vrina, & medicina.

25 Arguitur vltimò. Ad analogiam attributionis requiritur, quod analogatum magis principale ponatur in definitione reliquorum; sed Deus qui est analogatum magis principale non ponitur in definitione creaturæ, nec substantia in definitione accidentis, ergò ens non est analogum analogia attributionis ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens: probatur Minor, illud quod ingreditur definitionem alicuius debet esse notius illo; sed Deus non est notior Creatura, nec substantia accidente, cum potius per Creaturas, & accidens cognoscamus Deum, & substantiam, ergò Deus &c.

26 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, si ingrediatur vt pars intrinseca, concedo Maiorem, vt extrinsecum connotatum, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Id ergò, quod ingreditur in definitione solùm vt extrinsecum connotatum non debet esse notius vt patet in relatiuis, vnum enim definitur per aliud, & tamen sunt simul natura, & cognitione, & ità est in casu nostro.

27 Instabis primò. Si Deus poneretur in definitione Creaturæ, & substantia in definitione accidentis iam Creatura, & accidens essent formaliter relatiua, vel proprietates relatiuorum alijs competerent, sed hoc est absurdum, ergò Deus, & substantia non ponuntur in definitione substantiæ, & accidentis; sequela Maioris probatur, nam relatiua prædicamentalia sunt illa, quæ definiuntur in ordine ad aliud, & hoc exigunt tanquam suam proprietatem, ergò si Deus poneretur &c.

28 Respondetur negando sequelam, ad probationem, distinguo antecedens, ità quod non excludantur relatiua transcendentalia à tali ratione, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Verum ergo est, quod relatiua prædicamentalia sunt illa, quæ definiuntur in ordine ad aliud, & hoc exigunt tanquam sui proprietatem, hæc tamen non est proprietas quarto modo; cum etiam relatiua transcendentalia dicant essentialem habitudinem ad aliud, vt ad causam, vel effectum, ac ideò debent definiri in ordine ad illa; Sic autem se habent creaturæ respectu Dei, & accidens respectu substantiæ, vndè non est mirum, si in eorum definitione respectiuè ingrediantur, cum hac tamen differentia, quod non respiciuntur vt purus terminus, sicut faciunt relatiua prædicamentalia.

29 Instabis secundò. Siuè creatura, & accidens sint analogata analogia attributionis, siuè proportionalitatis semper sunt relatiua transcendentalia, ergò in eorum definitione, vel in vtraque analogia, vel in neutra ingredi debent Deus, & substantia.

 30 Res-

30 Respondetur distinguendo antecedēs, materialitèr, & in sensu identico, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens,& consequentiam. Verum est ergò, quod creatura, & accidens siuè analogentur analogia attributionis, siuè proportionalitatis semper sunt relatiua transcendentalia, hoc tamen de materiali se habet; si quidem formalissimè vt analogantur analogia proportionalitatis solum dicunt ità se habere ad suum esse, sicut Deus, & substantia se habent ad suum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm ens Completum sit analogum ad decem prædicamenta, & ad indiuidua eiusdem speciei; & similitèr Accidens ad nouem Genera Rerum?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, ens posse duplicitèr sumi; primò in tota sua latitudine, quatenus abstrahit à completo, & incompleto, & de hoc iam diximus analogicè prædicari de Deo, & creaturis, de substantia, & accidente. Secundo pro ente completo, seù prædicamentali, & de hoc in præsenti quærimus vt suprà, cum autem non solum prædicetur de illis, sed etiam de generibus, & speciebus, imò de omnibus indiuiduis contentis sub quouis prædicamento, eadem difficultas procedit in ordine ad illa, sicut etiam in accidente completo respectu nouem generum rerum.

2 Prima sententia tenet ens esse vniuocum respectu indiuiduorum eiusdem speciei. Ità Fonseca, & Suarez quibus in aliquo consentit Io: à S. Tho. dicens quod ens respectu duorum indiuiduorum præcisè analogum non est, licèt sit transcendens, sed hoc est per accidens, quia nimirùm non sumitur ratio transcendens secundum se totam, sed cum restrictione ad duo non habentia inæqualitatem formalem, sed tantùm materialem.

3 Secunda sententia contendit accidens completum respectu nouem generum esse vniuocum. Ità Soto, Iauellus, Herueus, Cabero, & P. Albertinus. Suarez verò asserit esse analogum ad omnia, ad duo verò, vel tria dicit esse vniuocum.

4 Tertia sententia docet, tàm ens respectu omnium indiuiduorum, quàm accidens respectu omnium generum rerum esse analogum. Ità communiter cæteri Thomistæ, vt testantur Arauio, & Brunus. Sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

5 PRima Conclusio. Ens completum est analogum ad decem Prædicamenta.

6 Probatur primò ex D. Tho. in 1. dist. 25. q. & a. 5. vbi docet, quod quæcumque non conueniunt in vno genere generalissimo, non potest de eis aliquid vniuocè dici, ergò de mente D. Tho. vera Conclusio.

7 Probatur secundò ratione: decem prædicamenta conueniunt, & differunt in ratione communi entis completi, ergò nequit vniuocè prædicari de illis; antecedens quò ad p. p. liquet, cum omnia participent rationem entis; quò ad secundā partem probatur, nam omnia prædicamenta differunt per proprios modos differentiales, ergò &c.

8 Probatur tertiò. Ratio communis vniuoca debet perfectè præscindere à suis inferioribus; sed ens completum nequit perfectè præscindere à decem modis prædicamentalibus, ergò non potest ens completum esse vniuocum respectu illorum; Maior patet, Mi-

Minor probatur: ens completum formaliter quà tale dicit aliquid directè, & per se ponibile in prædicamento, sed nequit intelligi aliquid directè, & per se ponibile in prædicamento, nisi saltem implicitè intelligantur modi prædicamentales, ergò &c. Maior patet, in hoc enim distinguitur ens completum ab ente vt sic. Minor quoque videtur clara, nam modi prædicamentales sunt illi, qui coarctant aliquid intrà determinatum genus.

9 Secunda Conclusio. Ens completum est analogum ad indiuidua eiusdem speciei.

10 Probatur ratione. Transcendentia quà transcendentia causat analogiam, & tollit vniuocationem, sed ens est transcendens etiam respectu indiuiduorum eiusdem speciei, ergò ens est analogum respectu illorum.

11 Tertia Conclusio. Accidens completum est analogum ad nouem genera accidentium.

12 Probatur primò ex D. Th. 1. Met. lect. 12. vbi ait, *conueniunt in aliquo vno secundum proportionem, scilicet quantitas, & qualitas in ente;* quod de solo ente accidentali completo intelligi potest, cum non faciat mentionem de substantia. Item recurrit id quod in prima Conclusione dictum est ex S. Doctore, quod quæcumq; non conueniunt in vno genere generalissimo non potest de eis aliquid vniuocè dici, sed nouem genera accidentium non conueniunt in vno genere generalissimo, sed potius nouem genera generalissima constituunt, ergò accidens completum est analogum respectu illorum.

13 Probatur secundò pari ratione, ac probata fuit prima Conclusio; ratio communis vniuoca debet perfectè præscindere à suis inferioribus, sed accidens completum hoc non facit respectu nouem generum accidentium, ergò accidens completum non est vniuocum, sed analogum ad nouem genera accidentium; Minor probatur: accidens completum dicit aliquod esse accidentale directè ponibile in aliquo prædicamento accidentis, sed nequit intelligi aliquod esse accidentale directè, & per se ponibile in prædicamento accidentis, non intellectis saltem implicitè modis prædicamentalibus accidentalibus, cum isti coarctent accidentia ad determinata prædicamenta nullam faciendo compositionem, vt faciunt differentiæ respectu generis, ergò &c.

14 Probatur tertiò. Si accidens completum esset vniuocum respectu nouem generum accidentium deberet esse genus respectu illorum, sed hoc est absurdum, ergò accidens completum non est vniuocum respectu nouem generum accidentium. Minor probatur, nam primò accidens completũ non dicit aliquam rationem communem, quæ sit potentialis, & extrà conceptum nouem generum accidentium, cum sint essentialitèr ens, non substantiale, ergò accidentale. Secundò quia absurdum est ponere aliquod genus superius ad suprema genera, ergò accidens completum genus esse non potest; & hæ rationes conuincunt etiam contrà Suarez, accidens completum non esse vniuocum ad duo, vel tria prædicamenta.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

15 Arguitur primò contrà primam Conclusionem. Ratio entis completi est simplicitèr, & perfectè præcisa à diuersitate modorum, quibus constituuntur, & diuersificantur decem prædicamenta inter se, ergò vniuocè prædicatur de illis; antecedens probatur, ratio entis completè seorsim prædicatur de quo vis genere prædicamentali v.g. de substantia, quantitate &c. ergò &c. antecedens patet, nam hæ sunt verè prædicationes substantia est ens completum, quantitas est ens completum &c. consequentia probatur, nam quotiescumque aliqua ratio superior includit differentias distinctiuas, quibus secernuntur plura inter se nequit seorsim prædicari de illis, vt patet in hoc termino Populus, qui nequit seorsim de aliquo in particulari prædicari, quia includit diuersitatem omnium ciuium, ergò &c.

16 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, si includat collectiuè, & explicitè, concedo antecedens, si solum implicitè, & inconfuso, nego antecedens, & consequentiam; ad exemplum adductum eodem modo respondetur. Licèt enim ens completum in suo conceptu includat modos prædicamentales, non tamen representat illos explicitè, & collectiuè, sicut facit iste terminus populus de quouis ciue, vnde bene potest de quouis prædicamento in particulari prædicari. Imò argumentum nimis probat, cum probet etiam ens latissimè sumptum abstrahens à completo, & incompleto esse vniuocum; cum etiam illud ex eo quod seorsim prædicatur de substantia, & accidente, de Deo, & Creaturis, deberet perfectè præscindere ab illis, vnde iuxtà regulam nihil probat.

17 Arguitur secundò contra 2. conclus. Indiuidua eiusdem speciei v. g. Petrus, & Paulus conueniunt simplicitèr in ratione entis, ergò de illis prædicatur vniuocè; antecedens patet, nam tàm simplicitèr est ens vnum indiuiduum, quàm aliud, cùm ratio entis ad illa descendat per aliquid medium, in quo est conuenientia omnimoda; consequentia probatur; ideò enim species de suis indiuiduis vniuocè prædicatur, quia simplicitèr conueniunt in illa, ergò ratio entis vniuocè &c.

18 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, absq; transcendentia in differentijs indiuidualibus, concedo antecedens, cum transcendentia, nego antecedens, & consequentiam; Itaque ens transcendit differentias indiuiduales omnium indiuiduorum, & hoc modo descendit ad illa; vnde ens in suo conceptu includit tàm conuenientiam, quàm diuersitatem, quam non includit species, cum perfectè præscindat à differentijs indiuidualibus, & ità ens est analogum, licèt indiuidua simplicitèr conueniant in ente.

19 Instabis primò. Licèt ens quatenus extenditur ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens analogicè prædicetur, tamen quatenus restringitur ad indiuidua eiusdem speciei potest prædicari vniuocè, ergò respectu illorum erit vniuocum: antecedens probatur; licèt sanum prædicetur analogicè de vrina, medicina, & animali, tamen vniuocè prædicatur de duobus animalibus, ergò à pari licèt ens &c. Antecedens patet; consequentia probatur, nam ideò sanum vniuocè prædicatur de duobus animalibus, quia nulla interuenit diuersitas in participanda ratione sanitatis, sed nulla interuenit diuersitas in participanda ratione communi entis in duobus indiuiduis, ergò idem &c.

20 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego consequentiam, ad probationem distinguo Maiorem, & etiam quia nulla adest transcendentia in ratione communi, concedo Maiorem; præcisè per hoc, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Sufficiens enim causa analogiæ, vt vidimus, est transcendentia, vndè cum hæc reperiatur in ente respectu duorum indiuiduorum eiusdem speciei, non autem in sanitate respectu duorum animalium, sicut nec dependentia, vel inæqualitas in ea participanda; inde stat, quod sanitas prædicetur vniuocè de duobus animalibus, non verò ens de indiuiduis eiusdem speciei.

21 Instabis secundò. Ens completum prædicatur vniuocè de indiuiduis, v. g. substantialibus, ergò nulla solutio; antecedens probatur, ens completum est ens prædicamentale, sed duo indiuidua substantialia vniuocè conueniunt in ente prædicamentali, ergò ens completum, &c.

22 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego Minorem; quando enim concipitur ens completum, seu prædicamentale, solum habetur quædam ratio confusa, in qua confunduntur omnia entia prædicamentalia vt proportionaliter eadem; vndè nequit de vllo inferiori prædicari vniuocè, sed tantum analogicè: vltrà quam quod esset dispar ratio, nam licèt ens completum non præscindat perfectè à modis prædicamentalibus, tamen perfectè præscindit à differentijs vlti-

vltimis, & indiuidualibus, quod non facit ens abstrahens à completo, & incompleto, & ideò illud potest esse vniuocum respectu indiuiduorum substantialium, non verò istud.

23 Instabis tertiò. Lex summolistica est, quod terminus æquiuocus, vel analogus, si per aliquam particulam restringatur ad vnum suorum significatorum euadit vniuocus, ergò licèt ens in se sit analogum, si tamen restringatur ad esse substantiale fiet vniuocum ad duas substantias, si restringatur ad esse quantum fiet vniuocum ad duas quantitates, &c. Consequentia patet, & antecedens probatur, si enim cani addas latrabile, fit vniuocus ad omnes canes latrabiles, ergò &c.

24 Respondetur distinguendo antecedens, si non sit transcendens, concedo antecedens, secus, nego antecedens, & consequentiam. Quæcumque enim additio fiat semper relinquit illum cum sua transcendentia, vnde nequit impedire, quin fundet analogiam.

25 Instabis quartò, Esto transcendentia sinè restrictione fundet analogiam, tamen transcendētia cum restrictione ad induidua eiusdem speciei non fundat analogiam, ergò semper ens quatenus prædicatur de indiuiduis eiusdem speciei erit vniuocum; antecedens probatur, quia tunc per accidens non inueniet inæqualitatem, & dependentiam in participanda ratione communi, ergò per accidens non exercebit analogiam.

26 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego consequentiam, quia inæqualitas, & dependentia non sunt causæ adequatæ, sed inadequatæ analogiæ; vndè cum remaneat transcendentia, quamuis restricta in ente, ne dum importabit conuenientiam, sed etiam diuersitatem in ratione communi, propter intimam inclusionem in differentijs indiuidualibus, ac ideò causabit analogiam.

27 Arguitur vltimò contrà vltimam conclusionem. Causæ analogiæ sunt transcendentia, dependentia, & inæqualis participatio, sed nulla ex his reperitur in accidente completo respectu nouem generem accidentium, ergò non est analogum; probatur Minor, & primò quò ad transcendentiam; nam accidens completum non imbibitur in modis, & differentijs, cum sint accidentia incompleta; quo ad dependentiam, & inæqualitatem probatur; quia omnia prædicamenta de genere accidentis sunt simpliciter accidens, nec vnum id habet dependenter ab alio, ergò nulla causa reperitur, &c.

28 Respondetur negando Minorem, & dico, quod adest transcendentia, ad probationem distinguo consequens, ergò in accidente completo non reperitur transcendentia passiua, concedo consequentiam, actiua, nego consequentiam; Itaque transcendentia, vt pluries probatum est, duplex assignatur, passiua vna, actiua alia; Passiua est illa, qua ratio superior includitur in inferioribus, & hoc modo accidens completum non transcendit nouem genera accidentium, cum non imbibatur in eius vltimis differentijs, quæ sunt incompletæ; transcendentia actiua est illa, qua ratio superior includit inferiora, & hoc modo accidens completum transcendit nouem genera accidentium, cum in suo conceptu modos prædicamentales importet, non enim posset intelligi, vt distinctum ab accidente incompleto, vel abstrahente à completo, & incompleto, nisi includeret modos illud complentes, quæ transcendentia sufficiens est ad analogiam, cum impediat perfectam præcisionem, quæ requiritur ad vniuocationem. Et istæ transcendentiæ possunt ad inuicem separari; Sicut enim homo includit animal, & tamèn nō includitur ab illo, ità accidens incompletum potest includere modos prædicamentales, etiam si non includatur ab ipsis, licèt in ratione transcendenti adæquata, vt est ratio entis in communi, vtraque reperiatur, & detur mutua inclusio.

29 Instabis primò. Substantia completa est prædicatum vniuocum ad omnes substantias completas, ergò etiam accidens completum erit vniuocum ad omnia accidentia completa; probatur consequentia, nam sicut substantia respicit vt proprium modum esse per se, ità accidens respicit vt proprium mo-

modum esse in alio, sed substantia completur per suum modum essendi per se, ità vt euadat vniuoca, ergò etiam accidens.

30 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, nego consequentiam, & disparitas est, quia substantia completa constituit tantùm vnum prædicamentum, & ideò non est ratio, quarè non sit vniuoca; Accidens autem completum sub se continet nouem prædicamenta diuersa, quæ cum sint primò diuersa in nullo prædicamento vniuocè conuenire possunt, & in hac suppositione dicimus esse analogum ad nouem genera accidentium.

31 Instabis secundò. Substantia completur per suum modum essendi per se, ità vt constituat tantùm vnum prædicamentum, ergò similiter accidens potest compleri per suum modum inhæsionis, ità vt constituat tantùm vnum prædicamentum, &c.

32 Respondetur negando consequentiam; & disparitas assignatur à Ioanne à S. Thoma, cui subscribunt Ortiz, & Brunus, nam substantia per suum proprium modum essendi per se constituitur in ratione totius completi, & vt quod, vnde habet esse incommunicabile; accidens autem per suum proprium modum essendi in alio, non constituitur in ratione alicuius totius completi, & vt quod subsistentis, sed adhuc remanet in ratione formæ informantis subiectum; & quia admittit latitudinem, & diuersitatem in illo informando, iux à illam diuersa consurgunt prædicamenta accidentium.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum ens habeat conceptum perfectè præcisum à suis differentijs?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, illam procedere nedùm contrà Scotistas, contendentes ens esse vniuocum respectu suorum inferiorum, verum etiam contrà aliquos Thomistas, qui licèt cum alijs sentiant esse analogum, tamèn volunt nec analogiam, nec transcendentiam vllatenus impedire, quin habeat conceptum perfectè à suis differentijs præci-[...]um; Idem autem est talem conceptum esse [...]fectè præcisum, ac esse simpliciter vnum, [...] tota diuisio, & multiplicitas proueniat [...]erentijs.

2 A[...]duertendum est secundò, quod con[...]plex est; formalis vnus, obiecti[...] Conceptus formalis est actus in[...]vel species expressa, in qua tam[...]gine repprsentatur obiectum. [...]ectiuus est ipsum obiectum [...]. Loquimur in præsenti de

[fragment in margin:] f. pe. cum à dif[...] ceptus d[...] uus alter. tellectus, [...] quam in ima[...] Conceptus ob[...] repprefentatum, vtroque,

3 Prima sententia est affirmatiua, hanc sustinent omnes Scotistæ, & omnes exteri maximè Iesuitæ, qui ponunt ens esse vniuocum; Ex nostris verò Soto, & Ortiz, qui perfectam præcisionem cum transcendentia entis componunt.

4 Secunda Sententia est negatiua. Hanc docent omnes alij Thomistæ, quos sequuntur Vasquez Rubius, & alij, præcipuè Bernardinus Mazziota, quem velut verum Diui Thomæ discipulum plurimùm hic commendat noster Lince sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

5 PRima Conclusio. Datur conceptus imperfectus, & confusus entis in communi, in quo non explicantur eius differentiæ.

6 Probatur primò. Omne quod dicitur de pluribus secundum nomen, & eandem rationem, & in quo plura conueniunt habet vnum

vnum conceptum saltèm imperfectùm, & confusum, sed ens est huiusmodi, ergò ens habet vnum conceptum saltem imperfectum, & confusum. Maior patet: Minor probatur, nàm re vera sunt ens, nedùm substantia, verùm & accidens, nedùm Deus, sed etiam Creaturæ, licèt magis vnum, quàm aliud, ergò ens est huiusmodi.

7 Probatur secundò. Ens in communi est obiectum Metaphisicæ, ergò ei correspondet vnus conceptus tùm formalis, tùm obiectiuus saltèm explicitè non exprimens rationes inferiorum, antecedens patet, consequentia probatur, nequit enim intelligi vnitas habitus, quin ei correspondeat obiectum vnum saltèm vnitate imperfecta, ergò si ens in communi &c.

8 Probatur tertiò. Certus de aliqua ratione superiori, & dubius de inferioribus format vnum conceptum saltem imperfectum de ipsa ratione superiori; sed potest intellectus esse certus de aliqua re quod sit ens; & dubius àn sit substantia, vel accidens, ergò format vnum conceptum saltèm imperfectum de ipsa ratione entis: Maior patet: Nàm videns aliquod animal à longè, & certus ipsum esse animal, & dubius àn sit homo, vel equus format conceptum, in quo non exprimitur aliqua differentia animalis; Minor probatur, nàm Philosophi certi sunt lucem esse ens; & tamèn dubitant, àn sit substantia, vel accidens. Similitèr Gentilis certus est, quod id quod apparet in Hostia consecrata est ens, & tamen cum cathechizatur de veritate Sacramenti Eucharistiæ incipit dubitare àn illud quod videt sit substantia, vel accidens, ergò &c.

9 Secunda conclusio. Ens non habet conceptum simplicitèr vnum perfectè, & adæquatè præcisum à suis differentijs.

10 Probatur primò ex Philosopho 8. Met. tex. 6. vbi docet ens immediatè significare decem prædicamenta, quod non esset verum si haberet conceptum perfectè præcisum; hac enim ratione animal non repræsentat immediatè suas species. Itèm D uus Thomas ibidem lect. 8. ait, *quod ens secundum se non expectat aliquid ad hoc, vt sit substantia, quātitas &c.* vndè liquet, quod tales modi saltèm implicitè continentur in ente, ergò de mente Aristotelis, & D. Tho. vera conclusio.

11 Probatur ratione 1. Si ratio entis haberet conceptum perfectè præcisum à suis differentijs esset simplicitèr vniuoca, consequens est falsum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur: ad hoc, vt aliqua ratio dicatur vniuoca, sufficit quod secundum suum conceptum sit simplicitèr vna, sed supposita perfecta præcisione ratio entis hoc haberet, cùm tota diuersitas oriatur à differentijs, ergò si ratio entis &c.

12 Respondet Ortiz ad Analogiam non requiri diuersitatem actualem, sed sufficere virtualem, aùt radicalem, idest quod ratio communis exigat descendere inæqualiter ad inferiora, vndè cùm hoc habeat ratio entis, indè stat esse analogam, non verò vniuocam, adhuc stante perfecta præcisione.

13 Sed contrà primò. Virtualis, & radicalis diuersitas non officit vniuocationi, ergò nulla solutio; antecedens probatur, nàm animal importat diuersitatem radicalem, & virtualem, cùm in potentia contineat diuersas differentias, quarum vna est perfectior alia, sed hoc non obstante est perfectè vniuocum, ergò virtualis &c.

14 Contrà secundò. Sicuti ad vniuocationem requiritur vnitas, & ad æquiuocationem diuersitas, ità ad Analogiam, requiritur vnitas cùm diuersitate, sed ad vniuocationem, & æquiuocationem non sufficit vnitas, & diuersitas virtualis, seù radicalis, sed requiritur actualis, ergò similitèr ad Analogiam vnitas cum diuersitate actualiter requiritur.

15 Probatùr secundò. Nihil potest perfectè, & adæquatè præscindi ab eo, quod spectat essentialitèr ad suum conceptum quidditatiuum; sed quælibet differentia, aut modus rei spectat essentialitèr ad conceptum quidditatiuum entis, ergò ens non potest perfectè præscindi ab illis: Maior patet: Minor probatur, nàm si differentiæ non essent de conceptu quidditatiuo entis quælibet differentia adderet illi aliquam formalitatem ex-

extraneam, sed enti nihil potest esse extraneum, cùm quidquid reperitur in rerum natura sit ens, ergò &c.

16 Probatur tertiò. Si propter aliquam rationem ens haberet conceptum obiectiuum adæquatè præcisum à modis, & differentijs, maximè esset quià ratio entis est prior illis subsistendi consequentia, sed ratio ista nulla est, ergò ens &c. probatur Minor, ens cōpletum est prius omnibus prædicamentis subsistendi consequentia, cùm valere non possit hæc consequentia; est ens completum, ergò est substantia, quantitas &c. sed hoc non obstante etiam in sententia Ortiz non habet conceptum obiectiuum perfectè, & adæquatè præcisum à modis constitutiuis prædicamentorum, ergò ratio illa nulla est; & hac ratione, meritò inquit Lince, euidentèr conuincuntur Thomistæ oppositæ sententiæ.

17 Probatur quartò. Nulla ratio obiectiua potest perfectè, & adæquatè præscindere ab eo, cuius vltimam differentiam quidditatiuè, & formalitèr transcendit, sed ens quidditatiuè, & formalitèr transcendit quamcumque differentiam suorum inferiorum, ergò non potest ab illis perfectè præscindere: Minor patet ex dictis: Maior probatur, nàm præcisio obiectiua importat obiectiuam separationem ab eo, à quo præscindit, formalis verò dicit formalem identificationem, & inclusionem rationis transcendentis in illo, quod transcendit, sed implicat idem esse formalitèr identificatum, & separatum ab eodem, ergò &c.

18 Probatur vltimò: nihil potest realitèr separari ab eo, cum quo est realitèr identificatum, ergò nihil potest formalitèr separari ab eo, cum quo est formalitèr identificatum; sed ens formalitèr identificatur cùm omni sua differentia, cùm sit transcendens, ergò non potest formalitèr præscindi ab illis, ac ideò habere conceptum obiectiuum perfectè præcisum; primum antecedens patet, quia enim animal realitèr identificatur cùm rationali, non potest ab illo realitèr separari; consequentia autèm tenet à paritate rationis; non minùs enim opponuntur realis, quàm formalis separatio, ac identitas, ergò si &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

19 Arguitur primò contrà secundam conclusionem ex Diuo Thoma q. 1. de ver. art. 1. vbi ait. *Id quod primò intellectus concipit est ens, & in quo omnes conceptiones resoluit, vndè oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus se habeant ex additione ad ens*, ergò sentit differentias entis superaddere ad ens, ac ideò esse extrà illius conceptum, qui proindè potest esse perfectè, & adæquatè præcisus ab illis.

20 Respondetur explicando Sanctum Doctorem: se habent ex additione ad ens, quò ad explicitum, concedo antecedens, quò ad implicitum, nego antecedens, & consequentiam. Tota ergò additio est solùm quò ad explicitum, nam ibidem D. Thomas ait, *quod enti nihil potest addi, quasi extranea natura per modum quo differentia additur generi, sed in hoc aliqua dicuntur addere supra ens, quia exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur.*

21 Instabis. Diuus Thomas 1. p. q. 5. art. 3. ad primum inquit *quod substantia, quantitas, & qualitas contrahunt ens applicando ens ad aliquam quidditatem, seù naturam*, sed contractio fit per aliquod extraneum, ergò sentit modos verè esse extraneos ab ente, ac ideò addere aliquid implicitè.

22 Respondetur pariter explicando Diu. Thomam, impropriè, concedo Maiorem, propriè, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Talis enim contractio est tantum impropria, quia est solùm quò ad expressionem, & ideò non sequitur, quod modi extranei sint à natura entis.

23 Arguitur secundò. Fundamentum præcisionis obiectiuæ est conuenientia, & similitudo inferiorum, sed hæc inuenitur in inferioribus entis, ergò ens potest perfectè præscindi ab illis; Minor patet, nam omnia conueniunt in hoc quod essentialiter sunt ens, Maior verò probatur; siquidem

ideò

Ideò intellectus præſcindit rationem animalis ab eius inferioribus, quia eſſentialiter conueniunt in animali, ergò &c.

24 Reſpondetur diſtinguendo Maiorem, vniuoca conuenientia, concedo Maiorem, conuenientia analogica, nego Maiorem, & diſtincti eodem modo minori nego conſequentiam, ad probationem reſpondetur eodem modo, non enim quæcunque conuenientia, & ſimilitudo eſt fundamentum præciſionis obiectiuæ perfectæ, & adæquatæ de qua eſt quæſtio, ſed tantum vniuoca, & perfecta, vnde cum hanc non habeant inferiora entis, inde fit quod nequeat perfectè præſcindere ab illis.

25 Inſtabis primò. Stante conceptu obiectiuo ſimpliciter vno, datur perfecta præciſio obiectiua ab inferioribus; ſed adhuc ſtante conuenientia tantum analogica inferiorum ens habet conceptum obiectiuum ſimpliciter vnum, ergò perfectè præſcindit ab inferioribus; Minor probatur, nam analogum in communi diuiditur in analogum vnius conceptus, & analogum plurium conceptuum, ergò &c.

26 Reſpondetur negando Minorem, ad probationem diſtinguo antecedens, vnius conceptus, qui ſit ſecundum quid vnus, concedo antecedens, ſimpliciter vnus, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque analoga proportionalitatis diſtinguuntur in hoc ab analogis attributionis, quod ratio importata in primis eſt intrinſecè in omnibus, habetque vnum conceptum illis communem, qui tamen ad differentiam vniuoci eſt vnus tantum ſecundum quid; analoga verò attributionis, cum non habeant rationem analogam intrinſecè exiſtentem in omnibus non habent vnum conceptum, ſed plures.

27 Inſtabis ſecundò. Aſtante conceptu ſimpliciter vno, & perfectè præciſo adhuc ſaluatur quod ratio analoga ſit partim vna, partim diuerſa, ergò ens benè poteſt perfectè præſcindi ab inferioribus, antecedens probatur, nam ſtante conceptu ſimpliciter vno, & perfectè præciſo adhuc ſaluatur quod ratio analoga ſit vna in ſtatu abſtractionis, & diuerſa in ſtatu contractionis, ergò &c.

28 Reſpondetur negando antecedens, ad probationem diſtinguo conſequens in diuerſa ratione concedo conſequentiam eadem in ratione nego conſequentiam. Ratio enim analoga debet eſſe partim vna, & partim diuerſa in eadem ratione communi, & non ſolum quatenus determinatur ad rationes particulares, ſic enim etiam quæuis ratio vniuoca habet diuerſitatem in ſtatu contractionis ad ſua inferiora; nam diuerſum animal eſt Leo, ac Homo.

29 Arguitur tertiò. Ideò ens non habet conceptum perfectè præciſum quia eſt tranſcendens, & eſt de eſſentia ſuorum inferiorum, ſed iſta ratio eſt nulla, ergò ens non habet conceptum perfectè præciſum. Maior patet, Minor probatur, nam etiam animal eſt de eſſentia hominis, & tamen habet conceptum perfectè præciſum, ergò illa ratio eſt nulla probatur Maior, nam prædicatur de illo vt genus, ergò quidditatiuè; Minor quoque ſuadetur, licèt enim homo nequeat perfectè concipi ſine animali, tamen è contra poteſt animal perfectè concipi ſine homine, ergò &c.

30 Reſpondetur primò negando Minorem, ad probationem nego conſequentiam. Et diſparitas eſt; quia animal facit compoſitionem cum homine, cum ſe habeant per modum totius, & partis; Ens autem nullam facit compoſitionem cum differentijs, ſed potiùs conſtituit vnicum ſimpliciſſimum conceptum cum ipſis.

31 Reſpondetur ſecùdò quod animal tranſcendit hominem, & dicitur eſſentialiter de illo ſolùm inadæquatè, nempe ſecundum purum gradum ſpecificum hominis, non verò vt viuens, corpus, ſubſtantia, aliàs omne viuens, corpus, & ſubſtantia eſſet animal. Ens autem tranſcendit, & dicitur eſſentialiter adequatè de ſuis modis, ſecundum enim omnem formalitatem ſunt eſſentialiter ens, nec ſubterfugere poſſunt rationem entis.

32 Inſtabis primò. Ad hoc vt aliquid obiectiuè præſcindat ab alio ſufficit, quod cognoſcatur ab intellectu non cognito alio, cum quo identificatur, ſed quamuis ens faciat vnicum ſimpliciſſimum conceptum cum diffe-

M

differentijs, in quibus includitur potest cognosci, quin cognoscantur ipsæ differentiæ etiam implicitè, ergò adhuc stante quod faciat vnicum simplicissimum conceptum potest præscindere à differentijs; Minor probatur, nam intellectus est magis præcisiuus in cognoscendo, quàm voluntas in appetendo, sed voluntas potest positiuè velle, & appetere rationem entis essentialiter inclusam in aliquo, quin appetat differentiam ipsius, ergò similiter intellectus poterit illam cognoscere; Maior patet, Minor probatur, nam voluntas diuina appetit entitatem odij Dei, & tamen non appetit eius malitiam, ergò voluntas potest positiuè velle &c.

33 Respondetur negando Minorem, ad probationem negatur Minor, ad probationem negatur consequentia; Malitia enim non includit essentialiter, & formaliter rationem entitatis physicæ, sed ei accidit tamquam differentia extranea pertinens ad lineam moralem, & adueniens ipsi entitati dependenter à voluntate creata defectuosa; differentiæ verò entis spectant ad genus physicum, sicut & ipsum ens, illudque quidditatiuè, & formaliter includunt; & ideò voluntas in appetendo potest præscindere à malitia, neutiquā verò intellectus in cognoscēdo à differentijs.

34 Instabis secundò. Magis est præcisiua actio intentionalis, quàm actio naturalis, sed actio naturalis potest terminari ad ens non attactis differentijs, ergò à fortiori actio intentionalis. Maior patet, Minor probatur, nam Deus causat positiuè omnem entitatem, & tamen non causat deformitatem peccati, ergò actio naturalis potest terminari ad ens non attactis differentijs.

35 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem, concessa Maiori distinguo Minorem, & aliàs deformitas est extrà causalitatem diuinam, concedo Minorem, secus, nego Minorem, & consequentiam. Causalitas ergò diuina est transcendens tantùm respectu entis physici, vnde deformitas peccati non est, causabilis à Deo, cum non sit ens physicum, sed morale; differentiæ verò vltimæ entis sunt cognoscibiles ab intellectu cum sint ens, & ideò est dispar ratio.

36 Respondetur secundò. Quod Deus in causando entitatem peccati etiam attingit permissiuè eius deformitatem, vndè aliud est Deum nullo modo causare malitiam peccati, aliud verò nullo modo eam attingere, primum est verum, & Catholicum, secundum verò falsum, & hæreticum; & ideò potius retorquetur argumentum.

37 Arguitur quartò. Quotiescumque aliquis conceptus obiectiuè distinguitur ab alio, obiectiuè præscindit ab illo, sed conceptus entis secundum se obiectiuè distinguitur à conceptu cuiusuis differentiæ, ergò præscindit obiectiuè ab illis. Probatur Minor, quotiescumque intellectus est certus de aliquo conceptu obiectiuo, & dubius de alio, illi conceptus inter se distinguuntur, sed intellectus potest esse certus aliquid esse ens, & dubius an sit substantia, vel accidens, ergò &c. Maior patet, nam ideò conceptus animalis obiectiuè distinguitur à conceptu hominis, & equi, quia intellectus potest esse certus aliquod esse animal, & dubius esse hominem, vel equum; Minor videtur clara in exemplo Lucis, & in speciebus Eucharisticis, vt dictum est suprà.

38 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, distinguuntur penès inclusum; & exclusum, vel penes implicitum, & explicitum, concedo Maiorem, semper penès inclusum, & exclusum, nego Maiorem, & concessa Minori distinguitur consequens eodem modo. Ad probationem respondetur eodem modo. Quando ergò aliqua ratio superior est transcendens, & essentialiter includitur in qualibet formalitate reperta in suis inferioribus, certus de ratione superiori, & dubius de inferiori tantùm habet conceptum explicitè distinctum à conceptu inferioris, & hoc modo est in præsenti; vnde patet disparitas inter animal, & ens, nam animal non est transcendens, benè tamèn ens. Imò retorquetur argumentum, quod est Achilles Scotistarum contrà ipsos: siquidem, licèt contendant dari conceptum communem entis realis perfectè præcisum à substantia, & accidente, à Deo, & Creaturis, non tamèn concedunt dari

dari conceptum communem entis perfectè præcisum ab ente reali, & rationis, nec conceptum communem animalis perfectè præcisum ab animali vero, & picto; & tamen intellectus potest esse certus de ente, & dubius an sit reale, vel rationis, vt liquet in denominatione extrinseca, & similiter à longè videns animal, est certus quod sit animal, & dubius, an sit verum, vel pictum.

39 Instabis. Quotiescunque ratio superior habet conceptum ità distinctum à conceptu inferiorum, vt euadat simpliciter vnus, ab illo distinguitur penès inclusum, & exclusum, sed ità se habet ens, ergò habet conceptum distinctum ab inferioribus penès inclusum, & exclusum, ac ideò perfectè præscindit ab illis; probatur Minor, quotiescumque aliquid potest esse medium in demonstratione habet conceptum simpliciter vnum, sed ens potest esse medium in demonstratione, ergò habet conceptum simpliciter vnum. Maior patet, si enim medium non haberet conceptum simpliciter vnum, extrema non possent fieri vnum inter se, & ità esset falsum illud principium quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; Minor probatur, nam hæc est vera demonstratio, omne ens est intelligibile, omnis substantia est ens, ergò omnis substantia est intelligibilis.

40 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego Maiorem vniuersaliter, ad probationem nego antecedens, & dico quod sufficit, quod quantum ad explicitum non repræsentetur aliqua diuersitas, vndè cùm ens explicitè præscindat à differentijs benè ex visione duorum extremorum in medio potest probari vnio, & identitas eorum inter se. Et retorquetur argumentum contrà Scotistas, qui negant conceptum communem indiuidui vaghi perfectè præcisum ab indiuiduis determinatis, & nihilominus potest esse medium in demonstratione, vt patet in ista, omne indiuiduum est vnum numero, sed Petrus est indiuiduum, ergò Petrus est vnus numero.

41 Arguitur quintò. Vnum-quodque potest præscindere perfectè ab eo, quod ad eius essentiam non spectat, sed modi, & differentiæ entis non spectant ad eius essentiam, ergò potest perfectè præscindere ab illis. Maior patet, nam ideò animal perfectè præscindit à rationali, & irrationali, quia non sunt de eius essentia; Minor verò probatur, siquidem nullum posterius est de essentia prioris, sed modi, & differentiæ entis sunt posteriores ipso ente, ergò &c. Maior patet, nequit enim aliquid intelligi sine suis essentialibus constitutiuis, Minor verò probatur, id est absolutè priùs altero à quo non valet subsistendi consequentia, sed nō valet arguere est ens, ergò est substantia; est ens, ergò est accidens, sed solum è contrà, ergò &c.

42 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguitur Maior, si sit priùs ex parte rei significatæ, & quò ad implicitum, concedo Maiorem, si sit priùs solum ex modo significandi, & quo ad explicitum, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam; ad probationem respondetur eodem modo. Ens ergò solum ex modo significandi, & quò ad explicitum est priùs ipsis modis, & differentijs; non autem quò ad implicitum, & ex parte rei significatæ, sed potiùs in suo conceptu illos confundit; vndè semper stat modos, & differentias esse de essentia entis.

43 Instabis primò. Opposita non possunt esse de essentia eiusdem, nec ipsum essentialiter constituere, sed modi, & differentiæ entis sunt essentialiter oppositæ, ergò non possunt esse de essentia entis, nec ipsum essentialiter constituere.

44 Respondetur distinguo Maiorem, si sit vnum vnitate perfecta, & vniuoca, concedo Maiorem, vnitate imperfecta, & proportionali, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Cum enim conceptus obiectiuus entis sit tantum vnus analogicè, & proportionaliter, benè potest constitui modis, & differentijs entis. estò sint essentialiter oppositæ, quia hoc non obstante habent suam conuenientiam, & proportionem, media qua possunt constituere conceptum, qui sit vnus secundum quid, & diuersus simpliciter.

45 Instabis secundò. Si ens contineret modos essentialiter oppositos actu tanquam de sua essentia, vel illos contineret copulatiuè, vel disiunctiuè, neutrum est dicendum, ergò illos non continet actu; probatur Minor quò ad primam partem, nam quando prædicaretur ens de substantia esset idem, ac dicere substantia est substantia, & accidens; quò ad secundam partem probatur, nam tunc valeret dicere substantia est substantia, vel accidens, quæ omnia sunt absurda, ergò &c.

46 Respondetur cum Caietano opusc. de conceptu entis, quod continet illos copulatiuè, non tamèn absolutè, sed vt sunt proportionaliter vnum in ente, & ità prædicatur de illis, vndè cum dico substantia est ens sensus est quod substantia habet esse per se modo proportionali, ac accidens habet esse in alio.

47 Instabis tertiò. Ens descendit per prædicationem ad substantiam, quin descendat ad illam ratio constitutiua accidentis, similiter descendit ad accidens, quin descendat ratio constitutiua substantiæ, ergò conceptus entis non includit essentialiter modos copulatiuè etiam proportionaliter. Antecedens patet, nam hæc est vera prædicatio substantia est ens, accidens est ens; consequentia verò probatur, nam quidquid spectat essentialiter ad aliquid, illud inseparabiliter comitatur, sicuti quia corpus, aut substantia spectant essentialiter ad animal, vbicumque est animal est ratio corporis, & substantiæ, ergò &c.

48 Respondetur distinguendo antecedens, descendit inadæquatè, concedo antecedens, adæquatè, nego antecedens, & consequentiam. Cum enim ens prædicatur de substantia, aut de accidente non prædicatur adæquatè, scilicet secundum omnia prædicata, quæ spectant ad eius adæquatum conceptum tàm explicitum, quàm implicitum, sed solum prædicatur id quod explicitè importatur nomine entis, in quo substantia, & accidens proportionaliter conueniunt. Sicut quando dicitur Pater est Deus solum prædicatur id quod Deitas explicitè dicit, non autem quod implicitè includit, cum etiam includat omnes Relationes Diuinas, & ità Filiationem, & Spirationem Passiuam, quæ non prædicantur de Patre. Ad probationem distinguo antecedens, si spectent vt ratio superior, & constitutiua, concedo antecedens, vt ratio inferior determinatiua, seù modificatiua, nego antecedens, & consequentiam. Certum est ergò quod id, quod est de essentia alicuius, vt ratio superior constitutiua debet comitari illud vbicumque inueniatur, vt liquet .n substantia, & corpore respectu animalis, non tamèn est verum de eo, quod est de essentia per modum determinatiui, & modificatiui, vt liquet in relationibus diuinis, quæ sunt de essentia naturæ diuinæ, & tamen non reperiuntur vbicumque reperitur ipsa essentia Diuina.

49 Instabis quartò. Si ens includeret essentialiter accidens neque inadæquatè posset prædicari de substantia, & similiter si includeret substantiam neque inadæquatè posset prædicari de accidente, ergò dicendum est quod perfectè ab vtroque præscindat; antecedens probatur, nam prædicatum essentialiter includens aliquid repugnans subiecto, nequit vllo modo prædicari de illo, sed accidens repugnat substantiæ, & è contrà substantia accidenti, ergò &c. antecedens probatur, nam quia homo includit rationalitatem quæ repugnat equo, nullo modo nec adæquatè, nec inadæquatè potest prædicari de equo, ergò &c.

50 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Maiorem, si includat illud tamquam prædicatum constitutiuum, concedo Maiorem, modificatiuum, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Ad eius probationem distinguo antecedens eodem modo, & nego consequentiam. Homo enim includit rationalitatem tanquam prædicatum constitutiuum, sinè quo, nec implicitè, nec explicitè, nec adæquatè, nec inadæquatè potest concipi; Ens autem includit modos tanquam prædicata determinatiua, sinè quibus explicitè potest concipi, sicut contingit in Deitate respectu Relationum.

51 Ar-

51 Arguitur vltimò. Ens non includit saltem vltimas differentias, ergò dabitur conceptus perfectè præcisus respectu illarum. Antecedens probatur, eadem est ratio compositionis conceptuum, ac compositionis rei, sed in compositione rei fit vltima resolutio in duo extrema, scilicet actum, & potentia, quorum vnum non includit aliud, ergò etiam in compositione conceptuum deuenietur ad duo extrema scilicet ens, & vltimas differentias, quorum vnum non includat aliud.

52 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego Maiorem, quia in compositione rei extrema sunt semper rationes particulares, & limitatæ, non verò transcendentes; in compositione verò conceptuum, quæ vltimò fit ex ente, & vltimis differentijs, vnum extremum, nimirum ens est ratio vniuersalissima, & transcendens, & ideò debet includere conceptum alterius compartis, imò facere vnicum simplicissimum conceptum cum ipsa,

QVÆSTIO QVINTA

De Passionibus Entis in Communi.

PRælibata notitia entis in communi, perspectaque eius Essentia, ac conceptu, quem habet in ordine ad sua inferiora, oppotet de illius Passionibus adæquatis, & quæ cum illo conuertuntur disputare. In præsenti ergò Quæstione de illis in communi, postea de singulis in particulari discurremus, cum ordo doctrinæ exposcat, vt priùs communia declarentur, quàm particularia. Sit ergò.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ens habeat veras, ac proprias Passiones reales?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quod in omni scientia tria requiruntur, subiectum, principia, & proprietates, quæ per principia de subiecto concludantur, & ità cum Metaphysica sit vera scientia, hæc omnia debet habere. Subiectum vt vidimus, est ens; principia alia sunt simplicia, alia complexa, simplicia diuiduntur in extrinseca, vt sunt Deus, & intelligentiæ separatæ, & intrinseca vt sunt essentiæ, & quidditates rerum. Complexa sunt propositiones, ex quibus conflantur demonstrationes in Metaphysica, vt essentia est vna, quidquid habet intellectum habet voluntatem, ex quibus sic formantur demonstrationes: Omne quod habet essentiam

tiam est vnum, omne ens habet essentiam, ergò omne ens est vnum. Item quidquid habet intellectum habet voluntatem, sed Deus habet intellectum, ergò Deus habet voluntatem. Modò quærimus an quoque adsint veræ, & propriæ passiones, quas Metaphysica de ente valeat demonstrare.

2 Aduertendum est secundò; proprietates esse in duplici differentia. Aliæ enim sunt proprietates rei, seu physicæ, & aliæ proprietates demonstrabiles, seu Metaphysicæ. Primæ sunt illæ, quæ producuntur à suis subiectis per veram, & realem actionem, seu emanationem, & istæ sunt realiter distinctæ à suis subiectis, neque subiecta possunt prædicari secundum essentiam de talibus passionibus, & huiusmodi sunt risibilitas respectu rationalitatis, & calor respectu ignis. Secundæ sunt illæ, quæ licèt realiter identificentur cum suis subiectis, ac subiecta essentialiter prædicentur de illis, tamen secundum rationem distinguuntur, adeò vt possint de subiectis per veram, & legitimam demonstrationem concludi ex propositionibus veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisq; conclusionis, & huiusmodi sunt omnia attributa Diuina, qua ratione Theologia est vera, & propria scientia. Quærimus de vtrisque.

3 Aduertendum est tertiò, quod cum scire sit rem per causam cognoscere, causa duplex est, vna in essendo, alia in cognoscendo, vt dictum est in Logica, & rursus causa in essendo duplex est, vna formalis, quæ actu producit effectum à se realiter distinctum, sicut ignis est causa caloris; alia virtualis, quæ actu non producit effectum à se distinctum, habet tamen vim illum producendi, si natus esset produci, sicut immutabilitas est causa virtualis æternitatis in Deo, & ista communi nomine potius vocatur ratio formalis, His prænotatis.

4 Prima sententia negat enti omnes, & quascumque passiones. Ità Aureolus, Petrus Niger, & omnes Auctores negantes Metaphysicam esse scientiam.

5 Secunda sententia concedit enti etiam proprietates rei, quæ habeant quatuor conditiones scilicet quod sint reales, quod adæquatè suo subiecto conueniant, quod non sint de essentia subiecti, & quod saltem ex natura rei distinguantur ab illo. Ità Scotus.

6 Tertia sententia negat enti proprietates rei physicas, eiq; concedit proprietates demonstrabiles, seu Metaphysicas. Ità Thomistæ. Sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

7 **P**Rima Conclusio. Ens habet suas veras, & proprias passiones reales.

8 Probatur primò ex Philosopho 4. Met. in initio, vbi loquens de Metaphysica dicit: *est scientia quædam, quæ speculatur ens prout ens est, & quæ ei per se insunt*. Vbi per ly quæ ei per se insunt, non intelliguntur differentiæ, & species entis, vt vult Pasqualigo, sed passiones, & proprietates, vt explicat D. Tho. lect. 4. vbi hæc subdit, *sicut numerus in quantum huiusmodi habet proprias passiones vt superfluum æquale, commensuratum, & huiusmodi, similiter ens in quantum ens habet quædam propria, seu passiones*, ergò de mente vtriusque vera Conclusio.

9 Probatur secundò ratione. Quod est commune omni subiecto scibili non est denegandum enti, quod est subiectum Metaphysicæ, sed habere passiones est commune omni subiecto scibili, ergò non est denegandum enti; Maior patet, nam Metaphysica est nobilissima scientia; probatur Minor ex Philosopho 1. post. cap. 22 vbi inquit: *vna autem scientia est, quæ est vnius generis, scilicet vnius subiecti, cuius sunt principia, partes, & passiones*, ergò habere passiones est commune omni subiecto scibili.

10 Probatur tertiò; si ens nullas haberet passiones, in Metaphysica nulla fieret demonstratio, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Minor patet, nam secus Metaphysica non esset scientia; Maior probatur; siquidem id, quod potissimè quælibet scientia intendit est concludere passiones de suo subie-

subiecto per definitionem subiecti, vel passionis, ergò si ens &c.

11 Secunda Conclusio. Ens non habet proprietates rei, seù physicas, sed tantùm demonstrabiles, seù Metaphysicas.

12 Probatur primò. Proprietates rei, seù Physicæ sunt illæ, quæ à subiecto per veram, & realem emanationem fluunt, tanquam quid realiter distinctum ab illo, sed proprietates entis non sunt huiusmodi, ergò ens non habet proprietates rei, seù physicas. Maior patet ex secundo notabili, Minor verò probatur, nam quidquid est in rerum natura est ens, imò nedum realiter, & identicè, sed etiam formaliter, & essentialiter ipsum includit, ergò &c.

13 Respondent Scotistæ non requiri distinctionem realem, sed tantùm ex natura rei inter subiectum, & proprietates, & ideò ens benè posse habere suas proprietates rei.

14 Sed contrà primò cum Iavello, & Masio, causa efficiens, & effectus debent distingui reali ter, sed subiectum est causa efficiens suarum proprietatum, ergò debet realiter distingui ab illis; Maior patet, Minorem verò concedunt etiam ipsi Scotistæ, vt videre est apud Antonium Andream 9. Met. q. 1.

15 Contrà secundò. Quia vt dicemus passiones entis neque ex natura rei ab ipso distinguuntur ex eo quod ipsum essentialiter includunt, ergò ex nullo capite erunt proprietates rei.

16 Respondet ad primum Trombetta, quod licèt inter agens physicum, seù proximum, & suum effectum debeat dari distinctio realis, non tamèn debet dari inter agens remotum, seu Metaphysicum, & suum effectum, subiectum autem est agens remotum, seù Metaphysicum respectu suarum passionem, vndè non debet realiter ab illis distingui.

17 Sed contrà primò. Quia nihil potest producere seipsum, ergò inter omne agens, & effectum à se productum debet interuenire distinctio realis.

18 Contrà secundò. In qualibet relatione reali debent extrema esse realiter distincta, sed inter omnem causam, & effectum datur relatio realis, ergò distinctio realis quoque debet interuenire.

19 Si respondeant Scotistæ subiectum non esse realiter actiuum respectu suarum passionum, sed tantùm secundum modum intelligendi, & ideò si causalitas non est realis, non requiritur distinctio realis inter subiectum, & eius passiones.

20 Contrà. Nam hoc impugnat ipse Antonius Andreas hac ratione: omnis potentia purè passiua est potentia contradictionis, vt dicitur 9. Met. sed subiectum non est in potentia contradictionis ad suas passiones, aliàs inessent ei contingenter, ergò habet aliquam potentiam actiuam respectu suarum passionum.

21 Probatur secundò. Si ens haberet proprietates rei sequeretur quod quoque illas haberet Deus, sed hoc non est dicendum, ergò neque primum. Maior patet, nam quæ conueniunt positiuè rationi communi conueniunt quoque omnibus rationibus particularibus sub illa contentis; Minor verò probatur, nam secùs facerent compositionem cum essentia diuina, sed omnis compositio est releganda à Deo, ergò &c.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

22 Arguitur primò contrà primam Conclusionem. Si ens haberet aliquas passiones maximè essent rationes transcendentales veri, & boni, sed illæ nequeunt esse passiones entis, ergò ens nullas habet passiones; Maior patet, probatur Minor, omnes passiones debent realiter distingui ab essentia, sed rationes transcendentales non distinguuntur realiter ab essentia, sed potiùs cum illa identificantur, ergò &c. Maior patet, inductiuè singulas in particulari referendo.

23 Respondetur, negando Minorem, ad probationem, distinguo Maiorem, passiones rei, & Physicæ, concedo Maiorem, demonstrabiles, & Metaphysicæ, nego Maiorem, & con-

concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Licèt ergò passiones rei, & Physicæ, quales sunt omnes proprietates particulares, & prædicabiles debeant realiter à suis subiectis distingui, non tamen debent distingui passiones demonstrabiles, & Metaphysicæ, sed sufficit quod virtualiter distinguantur penes implicitum, & explicitum, & pro tali priori rationis subiectum præsupponatur antecedenter ad illas tanquam causa virtualis earum, & huiusmodi sunt proprietates communes, & transcendentales entis, & attributa diuina.

24 Instabis primò. Nullum constitutum ex pluribus rationibus potest esse passio etiam demonstrabilis, & Metaphysica alicuius suæ partis, sed rationes transcendentales prædictæ constituuntur ex ente, & aliquo superaddito, ergo nequeunt esse passiones entis etiam Metaphysicæ; Maior patet, nam nulla passio potest esse dignior suo subiecto, constitutum autem ex pluribus rationibus est dignius qualibet seorsim; probatur Minor, nam vnum est ens indiuisum, bonum est ens appetibile, verum est ens intelligibile, ergò &c.

25 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo antecedens, ità quod ly indiuisum, appetibile, & intelligibile explicent aliquid quod non explicat ens, concedo antecedens, ità quod addant aliquod ad ens, nego antecedens. Itaque non fit aliqua compositio ex entitate, & in diuisione, ex entitate, & appetibilitate, ex entitate, & intelligibilitate, sed est vna simplicissima ratio entis cum aliqua expressione, quam non exprimit ipsum ens, & ideò non sequitur, quod in vno, bono, & vero adsint plures rationes.

26 Instabis 2. id quod includit ens, & explicat aliquod, quod non explicat ens est nobilius ente, sed nulla passio potest esse nobilior suo subiecto; ergò si hoc faciunt rationes transcendentales, nullo modo sunt passiones entis.

27 Respondetur distinguo Maiorem, si aliunde ens non sit causa virtualis, vel ratio formalis illius, concedo Maiorem, secus, nego Maiorem, & concessa Minori, negò consequentiam; causa enim virtualis, seù ratio formalis maximè implicitè continens totum quod est in effectu semper est nobilior illo; vndè rationes transcendentales licèt explicent aliquod, quod non explicat ens, tamen sunt ignobiliores illo, cum sit causa virtualis ipsarum, & implicitè contineat totum, quod continent illæ.

28 Arguitur secundò. Si ens haberet passiones, vel essent reales, vel rationis, neutrum est dicendum, ergò ens non habet passiones. Probatur Maior quò ad primam partem, nam transcendentia identificantur cum ente, ergò non sunt passiones reales, quò ad secundam, nam nullum ens rationis potest esse propria passio entis realis, cum passiones debeant proportionari cum sua essentia; ergò neutrum est dicendum.

29 Respondetur negando Minorem, & dico quod sunt passiones reales, ad probationem, nego consequentiam, non aliud est quod non sint reales, & aliud est quod non sint realiter distinctæ, siquidem æternitas, & immutabilitas, & alia attributa Diuina sunt realia, & tamen non distinguuntur realiter ab essentia diuina. Vnde Nazarius p. p. q. 11. art. 2. ad 2. ait, negatur passiones entis esse reales, scilicet realiter distinctas, aut ex natura rei ab ente; Ens tamen habet passiones reales in hoc sensu, quod eius passiones significant aliquid reale, quod etiam repetit Zanardus 4. Met. q. 8. & ità sufficit ad hoc vt transcendentia sint veræ passiones reales, quod distinguantur ab ente ratione ratiocinata penes implicitum, & explicitum.

30 Instabis animal rationale distinguitur ab homine penes implicitum, & explicitum, cum vnum sit definitio explicans id quod confusè continet definitum, & tamen non est passio hominis, ergò etiam si passiones distinguantur ab ente penes implicitum, & explicitum non erunt proprietates reales illius.

31 Respondetur negando consequentiam, disparitas est, quia animal rationale distinguitur ab homine tanquam constitutiuum à con-

constituto, passiones autem distinguuntur ab ente tanquam prædicata consequentia ad ipsum ens, & ex quo emanare suo modo intelliguntur.

32 Arguitur tertiò. Si ens haberet passiones, istæ essent veluti modi illius, sed hoc est falsum, ergò &c. Maior patet, nam afficerent ipsum ens; Minor verò probatur, nam si essent modi contraherent ipsum ens, & ità non conuerterentur cum illo, sicuti quia substantia contrahit ens, cum illo nequit conuerti, sed omnis passio conuertibilis est cum sua essentia ergò &c.

33 Respondetur cum D. Thoma q. 1. de Veritate art. 1. distinguo Maiorem, modi generales, concedo Maiorem, prædicamentales, nego Maiorem, & distincta eodem modo minori, nego consequentiam. Passiones ergò entis sunt modi generales implicitè contenti in ente, & ab eo virtualiter dimanantes, non verò prædicamentales, qui habent contrahere ipsum ens. Duo enim sunt genera modorum vt docet D. Tho. p. p. q. 6. art. 3. ad 1. Quidam sunt prædicamentales, qui addunt aliquid explicitum suprà ens determinando ipsum ad particulare genus entis, alij verò sūt generales, qui licèt addant aliquid explicitum suprà ens, non tamen determinant ipsum ad aliquid inferius, sed consequuntur totam entis communitatem, & hoc modo se habent passiones entis.

34 Arguitur quartò. Subiectum debet esse extrà rationem suarum proprietatum, sed nihil potest esse extrà rationem entis, ergò ens non habet proprietates; Maior patet, nam continetur in ipsarum definitione, tanquam aliquid additum, & extraneum; Minor quoque est clara.

35 Respondetur distinguendo Maiorem, loquendo de proprietatibus rei, & Physicis, concedo Maiorem, proprietatibus demonstrabilibus, & Metaphysicis, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Hoc ergò verum est in proprietatibus primi, non secundi generis; subiectum enim talium passionum, vt inquit hic Masius solum petit quod sit prius natura, aut intellectu respectu illarum, & sit causa virtualis illarum, quod optimè saluatur etiamsi non sit extrà illarum rationem.

36 Arguitur vltimò contrà secundam Conclusionem. Si propter aliquam rationem ens non haberet proprietates rei, maximè quia realiter non distinguuntur ab ipso, sed ista ratio est nulla, ergò &c. Maior est nostra ratio, Minor probatur, nā etiam in alijs rebus dantur suæ proprietates rei, & Physicæ, & tamen realiter non distinguuntur ab earum essentijs, ergò talis ratio est nulla, probatur Minor, nam si realiter distinguerentur à suis essentijs possent realiter ad inuicem separari, sed hoc est absurdum, ergò non distinguuntur realiter, Maior patet, nam quæ distinguuntur realiter possunt ad inuicem separari; probatur Minor, si enim separarentur contingenter illi inessent, cum possent conuenire, & non conuenire, ergò &c.

37 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem, nego Minorem, ad probationem, nego consequentiam; licèt enim ex separabilitate inferatur realis distinctio, non tamen è contrà ex reali distinctione infertur separabilitas, propter necessariam connexionem quæ inter aliqua realiter distincta intercedit, vt est inter materiam, & formam, inter duo relatiua, ac in proposito, inter essentiam, & proprietates.

38 Respondetur secundò, esse sententiam valdè probabilem, quod essentia, & eius passiones saltem de potentia Dei absoluta possunt separari, loquendo de proprietatibus rei, & Physicis; nec tamen in ista sententia sequitur proprietates contingenter inesse subiecto, quia de potentia Dei ordinaria sunt inseparabiles, id autem quod contingenter conuenit subiecto, etiam naturaliter est separabile ab illo, vt patet in albedine respectu Petri.

39 Instabis. Si passio distingueretur realiter ab essentia daretur processus in infinitum; consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela Maioris probatur, nam in homine secundum se sumpto vel est aptitudo ad ridendum, vel non; si secundum,

ergò ei repugnat, si primum, vel hoc est media alia aptitudine, & potentia, vel non; si primum iàm datur processus in infinitum; si secundum, ergò homo est ipsa aptitudo, & potentia ad ridendum, in qua consistit risibilitas, quæ est eius propria passio.

40 Respondetur negando sequelam, ad probationem dico, quod in homine secundum se sumpto est potentia, & aptitudo non proxima, & immediata, sed radicalis, & remota ad ridendum. Ad probationem dico, quod homo secundum se sumptus recipit actum ridendi media alia potentia, & aptitudine proxima, & immediata, & ibi sistitur; vndè non datur processus in infinitum, & ità risibilitas, quæ est propria passio hominis, non est potentia radicalis, & remota, sed proxima, & immediata ad ridendum, & ità realiter distinguitur ab ipso homine; hoc eodem modo soluitur argumentum Scoti, quod contendit intellectum non distingui ab essentia animæ, eo quia anima ex se est apta ad intelligendum, ergò aptitudo ad intelligendum, quæ est ipse intellectus non distinguitur ab anima. Nam antecedens verum est de aptitudine radicali, & remota, non verò de proxima, & immediata, in qua consistit intellectus, & est realiter distincta ab essentia animæ, vnde semper intellectus est, realiter distinctus ab illa.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Passiones Entis distinguantur realiter, aut ratione ab Ente?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, passiones entis esse hæc omnia transcendentia comprehensa simul cum ipso ente his duabus dictionibus *Reu, Bau*, per quas significatur res, ens, verum, bonum, aliquod, vnum. Quærimus ergò quomodo distinguantur huiusmodi passiones ab ente.

2 Prima sententia tenet passiones entis realiter ab ipso distingui. Ità Auicennas.

3 Secunda sententia tenet distingui formaliter ex natura rei. Ità Scotus cum suis discipulis in 1. dist. 3. q. 2. & 3.

4 Tertia docet distingui ratione penes implicitum, & explicitum. Ità Thomistæ cum suo Angelico Præceptore; vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

5 PRima Conclusio. Passiones entis non distinguuntur realiter ab ipso, 6 Probatur primò ex Philosopho 4. Met. cap. 2. *vbi docet ens, & vnum* (& eadem ratio est de cæteris) *non distingui reipsa*, ergò &c.

7 Probatur ratione. Si ens distingueretur realiter à suis proprietatibus per distinctam entitatem aliquid esset ens, verum, res, aliquod, bonum, & vnum, consequens est absurdum, ergò & antecedens; Minor patet, non enim videtur, quomodò tot entitates in vna, & eadem re sint constituendæ. Maior verò probatur, nam quia humanitas, & risibilitas distinguuntur realiter per distinctam entitatem, aliquis est homo, & risibilis, ergò si ens distingueretur realiter &c.

8 Probatur secundò quò ad singulas proprietates, & primò quò ad vnum. Quæ simul generantur, & corrumpuntur per se primò, & vt quod sunt idem, sed ens, & vnum ità se habent, ergò sunt idem realiter. Probatur Minor, nam eo ipso, quod generatur homo generatur vnus homo, & eo ipso, quod corrumpitur ens, corrumpitur vnum ens, ergò vera Minor. Item quælibet res est vna per suam essentiam, nam si esset vna per aliquid superadditum, cum illud quoque sit ens de-

deberet esse vnum per aliud superadditum, & ità daretur processus in infinitum, ergò ens, & vnum sunt idem.

9 Probatur quò ad verum. Vel ens se solo potest apprehendi ab intellectu, vel non; si secundum; ergò non distinguitur à veritate, ratione cuius omnia apprehenduntur ab intellectu; si primum, ergò potest dari effectus formalis sine forma, scilicet apprehendi ab intellectu, quod est effectus formalis veritatis, sine ipsa veritate, quod est absurdum. Item quodlibet ens est intelligibile se ipso, ergò se ipso est verum; antecedens probatur, siquidem vnum quodque est intelligibile per suam entitatem; cuius signum est, quod res, quæ sunt maioris entitatis, sunt ex natura sua, magis intelligibiles, quæ minoris entitatis, minùs, & quæ nullius nullo modo; vndè in primo posteriorum dicitur quod non est, non contingit scire, ergò quodlibet ens est intelligibile se ipso.

10 Probatur quò ad bonum. Quælibet res intantum est bona, inquantū est ens, ergò ens, & bonū realiter non distinguuntur. Antecedens probatur; quælibet res intantum est bona inquantum est appetibilis, & intantum est appetibilis, inquantum est perfectiua appetitus, & intantum est perfectiua appetitus, inquantum habet esse, cum esse sit prima actualitas, & prima perfectio, & intantum habet esse, inquantum est ens; ens enim est illud, cui debetur esse, ergò de primo ad vltimum quælibet res intantum est bona inquantum est ens.

11 Probatur quò ad aliquid, & rem; siquidem vnumquodque per se ipsum distinguitur ab alio, & est aliud quid ab eo, & nihil distinguitur à sua propria essentia, & quidditate, sed primum importat aliquid, secundum res, ergò res, & aliquid sunt idem cum ente.

12 Secunda Conclusio. Ens non distinguitur formaliter ex natura rei à suis proprietatibus.

13 Probatur primò. Quotiescumq; aliquid prædicatur de subiecto essentialiter, ità quod includatur in conceptu quidditatiuo ipsius non distinguitur formaliter ex naturā rei ab illo, sed ens prædicatur de suis proprietatibus essentialiter, ità vt includatur in conceptu quidditatiuo ipsarum, cum sit transcendens, ergò &c.

14 Probatur secundò. Ex duabus propositionibus contradictorijs vna debet esse vera, & altera falsa, sed istæ sunt duæ propositiones contradictoriæ, verbi gratia, vnum est formaliter ens, vnum non est formaliter ens, ergò vna illarum erit vera, alia falsa, sed ista est falsa; vnum non est formaliter ens, nam si formaliter non est ens, est formaliter nihil; ergò ista debet esse vera, vnum est formaliter ens, ergò passiones entis &c.

15 Probatur tertiò; nam secùs sequeretur, quod destruerentur transcendentia, & nulla ratio transcendentalis in rerum natura reperiretur; consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur; nam si ens, & passiones eius ad inuicem non se includunt, nil aliud erit in rerum natura, quod hoc facere possit, ergò &c.

16 Tertia Conclusio. Passiones entis distinguuntur virtualiter, seu ratione ratiocinata penes implicitum, & explicitum ab ipso ente.

17 Probatur primò ex D. Tho. quæst. 1. de verit. a. 1. in o. vbi ait, *secundum hoc aliqua dicuntur addere suprà ens, in quantum exprimunt ipsum modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur, quod dupliciter contingit, vno modo, vt modus sit aliquis specialis modus essendi entis, alio modo ità quod modus expressus sit modus generaliter consequens omne ens*, & posteà declarat proprietates entis hoc secundo modo addere aliquid suprà ens, ergò de mente D. Thomæ vera Conclusio.

18 Probatur primò ratione. Ens est prius ratione passionibus, & non est sinonymum cum illis, ergò debent virtualiter ad inuicem distingui saltem distinctione rationis penès implicitum, & explicitum; consequentia patet, nam secùs non esset prius, sed quid sionymum cum suis passionibus; antecedens verò probatur, nam quando prædi-

ctur ens de passionibus, aut passiones de ente dicendo bonum est ens, ens est verum, non comittitur aliqua nugatio, sicut quando dicitur, Sortes est Sortes, ergò ens &c.

19 Probatur 2. de singulis transcendentibus diuersos conceptus formamus, ergò virtualiter inter se distinguuntur distinctione penès implicitum, & explicitum; antecedens probatur, nam de ente concipimus esse illud, quod habet esse, de vno, quod est indiuisum in se; de re, quod sit quidditas, seù essentia, de aliquid, quod sit quid distinctum ab alio; de vero, quod sit illud; quod est adæquatum cum intellectu, & de bono, quod sit illud, quod est natum appeti, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

20 Arguitur primò contrà primam Conclusionem. Quæ in Diuinis distinguuntur ratione, in creatis distinguuntur realiter, sed passiones entis in diuinis distinguuntur ratione ab ipso ente, ergò in creatis distinguuntur realiter.

21 Respondetur cum D. Tho. q. 1. de veritate art. 1. ad vltimum, & q. 21. art. 1. ad 5. Distinguo Maiorem, si ex sua natura non sint vnum, concedo Maiorem, secus, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Dicit ergò D. Thomas, *quod & si ens, verum, bonum, & aliæ passiones magis vniantur in Deo, quàm in rebus creatis non oportet tamen, quod ex quæ ratione distinguuntur in Deo, in creatis distinguantur realiter; hoc enim contingit de illis, quæ non habent ex sua ratione, quod sint vnum secundum rem, sicut sapientia, & potentia, quæ cum in Deo sint vnum, in creatis realiter distinguuntur, sed ens, verum, vnum, & bonum secundum suam rationem habent, quod sint vnum, vndè vbicumque inueniuntur realiter sunt vnum, licet perfectior sit vnitas illius rei secundum quam vniuntur in Deo, quam illius rei secundum quam vniuntur in creatis*. Hæc D. Thomas.

22 Respondet pari modo Soncinas 4. Met. quæst. 21. quod aliqua non esse distincta in prima causa potest esse dupliciter, vno modo tantum ex parte eius in quo est, ità quod in alijs distincta sint, sed propter simplicitatem primæ causæ, in ea non distinguntur, sicut iustitia, & sapientia, & de istis verificatur, quod ea, quæ ratione distinguuntur in Deo, in creatis distinguuntur realiter. Alio modo aliqua dicuntur esse indistincta in prima causa non solum ex parte eius in quo est, sed quia eis repugnat simpliciter, quod realiter distinguantur, & de istis hoc non verificatur, huiusmodi autem sunt transcendentia, & ideò nec in Deo, nec in creatis realitèr distinguuntur.

23 Instabis. Perfectior est vnitas inter passiones, & ens in Deo, quam in creaturis, sed in Deo distinguuntur ratione, ergò in creaturis plusquam ratione, ac ideò realiter debent distingui.

24 Respondetur negando consequentiam, quia intrà distinctionem rationis, etiam penes implicitum, & explicitum datur sua latitudo non solum increatis, sed etiam in Deo; nam misericordia, & iustitia magis distinguuntur, quam scientia visionis, & scientia simplicis intelligentiæ, cum illæ pertineant ad diuersam lineam, istæ ad eandem, & tamen vtrobique est tantum distinctio rationis penes implicitum, & explicitum.

25 Arguitur secundò. Illa sunt realiter distincta ex quorum distinctione oritur in alijs distinctio realis, sed per distinctionem inter ens, & bonum oritur distinctio realis inter intellectum, & voluntatem, ergò ens, & bonum distinguuntur realiter, sed hæc ratio currit etiam de alijs passionibus, ergò passiones realiter distinguuntur ab ente; Maior patet, nam Minor distinctio nequit causare Maiorem; Minor verò probatur, siquidem potentiæ distinguuntur per obiecta, sed obiectum intellectus est ens, obiectum voluntatis est bonum, ergò &c.

26 Respondetur primò distinguendo Maiorem, si illam causent tanquam causæ æqui-

uocæ, nego Maiorem, tanquam causæ vniuocæ, concedo Maiorem, & distincta eodem modo minori negatur consequentia; ens ergò, & bonum causant distinctionem realem inter intellectum, & voluntatem tanquam causæ æquiuocæ, & in genere causæ formalis extrinsecæ, vndè benè stat, quod intellectus, & voluntas sint potentiæ realiter distinctæ, non autem ens, & bonum, sed quod solum virtualiter distinguantur, maximè cum tanta distinctio nequeat esse in principijs, quanta reperitur in principiatis.

27 Respondetur secundò cum Soncinate negando Minorem, nam aliunde intellectus, & voluntas habent distinctionem realem, cum sint proprietates animæ ex æquo distinctæ, quarum vna supponit aliam, imò vna mediante alia emanat ab anima, sicut facit voluntas mediante intellectu.

28 Arguitur tertiò; quæ sunt realiter idem, habent eadem opposita, sed ens, & vnum non habent eadem opposita, ergò non sunt realiter idem: probatur minor, nam enti opponitur tantum non ens, vni verò opponitur non ens, & multitudo, ergò &c.

29 Respondetur distinguendo Maiorem, si sint idem re, & ratione, concedo Maiorem, secus, nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam. Ad hoc enim, vt habeant diuersa opposita, sufficit quod distinguantur ratione, vt patet in eadem quantitate v.g. bicubita, quæ potest opponi quantitati tricubitæ, & quantitati vnius cubiti, & esse minor vna, & maior alia absque aliqua distinctione reali, sed tantum virtuali.

30 Arguitur quartò contrà secundam conclusionem; si ens non distingueretur formaliter ex natura rei à suis passionibus, sequeretur, quod quidquid includeret ens, includeret etiam passiones, sed hoc est falsum, ergò &c. probatur Minor, nam multitudo includit ens, & tamen non includit vnum, sed potius illi opponitur, ergò falsum est, quod quidquid includit ens, &c.

31 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego Minorem, & dico cum Soncinate quod etiam multitudo aliquam vnitatem habet, saltem ordinis, & aggregationis; & licèt opponantur, tamen multitudo includit vnitates, & ex eis constituitur, non secundum id, quod habent de ratione indiuisionis, quia vt sic opponuntur multitudini, sed secundum hoc, quod habent de entitate, vt ait D. Th. 1. p. q. 11. art. 2. ad 1.

32 Instabis primò. Si passiones includerent essentialiter ens possent ad inuicem prædicari, sed hoc est falsum, ergò non includunt essentialiter ens; probatur Minor, non enim valet dicere bonitas est entitas, entitas est bonitas, ergò falsum est &c.

33 Respondetur distinguendo Maiorem, quo ad implicitum concedo, quo ad explicitum nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam; tales enim prædicationes sunt veræ in sensu implicito, non verò explicito, quælibet enim proprietas ex vi sui proprij constitutiui explicat aliquid, quod non explicat ens.

34 Instabis secundò. Quod includit essentialiter aliquid est eo inferius, sed passiones non sunt quid inferius ente, ergò illud essentialiter non includunt; Minor patet, nam dicuntur ad mutuam conuertentiam; Maior verò probatur, quia enim homo includit essentialiter animal est eo inferior, ergò quod includit essentialiter &c.

35 Respondetur distinguendo Maiorem, si includat tanquam modus specialis, concedo Maiorem, tanquam modus generalis, nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam; non ergò omne, quod includit aliquid est eo inferius, nam homo includit essentialiter animal rationale, & tamen non est inferior, sed equalis illi, vnde licèt modi speciales, & contrahentes ens, ipso sint inferiores, non tamen hoc habent modi generales consequentes omne ens, sicut sunt eius passiones.

36 Instabis tertiò. Passiones entis dicuntur prædicata attributalia respectu illius, ergo ipsum essentialiter non includunt, nec sunt de eius essentia; antecedens patet, consequentia probatur, nam implicat, quod idem sit prædicatum attributale, & quidditatiuum respectu eiusdem, & sit in primo, & secundo modo dicendi per se, ergò si &c.

37 Res-

37 Respondetur negando consequentiam, ad probationem nego antecedens, attributa enim diuina dicuntur prædicata attributalia, & tamen sunt quidditatiua respectu essentiæ diuinæ, quod nascitur ex mutua transcendentia, quam cum habeat etiam ens cum suis passionibus, inde stat, quod licèt sint eius prædicata attributalia, tamen sunt etiam quidditatiua; vnde passiones entis non dicuntur in secundo modo dicendi per se de ipso, sicuti aliæ passiones de suis subiectis, sed in primo.

38 Instabis quartò. Tales passiones probantur à priori per ens, ergò non sunt de essentia illius. Antecedens patet, hæc enim est vera demonstratio à priori, omne ens est vnum, omne verum est ens, ergò omne verum est vnum, consequentia probatur, nam essentiæ rerum sunt indemonstrabiles à priori, ergo si tales passiones probantur à priori &c.

39 Respondetur distinguendo antecedens, tanquam per rationem formalem concedo, tanquam per verã causam nego antecedens, & consequentiam, ad probationem respondetur eodem modo, loquendo de illis, quæ sunt de essentia tanquam prædicata modificatiua, non constitutiua adæquatè. Sicut ergò attributa diuina demonstrantur à priori per ipsam essentiam diuinam, non quidem per veram causam, sed tanquam per rationem formalem, & tamen sunt de essentia deitatis, & sicut in anima conceptus principij radicalis viuendi, sentiendi, & intelligendi probatur à priori per conceptum actus corporis, & tamen vterque est de essentia animæ, ità possunt proprietates entis demonstrari à priori per illud, & tamen esse de essentia illius.

40 Arguitur vltimò contrà tertiam conclusionem; si passiones entis distinguerentur ratione ratiocinata ab ente aliquid adderent ipsi, sed enti nulla potest fieri additio, ergò &c. Maior patet, quia nequit intelligi vlla distinctio sine aliqua additione; Minor probatur, nam, quod additur alteri, vel est extrà rationem illius, vel contrahit illum limitando ambitum illius, vel superaddit aliquid rationis, sed passiones nullum ex his facere possunt respectu entis, ergò enti nulla potest fieri additio; Maior est Diui Thomæ q. 1. de ver. art. 1. vbi hanc enumerationem facit; Minor verò probatur quò ad primam partem, nam passiones non sunt extraneæ enti; quò ad secundam etiam, siquidem passiones entis conuertuntur cum illo; quo ad tertiam denique; quia secus sequeretur, quod passiones entis essent entia rationis, ergò vera Minor.

41 Respondetur distinguendo Maiorem, quò ad explicitum, concedo Maiorem, quò ad implicitum, nego Maiorem, & distincta eodem modo minori, nego consequentiam. Additio ergò quæ potest fieri enti est quò ad explicitum tantùm, vt clarissimè docet D. Thomas quæstione citata. Ad probationem nego Minorem, & dico quod superaddunt aliquid rationis, scilicet, vel negationem, sicut facit vnum, vel relationem, sicut facit verum, & bonum, quæ dicunt conformitatem, & ideò relationem rationis ad Intellectum, & voluntatem, relatio enim perfectibilis ad perfectiuum est relatio realis; relatio verò perfectiui ad perfectibile, qualis est illa, quam dicunt verum, & bonum ad intellectum, & voluntatem est relatio rationis, vt latius per totum corpus art. 1. q. 21. de verit. demonstrat S. Thomas, nec per hoc sequitur, quod passiones entis sint entia rationis, cum implicitè identificentur cum ipso ente, & sint ipsum ens reale; imò Diuus Thomas quæst. 1. de ver. art. 1. explicans omnes, & singulas proprietates entis dicit importare aliquid reale, nimirum, vel quidditatem, & essentiam, vt res, vel indiuisionem vt vnum, vel diuisionem vt aliquid, vel tandem conuenientiam vnius entis ad aliud vt verum, & bonum, quæ omnia tamen in obliquo, & de connotato dicuntur importare aliquid rationis.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum passiones entis conuertantur cum illo, & quot sint?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo Resolutione primæ partis difficultatis aduert. est cum Iauello, & Masio, quod triplex est conuertibilitas. Prima secundum rem, quando scilicet dicunt eandem naturam adæquatè, vt homo, & rationale; secunda est conuertibilitas secundum conceptum, quando scilicet duo habent eundem omninò conceptum, ità quod sint idem re, & ratione, vt sunt synonyma; tertia secundum prædicationem, quando scilicet de quibuscumque prædicatur vnum, prædicatur & aliud, vt homo, & risibile; in præsenti non quærimus de prima, sic enim certum est conuerti, cum nulla passio entis addat aliquid reale suprà ens, nec de secunda, quia certum est, hoc modo non conuerti, cum passiones entis distinguantur ratione ab ipso; vnde difficultas remanet de tertia.

2 Aduert. est 2. cũ Bruno, quod proprietates entis sunt in duplici differentia, quædã dicuntur simplices, quæ termino incomplexo significantur; vt res, aliquid, vnum, verum, & bonum; aliæ verò dicuntur disiunctæ, quæ nomine complexo significantur, & cum disiunctione enti conueniunt vt sunt, actus, & potentia, idem, & diuersum, necessarium, & contingens: de his secundis quæstio in præsenti non procedit, cum potius contrahant, & diuidant ens, sed tantùm de primis, quò ad primam partem nullum dissidium reperio apud Doctores; quò ad secundam.

3 Prima sententia tenet dari tantùm vnum transcendens, quod est res, ità Laurentius Valle.

4 Secunda sententia vult transcendentia esse nouem. Ita Petrus Gregorius, & enumerans illa dicit esse, bonitatem, magnitudinem, durationem, potestatem, cognitionem, voluntatem, virtutem, veritatem, & gloriam. Philippus verò Mocenigus ait esse decem.

5 Tertia sententia constituit enti tantum tres passiones, scilicet, vnũ, verum, & bonũ, & ità ponit quatuor transcendentia, ità Masius, Blasius, Brunus, Arnù, Picus Mirandulanus, Fonseca, Momolius, & ex antiquis Argentina, & Alensis; immò dicunt esse communem omnium Phylosophorum.

6 Quarta sententia denique docet esse quinque passiones entis, scilicet; aliquid, vnum, rem, verum, & bonum, & ideò transcendentia esse sex. Ità Auicennas, quem multi sequuntur, vt fatetur hic Masius; & ex nostris eam docent Iauellus, & Arauio; Ioannes verò Martinez de Prado ait, quod proprietates reales sunt tres, notionales verò quinque; Sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

7 PRima conclusio. Ens conuertitur cum suis passionibus.

8 Probatur primò. Quæ sunt inter se ità connexa, vt de quocunque prædicatur vnum prædicetur, & aliud, ad inuicem conuertuntur, sed ità se habet ens cum suis passionibus, ergò ens conuertitur cum suis passionibus; Maior patet, Minor probatur; nam de quocunque prædicatur ens dicitur quoque esse aliquid, rem, vnum, verum, & bonum, & è contrà, ergò ità se habet ens cum suis passionibus.

9 Probatur secundò inductiuè quò ad singulas, & primò quò ad vnum. Omne ens est indiuisum aliquo modo, ergò vnum; antecedens probatur, nam entia, vel sunt simplic-

plicia, vel composita, si primum sunt omninò actu indiuisa, cum non habeant partes, si secundum, licèt sint diuisibilia, non tamen sunt actu diuisa, ergò omne ens est vnum.

10 Probatur quò ad bonum, omne appetibile est bonum, omne ens est appetibile, ergò omne ens est bonum; Maior patet, Minor probatur, omne perfectum est appetibile, cum quælibet res appetat suam perfectionem, sed omne ens est perfectum, cum habeat esse, quod est prima perfectio rei, ergò omne ens est appetibile.

11 Probatur quò ad verum: omne ens conforme est alicui intellectui, saltem Diuino, ergò omne ens est verum; consequentia probatur, nam in hoc præcisè consistit veritas transcendentalis, ergò si omne ens &c.

12 Probatur quò ad rem; siquidem omne ens habet suam essentiam, & quidditatem, ergò omne ens est res.

13 Probatur quò ad aliquid; quia omne ens in particulari est distinctum ab alio, ergò est aliquid; cum autem ens sit transcendens respectu omnium omnium suarum passionum, è conuerso essentialiter, & quidditatiuè de omnibus prædicatur, ac ideò datur mutua conuersio quò ad prædicationem inter ens, & eius passiones.

14 Secunda conclusio. Passiones entis sunt quinque; scilicet, Res, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum.

15 Probatur primò vniuersaliter ratione Diui Thomæ quæst. 1. de ver. art. 1. in o. Secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur, quod dupliciter contingit, vno modo, vt modus expressus sit aliquis specialis modus entis, alio modo ità quod modus expressus sit modus generaliter consequens omne ens, vel in ordine ad se, vel in ordine ad aliud, si primo modo, vel exprimit aliquid affirmatiuè, & sic est res, quæ significat essentiam, vel negatiuè, & sic est vnum, quod dicit indiuisionem. Si secundo modo, vel est secundum diuisionem, vel secundum conformitatem, si secundum diuisionem est aliquid, quod dicitur aliud quid, si secundum conformitatem, vel est ad intellectum, & sic est verum, vel ad voluntatem, & sic est bonum, ergò passiones entis de mente Diui Thomæ sunt quinque.

16 Probatur secundò quò ad aliquid, & rem ex Philosopho 4. Met. vbi eodem modo dicit ens, & vnum esse idem, ac ens, & aliquid, sed ens, & vnum non ità sunt idem, vt ratione non distinguantur; ac ideò vnum non sit vera proprietas entis, ergò etiam aliquid. Item S. Thomas ibidem lect. 11. loquens de re, vno, & ente hæc ait: *Res imponitur à quidditate tantùm; hoc verò nomen ens imponitur ab actu essendi, & hoc nomen vnum ab ordine, vel indiuisione, est enim vnum ens indiuisum, idem autem est, quod habet essentiam, & quidditatem per illam essentiam, & quod est in se indiuisum; vndè ista tria res, ens, vnum significant omninò idem, sed secundum diuersas rationes.* Idem docet opusc. 42. sed quia non est firmum illud opusculum esse Diui Thomæ, ideò

17 Probatur tertiò quò ad easdem passiones, nam de cæteris non est dubium: quæ conuertuntur cum ente, & distinguuntur ratione ab ipso sunt veræ passiones illius, sed ità se habent res, & aliquid, ergò res, & aliquid sunt passiones entis. Maior patet; Minor probatur, istæ prædicationes non sunt nugatoriæ, res est ens, ens est aliquid, sed hoc esset, si saltem ratione non distinguerentur ab ente, ergò passiones entis conuertuntur cum ente, & distinguuntur ab illo.

18 Probatur quartò; sicut vnum addit indiuisionem supra ens, ità aliquid addit diuisionem, sed stante primo vnum distinguitur ratione ab ente, & est vera passio illius, ergò etiam stante secundo aliquid ratione distinguetur ab ente, & erit vera passio illius. Item in diuinis concedimus tres res, & negamus tria entia, vt liquet ex Diuo Thoma 1. p. q. 39. art. 3. ad 3. ergò oportet esse ad minus distinctionem rationis inter rem, & ens, ac ideò erit vera passio illus, & non omninò idem cum illo.

§. III.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

19 Arguitur primò contrà primam conclusionem. Ea non conuertuntur, quorum vnum prædicatur de pluribus, quam aliud, sed ens prædicatur de pluribus, quam vnum, ergò non conuertuntur. Probatur Minor, nam ens prædicatur de multitudine, sed vnum non prædicatur de multitudine, sed potiùs illi opponitur, vt docet Diuus Thomas 1. p. q. 11. art. 2. ergò &c.

20 Respond. negando Minorem, ad probationem negatur Minor, nam vt ait Soncinas omnis multitudo habet aliquam vnitatem, quæ enim sunt multa numero, sunt vnum specie, & quæ sunt multa specie sunt vnum genere, & quæ sunt multa genere sunt vnum analogicè; seù vt ait Diuus Dionysius de diuinis nominibus, vt refert Iauellus *non est multitudo non participans vno, sed quæ sunt multa partibus sunt vnum toto, & quæ sunt multa accidentibus sunt vnum subiecto, & quæ sunt multa numero sunt vnum specie, & quæ sunt multa speciebus sunt vnum genere, & quæ sunt multa processibus sunt vnum principio*, nec refert, quod opponatur, quia, vt dixi in antecedenti articulo, vnum non opponitur quò ad positiuum quod importat, sed solum ratione indiuisionis quam dicit, & dato, quod multitudo non sit vna, sed tantùm constet ex vnitatibus, pari modo non est ens, sed plura entia.

21 Arguitur secundò. Priuationes, & entia rationis sunt vera, & tamen non sunt ens reale, quod est subiectum Metaphysicæ, de quo est sermo, ergò verum non conuertitur cum ente, Minor patet, Maior probatur, nam sunt intelligibilia, ergò sunt vera.

22 Respondetur distinguendo Maiorem, ratione alterius concedo; ratione sui, nego Minorem, & sic distinctà Minori nego consequentiam. Vnumquodque ergò ità se habet ad verum, sicuti se habet ad ens, vnde quæ sunt ens per se, sunt quoque vera per se, quæ verò sunt entia per aliud, vt sunt priuationes, quæ fundantur in subiecto, & entia rationis, quæ fundantur in ente reali, sunt quoque vera per aliud, & intelligibilia, seù cognoscibilia per illud.

23 Arguitur tertiò. Non esse, & mors non sunt ens, & tamen sunt bonum, ergò bonum, & ens non conuertuntur; probatur Minor, siquidem appetuntur, vt patet in damnatis, qui appetunt non esse, & in occidentibus se ipsos, ergò sunt bonum.

24 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, ratione alterius concedo, ratione sui, nego antecedens, & consequentiam; damnati ergò non appetunt præcisè non esse ratione sui, sed quatenus illud apprehendunt vt finem suæ miseriæ, quam volunt non esse, & similiter est in occidentibus se ipsos; hoc enim faciunt propter fugiendam infamiam, vel miseriam.

25 Arguitur quartò. Res secundùm Porphirium prædicatur de quinque vniuersalibus, sed ens non prædicatur de illis, ergò latius patet res, quam ens, ac ideò non conuertuntur; Maior patet, nam inquit *harum rerum, scilicet, quinque vniuersalium compendiosam traditionem faciens, &c.* Minor probatur, nam quinque vniuersalia sunt secundæ intentiones, de quibus nequit prædicari ens reale, ergò &c.

26 Respondetur distinguendo Maiorem, prout res deriuatur à reor, reris, concedo Maiorem, prout deriuatur à ratus, rata, ratum, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Ens ergò reale est illud tantùm, quod habet veram, & propriam essentiam, & sic tantùm illud est res, prout dicit esse ratum, & firmum; secundæ verò intentiones, sicut, & omnia entia rationis dicuntur res, vt deriuatur à reor, reris, quod significat esse diminutum, quod habent secundùm quod confinguntur ab intellectu.

27 Arguitur quintò. Aliquid importat distinctionem vnius entis ab alio, sed non minùs distinguuntur duo entia rationis, quam duo entia realia, ergò aliquid latiùs

patet, quàm ens reale, & ideò non conuertitur cum illo.

28 Respondetur distinguendo Maiorem, secundum quidditatem, & essentiam, concedo Maiorem, præcisè, nego Maiorem, & distinctaeodem modo Minori nego consequentiam. Aliquid ergò propriè est illud, quod comparatùm alteri dicit aliam essentiam, & quidditatem ab eo; vndè dicitur aliud quid, & ideò solùm absolutè verificatur de ente reali, licèt impropriè extendatur etiam ad entia rationis, quæ sicut non sunt entia simpliciter, sed secundum quid, ità non sunt aliquid simpliciter, sed secundum quid.

29 Arguitur sextò contrà secundam conclusionem. D. Tho. excludit rem, & aliquid à proprietatibus entis, ergò tantùm tres sunt proprietates entis. Antecedens probatur, nam in primò dist. 18. quæst. 5. art. 1. ad 3. ait, *& ideò hæc quatuor conuertuntur ens, bonum, verum, & vnum*; item in primo dist. 3. q. 2. art. 2. tantum tres proprietates entis assignat; vnum, verum, & bonum. Denique 1. p. q. 5. 11. & 16. de his tantùm tribus passionibus agit, ergò D. Th. excludit rem, & aliquid à proprietatibus entis.

30 Respondetur negando antecedens, ad probationem negatur consequentia, siquidem omnia ista loca, & quæcunque alia adducuntur contrà conclusionem faciunt tantum argumentum negatiuum, quod nullatenus conuincit rem, & aliquid non esse passiones entis; ex eo enim quod ibi non enumerentur; tamen D.Th. eas non excludit à proprietatibus entis, cum alijs in locis, vt vidimus eas ex professo enumeret.

31 Arguitur septimò. Ità se habet ens ad suas proprietates, sicut anima ad suas potentias, sed tantum tres sunt potentiæ animæ, scilicet, intellectus, voluntas, & memoria, ergò pariter tres tantum erunt proprietates entis. Probatur consequentia, nam hoc pacto prima, scilicet, vnum correspondebit memoriæ, in qua res retinent vnitatem, secunda, scilicet, verum correspondebit intellectui, per cuius conformitatem res dicuntur veræ, & tertia, scilicet, bonum correspondebit voluntati, quæ appetit bonum, tanquam proprium perfectiuum, ergò &c.

32 Respondetur negando consequentiam, quid enim enti cum anima; aut quæ paritas cum proprietatibus vnius, & potentijs alterius? ad probationem distinguo antecedens, ità quòd talis correspondentia sit inadæquata, concedo antecedens, sit adæquata, nego antecedens, & consequentiam; licèt ergò in hoc correspondeant sibi proprietates entis, & potentiæ animæ, tamen talis correspondentia est inadæquata, quia ens vltrà indiuisionem, & relationem, quam dicit ad intellectum, & voluntatem, habet quoque suam essentiam, & distinctionem ab alio, quæ importantur per alias duas rationes transcendentales, scilicet rem, & aliquid, vnde stat, quod passiones entis sint quinque.

33 Instabis primò. Vnaqueque res etiam secundum correspondentiam adæquatè sumpta, vel potest sumi absolutè, vt est in se ipsa, vel relatiuè ad Deum, sed ex hoc sequitur, quod tantùm tres sint proprietates entis, ergò &c. probatur Minor, nam si sumatur absolutè, & prout est in se est vna, cum vnum nil aliud sit, quam ens indiuisum in se, si verò sumatur relatiuè ad Deum, vel ipsum respicit vt causam efficientem, & ità est ens, quod à solo Deo creatur, si vt causam exemplarem, sic est verum, cum veritas nil aliud sit, quam conformitas cum ideis Diuinis, si verò vt causam finalem, sic est bonum, cum bonum definiatur à fine, ergò ex hoc sequitur quod tantum tres sint proprietates entis.

34 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens quò ad primam partem, est vna non tantùm, concedo antecedens, tantùm, nego antecedens, & consequentiam; dico ergò, quod si sumatur absolutè, & vt est in se est vna, res, & aliquid, vna, quatenus dicit indiuisionem in se ipsa, res quatenus dicit essentiam, & aliquid, quatenus dicit diuisionem à quocunque alio, & ideò potiùs sequitur, quòd quinque sint passiones entis; & licèt vnum dicat ens indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio, hoc secundum tamen importat identicè non

verò

verò formaliter, sed solùm explicat indiuisionem in se ipso, vndè aliquid potest esse passio distincta.

35 Instabis secundò. Passio entis debet exprimere modum, qui nomine entis non exprimatur, sed res non est huiusmodi, ergò res non est passio entis. Probatur Minor; ens dicit essentiam cum ordine ad esse; res verò dicit essentiam subticendo ordinem ad esse, ergò res non exprimit modum nomine entis non expressum.

36 Respondetur negando Minorem; ad probationem dico, quòd ens solùm importat actum essendi, & ideò res, quæ dicit essentiam explicat modum firmum, & ratum essendi, quod non explicat ipsum ens.

37 Instabis tertiò. Aliquid nil aliud est, quam aliquod ens, sed aliquod ens nequit esse passio entis, ergò aliquid non est passio entis. Minor probatur, nam aliquis homo nequit esse passio hominis, ergò nec aliquod ens potest esse passio entis.

38 Respondetur distinguendo Maiorem, cum diuisione ab alijs, concedo Maiorem, præcisè, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam; sicut enim vnum nil aliud est, quàm vnum ens, & tamen est passio entis, quia addit indiuisionem, ità etiam aliquid potest esse passio entis, quia addit suprà illud diuisionem à quocunque alio.

39 Arguitur vltimò probando, quod passiones entis sint plures. Multitudo, malum, & falsum sunt etiam passiones entis, ergò sunt multò plures, quam assignatæ; probatur antecedens, nam sicut vnum, verum, & bonum sequuntur ad ens, & per omnia genera diuagantur, ità etiam multitudo falsum, & malum consequuntur ad ens, & per omnia genera diuagantur, ergò &c.

40 Respondetur negando antecedens; ad probationem distinguo antecedens quò ad secundam partem, ratione eius, quod habet de defectu à perfectione in bono, vel adæquatione in verò, vel induit rationem non entis, sed entium, concedo antecedens; ratione eius, quod habet de entitate, nego antecedens, & consequentiam, Non ergò hæc omnia possunt esse passiones entis, quia non sequuntur ad ens ratione eius, quod habet de entitate, sed malum sequitur ad ens secundum id, quod habet de defectu à perfectione in bono; falsum secundum id, quod habet de defectu ab adæquatione in vero, & multitudo inuenitur in ente, non prout ens est, sed quatenùs declinat ab ente, & induit rationem entium. Vltrà quam quòd falsum, malum, & multitudo per modum diuisionis non transcendunt per omnia genera; cum non reperiantur in diuinis, vbi nil mali, aut falsi reperitur, & adest multitudo solum per modum oppositionis, & relationis, non per modum diuisionis, nimirum diuidendo naturam; ità Ioan: à S. Tho. 1. p. q. 11. art. 1.

41 PRO CORONIDE QVÆSTIONIS QVÆRES PRIMO. An ens prædicetur quidditatiuè de suis passionibus?

42 Respondetur affirmatiuè contrà Scotistas, & Fonsecam.

43 Probatur primò; quæcunque dicuntur de aliquo in primo modo dicendi per se, dicuntur quidditatiuè, & essentialiter de illo, sed ens prædicatur de passionibus in primo modo dicendi per se, ergò ens quidditatiuè prædicatur de suis passionibus. Maior patet, Minor probatur, nam hæc prædicatio vnum est ens est prædicatio in aliquo modo dicendi per se, sed non est in secundo, quia prædicatum non est passio subiecti, non in tertio, quia ille non spectat ad modum prædicandi, sed per se existendi, neq; in quarto, quia subiectum non est causa prædicati, ergò in primo.

44 Probatur secundò; vel vnum v.g. in sua propria, & formali ratione significat solam indiuisionem, vel etiam ipsum ens, si secundum, ergò iam ens prædicatur quidditatiuè de suis passionibus, si primum, ergò vnum nil ponit in rebus, & sic quando dicimus Deum esse vnum, solam negationem de Deo prædicamus, quo nihil absurdius.

45 Probatur tertiò. Omne transcendens prædicatur essentialiter de quacumque ratione, in qua imbibitur, sed ens est transcendens, ergò essentialiter prædicatur de suis passioni-

nibus. Minor patet, Maior verò probatur, siquidem transcendens facit simplicissimum conceptum cum re, quam transcendit absque vlla compositione, ergò essentialiter &c.

46 Probatur quartò. Proprietates entis non sunt formaliter nihil, ergò sunt formaliter ens, ac ideò formaliter, & essentialiter prædicatur de illis, antecedens patet, consequentia probatur, quia ex duabus contradictorijs, vna debet esse vera, & altera falsa, ergò si &c.

47 Arguitur primò. Quidquid continetur in definitione alicuius tanquam additum est extrà rationem, & essentiam rei definitæ, sed ens continetur in definitione suarum passionum tanquàm additum, ergò est extrà rationem, & essentiam illarum, Minor probatur, nam ens est subiectum, sed subiectum continetur tanquam additum in definitione passionum, vt docet Phil. 7. Met. cap. 5. ergò &c.

48 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Minorem, si sint passiones rei, & Physicæ, concedo Minorem, demonstrabiles, & Metaphysicæ, nego Minorem, & consequentiam. Phylosophus enim intelligendus est de proprietatibus rei, & Physicis, vt est simitas respectu nasi, & risibilitas respectu hominis, non verò de proprietatibus demonstrabilibus, seu Metaphysicis, quales sunt passiones entis, vel Phil. loquitur de subiecto, quod nō est transcendens.

49 Arguitur secundò. Ens diuiditur in creatum, & increatum, & de illis essentialiter prædicatur, sed passiones entis non continentur sub ente nec creato, nec increato, ergò ens non prædicatur essentialiter de illis; Minor probatur, nam si vnum v. g. contineretur sub ente increato, omne vnum esset increatum; similiter si contineretur sub ente creato, omne vnum esset creatum, sed hoc est absurdum, ergò passiones entis &c.

50 Respondet Iauellus quod ens priùs diuiditur in transcendentia, & priùs prædicatur de illis, quam de ente creato, & increato. Cæterùm hac responsione in sua probabilitate relicta, distinguitur Minor, adæquatè, concedo Minorem, inadæquatè, nego Minorem, & consequentiam; sicut enim vnum vt sic est passio entis vt sic, sic vnum creatum est passio entis creati, & vnum increatum est passio entis increati, illudque distributione accomoda consequitur.

51 QVÆRES SECVNDO. Quomodo ordinanda sint transcendentia?

52 Respondetur quod quantùm ad rem significatam nullus est ordo, cum non adsit distinctio realis in illa; quantùm verò ad rationes formales.

53 Primum locum obtinet ens. Probatur primò. Subiectum debet suas passiones præcedere, sed ens est subiectum, ergò debet inter omnia transcendentia primum locum obtinere. Secundò, quia id, quod primò concipitur est ratio entis, ergò cætera præcedit.

54 Secundum locum obtinet vnum. Probatur, secundum D. Thomam 1. p. q. 11. art. 2. ad 3. & 10. Met. lect. 9. in apprehensione intellectus talis seruandus est ordo, vt scilicet priùs apprehendamus ens, deinde non ens, mox diuisionem entis à non ente, & postea indiuisionem alicuius rei in se, quæ consequitur rationem vnius, ergò inter omnes proprietates vnum primò afficit ens.

55 Tertium locum obtinet aliquid. Probatur, quia post vnum statim apprehendimus aliquid, apprehenso enim ente indiuiso in se, statim concipimus ipsum, vt diuisum à quocunque alio; in hoc autem consistit aliquid, cum significet aliud quid; vnde si duo essent realiter idem vnum non posset dici aliquid comparatum alteri.

56 Quartum locum obtinet Res. Probatur, siquidem res dicitur à sua propria quidditate, & essentia; vnumquodque autem habet illam vt indiuisam in se, & diuisam à quocunque alio, alioquin talis essentia non esset sibi propria, sed omnibus communis; vnde liquet, quod post vnum, & aliquid immediatè sequitur res.

57 Quintum locum obtinet verum, & vltimum bonum. Probatur, nam vt ait D.Th. 1.p.q.18.art.4. illud, quod consequitur esse simpliciter est priùs illo, quod consequitur esse perfectum, cum esse simpliciter sit priùs

esse

esse perfecto, sed verum consequitur esse simpliciter, cum omne habens esse simpliciter sit natum intelligi; bonum verò consequitur esse perfectum, quod natum est appeti, ergò verum est prius bono. Item vniuersaliora sunt priora in nostra cognitione, vt dictum est suprà, sed verum est vniuersalius bono, cum verum sequatur ad ens vt sic, bonum autem ad ens actu existens, ergo &c. tandem eundem ordinem seruant obiecta, quem seruant potentiæ, sed intellectus, qui versatur circa verum præcedit voluntatem, quæ versatur circa bonum, ergò &c.

58 Arguitur primò. Omne positiuum est priùs priuatiuo, sed verum, & bonum significant quid positiuum, vnum verò quid priuatiuum, scilicet negationem diuisionis in se, ergò verum, & bonum sunt priora vno.

59 Resp. distinguendo Maiorem, si sit fundamentum illius, concedo Maiorem, secus, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Illud positiuum ergò est prius priuatiuo, quod est fundamentum illius, sicut animal est priùs cæcitate, & ens vno, quia ens est fundamentum, & subiectum vnius, & animal cæcitatis; cæterum absolutè positiuum non est priùs priuatiuo, cùm lux non sit prior tenebris, sed aer indifferenter ad lucem, & tenebras se habeat; cum autem verum, & bonum non sint fundamentum vnius ideò licèt sint positiua, non est necesse, quod sint priora illo. Imò cum priùs sit aliquid esse in se absolutè, quàm dicere ordinem ad aliud necessariò aliæ passiones, quæ sunt in se absolutè debent præcedere verum, & bonum, cum respiciant intellectum, & voluntatem.

60 Arguitur secundò. Quod competit rei circumscripto quocumque extrinseco est priùs illo, quod competit medio aliquo extrinseco, sed verum, & bonum conueniunt enti remoto quocumque extrinseco, non verò vnum, ergò verum, & bonum sunt priora vno. Probatur Minor, siquidem eo ipso, quod aliquid est in rerum natura est verum, & bonum, cum sit intelligibile, & appetibile, non tamen est vnum, nisi sit aliud, à quo sit distinctum, ergò &c.

61 Resp. negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, nisi sit aliud à quo sit distinctum aptitudinaliter, concedo antecedens, actualiter, nego antecedens, & consequentiam; eo ipso ergò, quod aliquid est in rerum natura est vnum, quia licèt actualiter ab alio non distinguatur; natum tamen est ab ipso distingui, si quoque illud ponatur à parte rei: sicut enim de ratione veri, & boni non est actu intelligi, & appeti, ità de ratione vnius non est esse actu distinctum, sed posse distingui; imò ratio vnius est esse tantum indiuisum in se, diuisionem verò ab alio habet tantum identicè, & materialiter, non verò formaliter cum potius spectet ad aliquid.

62 Arguitur vltimò. Magis vniuersalia sunt priora minùs vniuersalibus, sed bonum est magis vniuersale, quàm verum, ergò est prius illo, Maior patet, Minor probatur. Bonum est perfectio cuiuscumque naturæ, verum autem est perfectio solius naturæ intellectiuæ; vnde verum continetur sub bono, sicut bonum particulare sub bono vniuersali, ergò &c.

63 Resp. negando Minorem, ad probationem distinguo consequens, si verum sumatur in ratione boni, concedo consequentiam, si sumatur in propria ratione veri, nego consequentiam. Verum igitur potest sumi dupliciter, primò in propria ratione veri, & ità est vniuersalius bono, vt probatum est; secundò potest sumi in ratione boni, quatenus est perfectio intellectus, cum verum sit bonum, & bonum verum, & hoc secundo modo bonum est vniuersalius vero, sicut ipsum bonum si sumatur vt verum inferius est vero, & continetur sub illo.

QVÆ-

QVÆSTIO SEXTA

DE VNITATE.

EXplicatis passionibus entis in communi, ad illas in particulari examinandas descendimus; cum autem circà aliquid, & rem nulla occurrat specialis difficultas discutienda, ideò illis relictis ad alias nempè ad vnum, verum, & bonum progredimur, & cum primò se se offerat vnum, idcircò ab vnitate exordium sumimus; Sit ergò.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Vnitas addat suprà ens solam negationem diuisionis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quod vnitas duplex est, transcendentalis vna, prædicamentalis alia. Prima est illa, quæ sequitur ipsum ens in quantum ens est, ac ideò per omnia genera, sicut ipsum ens diuagatur. Secunda est illa, quæ constituitur in determinato genere, nimirum in genere quantitatis; sicut est vnitas, quæ est principium numeri; in præsenti loquimur de vnitate transcendentali.

2 Aduertendum est secundò, quod vnum transcendentale definitur, quod sit ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; vbi vnitas, vt ponderat Ioannes à S. Tho. potest considerari, vel respectu diuisionis, vel respectu multitudinis, quæ ex diuisione resultat; respectu diuisionis priuationem importat, respectu verò multitudinis etiam habet rationem principij, & relationis tanquàm ad principiatum, & deriuatum ab ipsa vnitate; imò vt ad rem quam componit; multitudo enim ex vnitatibus constat, His suppositis,

3 Prima sententia tenet vnum transcendentale addere ad ens aliquid positiuum realiter distinctum ab illo. Ità Auicennas lib. 3. Met. cap. 2.

4 Secunda sententia tuetur vnum transcendentale addere ad ens aliquid positiuum formaliter ex natura rei distinctum ab illo; ità Scotus 4. Met. q. 3. cum sua schola, licèt multi ad sententiam Thomisticam declinent, & præcipuè Mastrius solis terminis discrepans. Aliqui verò dicunt superaddere relationem identitatis, quæ est quid positiuum rationis.

5 Tertia sententia statuit vnum transcendentale nihil positiuū, nec reale, nec rationis addere ad ens etiam sola ratione distinctum, ità Suarez disp. 4. suæ Met. sect. 1. citans in sui fauorem antiquiores Thomistas.

6 Quarta senten ia docet vnum transcendentale additione propria, & quò ad implicitum addere ad ens solam negationem diuisionis, additione verò impropria, & quò ad explicitum addere aliquid positiuum, nimirum ipsum ens, non quidem materialiter, & specificatiuè sumptum, sic enim est subiectum, non passio, sed formaliter, & reduplicatiuè acceptum, quatenùs fundat negationem diuisionis in se, ità quò ad primam par-

partem omnes antiquiores Thomistæ: Capreolus, Caietanus, Soncinas, Iauellus, Flandria, Aquarius, & alij. Quoad secundam partem moderni Thomistæ, Bannes, Io: à S. Thoma, Masius, Arauio, Serra, Gonzalez, Martinez, & nouissimè Marletta, antiquos Thomistas præcipuè constituentes vnum formaliter in aliquo positiuo hac duplici distinctione, nec quidem malè explicantes, sibique concordantes; vnde fit,

§. II.

Veritas aperitur.

8 PRima Conclusio. Vnum transcendentale non addit suprà ens aliquid positiuum realiter distinctum ab illo.

9 Probatur primò ratione D.Th.p.1.q.11. art.1. ad 1, iam suprà attracta: quælibet res per suam substantiam est vna, ergò vnum non addit ad ens aliquid positiuum realiter distinctum ab ipso; probatur antecedens, nam si per aliquid aliud esset vna daretur processus in infinitum, consequens est absurdum, ergò, & antecedens, sequela Maioris probatur, nam si per aliquid aliud esset vna, cum illud superadditum quoque sit vnum, per aliud deberet esse vnum, & sic in infinitum, ergò si per aliquid aliud esset vna, daretur processus in infinitum; vnde D.Tho. subdit; *sic igitur dicendum est, quod vnum, quod conuertitur cum ente non addit aliquam rem suprà ens, sed vnum, quod est principium numeri addit aliquid suprà ens ad genus quantitatis pertinens.*

10 Respōdent contrarij, quod illud vnum superadditum esset vnum vt quo, non vt quod, & ideò non deberet esse vnum per aliud superadditum; sicut quia albedo est alba vt quo non est alba per aliud superadditum, sed se ipsa, & ideò non sequeretur processus in infinitum.

11 Sed contrà. Illud quod est transcendens non solum est tale vt quo, sed etiam, vt quod, sed illud superadditum esset transcendens, ergò esset vnum, non solum vt quo, sed etiam vt quod; Minor patet, Maior probatur, nàm in transcendentibus concretum prædicatur de abstracto, & è contrà abstractum de concreto, non solum vt quo, sed etiam vt quod; valet enim entitas est ens, verum est veritas; albedo autem non est transcendens, & quia forma solùm est id quo, ideò stat benè, quod albedo dicatur alba solum vt quo.

12 Probatur secundò alia ratione etiam suprà insinuata. Quæcumque eadem numero generatione, & corruptione per se primò, & vt quod generantur, & corrumpuntur sunt realiter idem, ac ideò vnum non addit aliquid reale suprà aliud, sed ità se habent ens, & vnum, ergò vnum non addit aliquid positiuum realiter distinctum suprà ens; Maior patet, solùm enim ea realiter distinguuntur, quæ ità simul generantur, & corrumpuntur, vt vnum se habeat primariò, & aliud secundariò, vnum per se, aliud per accidens, vnum vt quod, aliud vt quo; Minor verò probatur, nam idem est, quod generetur homo, & quod generetur vnus homo, & idem est, quod corrumpatur ens, ac quod corrumpatur vnum ens, nec priùs etiam natura actio terminatur ad vnum, quam ad aliud, ergò &c.

12 Respondent contrarij passiones non produci eadem actione per se cum sua essentia, nec similiter desinere, sed tantùm per accidens, & concomitanter; vndè cum vnum sit passio entis non per se habet produci, aut corrumpi, sed tantum per accidens, & concomitanter, & ideò addet aliquod positiuum realiter distinctum.

13 Sed contrà, nàm licèt hoc verum sit in proprietatibus rei, & prædicamentalibus, non tamen verum est in passionibus transcendentalibus; istæ enim mutuò includunt, & includuntur in conceptu suæ essentiæ, vnde per se primò simul cum essentia generantur, & corrumpuntur, & huiusmodi est vnum respectu entis.

14 Secunda Conclusio. Vnum transcendentale non addit suprà ens aliquid positiuum formaliter ex natura rei distinctum ab illo.

15 Probatur primò. Ens secluso quouis su-

superaddito formaliter ex natura rei distincto est vnum, ergò non addit suprà ens aliquid positiuum formaliter ex natura rei distinctum ab illo. Antecedens probatur. Ens quocumque secluso non est multiplex ergò est vnum, consequentia patet, non enim datur medium; antecedens verò probatur, nàm secùs non esset ens, sed plura entia, ergò non est multiplex.

16 Respondent Scotistæ, quod ens secluso quouis superaddito abstrahit ab vno, & non vno, vel est vnum negatiuè, sicut lapis dicitur iniustus negatiuè, vel est vnum fundamentalitèr, seù radicalitèr, non verò formalitèr, & ideò requiritur aliquid superadditum formalitèr ex natura rei distinctum, ad hoc vt sit formaliter vnum.

17 Sed contrà primò. Vnum positiuè, & formalitèr dicitur quodcumque est ab alio re ipsa diuisum, sed quodlibet ens re ipsa est ab omni alio diuisum, secluso quouis superaddito, ergò non abstrahit ab vno, & non vno, nec est tantùm fundamentaliter vnum, sed positiuè, & formaliter est vnum.

18 Contrà secundò. Ideò lapis dicitur iniustus negatiuè, quià non est subiectum capax, vt de illo dicatur iustitia, sed ens est subiectum capax, vt de illo dicatur vnitas, ergò est vnum positiuè, sicut est ens positiuè, cùm impossibile sit, quòd sit ens positiuè, & non sit positiuè vnum.

19 Probatur secundò. Adhùc in ista sententia sequitur dari processum in infinitum, consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur, nàm si ens esset vnum per formalitatem ex natura rei distinctam, eadem ratio esset de illa, & rursùs de alia vsque in infinitum, ergò &c.

20 Respondent Scotistæ, quod illa formalitas ex se ipsa esset vna vt quo, & ideò non fieret vna per aliam superadditam, nec daretur processus in infinitum.

21 Sed contrà; nàm ista solutio, vt fatetur ipse Mastrius manifestè petit principium; si enim talis formalitas ex se esset vna absque alia superaddita, eadem ratio ne ipsum ens poterit esse vnum absquè ista formalitate superaddita; non minùs enim talis formalitas est ens, quàm res, cui superadditur.

22 Probatur tertiò. Vnum vt formaliter ex natura rei distinctum ab ente, vel est realitas aliqua, quid positiuum, & formalitas realis, vel non, si secundum, ergò est nihil, si primum, ergò est ens, ac ideò illud essentialiter includit, nec formaliter ex natura rei ab ipso distinguitur.

23 Respondet Mastrius, quod est realitas aliqua, quid positiuum, & formalitas realis identicè, non verò formaliter, & ideò non sequitur esse nihil, nec includere essentialiter ens.

24 Sed contrà 1. nam si vnum esset solùm identicè aliqua realitas, & formalitas realis, & non formaliter, iàm formaliter esset nihil, quia formaliter non esset quid reale, & inter duo contradictoria non datur medium, sed hoc ipse negat, ergò tenetur fateri, quod formaliter sit aliqua realitas, & quid positiuum.

25 Contrà secundò. Vnum adhuc vt sit formaliter præcisum est formalitas realis etiàm in sententia Scotistarum, ergò ex se formaliter est aliquid, ergò ens.

26 Tertia Conclusio. Vnum non addit suprà ens aliquid positiuum distinctum ab eo distinctione rationis penès excludens, & exclusum.

27 Probatur primò. Vnum, vt toties dictum est, est de conceptu essentiali entis, & è contrà, ergò non se mutuò excludunt, sicut genus, & differentia, sed potiùs se mutuò includunt.

28 Probatur secundò; si ens distingueretur ab vno distinctione rationis exclusiua, sicùt facit genus respectu differentiæ, esset vnum adhùc exclusa per intellectum ab eo vnitate, sed hoc est absurdum, ergò non distinguitur distinctione rationis exclusiua; Minor patet, non minùs enim absurdum est, quod ens sit vnum exclusa vnitate, ac quod aliquis sit homo exclusa humanitate; Maior verò probatur; nàm ens exclusa vnitate, seù illa formalitate, quæ est vna, necessariò habet hoc, quod non sit illa formalitas, quæ

ab

ab eo per intellectum segregatur, ergò adhuc est formalitèr vnum; antecedens liquet, consequentia probatur, quia vnum est ens indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio, ergò si &c. Hæc ratio mirum in modum à fortiori proturbat tùm Scoti, tùm Auicennæ sententiam.

29 Probatur tertiò; si vnitas transcendentalis esset formalitas secundum rationem excludens conceptum entis, esset, & non esset formalissimè ens, sed hoc implicat, ergò non distinguitur ab illo ratione penès excludens, & exclusum; sequela Maioris probatur, & primo quòad primam partem; nam excluderet formaliter ens; excludere autem formaliter ens, est non esse formaliter ens; quòad secundam etiam; quia talis formalitas vt excludens ens habet sua prædicata quidditatiua ipsam constituentia, & distinguentia ab ente fictitio, habet, quod sit vera, vtpotè intelligibilis, quod sit bona, vtpotè perfectio, ergò talis formalitas esset formalissimè ens, neque potest responderi, quòd hoc esset tantum identicè, & materialiter; nàm reduplicatur formalitas, quatenùs per rationem excludit ens.

30 Quarta Conclusio. Vnum non superaddit enti relationem identitatis.

31 Probatur primò. Talis relatio identitatis est posterior vnitate, & indiuisione, & fundatur in ea, ergò vnum non addit enti relationem identitatis. Antecedens probatur, nam eadem sunt, quorum substantia est vna vt inquit Phil. 5. Met. tom. 2. ergò &c.

32 Probatur secundò. Quælibet res sine vllo intellectu considerante est indiuisa in seipsa, non autem dicit relationem identitatis ad se ipsam, nisi intellectus illam concipiat, cum talis relatio non sit realis, sed rationis, ergò vnum non superaddit enti relationem identitatis.

33 Quinta Conclusio. Vnum addit impropriè aliquid positiuum suprà ens distinctum ab eo distinctione rationis penès implicitum, & explicitum.

34 Probatur primò ex D. Th. quæst. 1. de ver. art. 1. vbi, vt totiès dictum est inquit. *Secundum hoc aliqua dicuntur addere suprà ens, in quantum, exprimunt modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur, ergò vnum* ex D. Tho. addit impropriè aliquid positiuum suprà ens distinctum ab eo distinctione rationis penès implicitum, & explicitum.

35 Probatur secundò. Vnum formaliter consistit in aliquo positiuo, scilicet in ipsa entitate reduplicatiuè sumpta vt fundat negationem diuisionis, vt in sequenti articulo resoluemus. Sed ista sola ratione penès implicitum, & explicitum distinguitur ab ipso ente materialitèr, & specificatiuè accepto, ergò vnum addit aliquid positiuum suprà ens distinctum ab eo distinctione rationis penès implicitum, & explicitum, & cùm talis additio sit solùm quò ad explicitum, inde stat esse impropriam additionem.

36 Vltima Conclusio. Vnum additione propria solam negationem diuisionis addit suprà ens.

37 Probatur primò ex D. Thoma p. p. quæst. 11. art. 1. in o. vbi ait, *vnum non addit suprà ens rem aliquam, sed tantùm negationem diuisionis, vnum enim nil aliud significat, quam ens indiuisum*; item 4. Met. lect. 2. inquit: *vnum, quod cum ente conuertitur, ipsum ens designat superaddens indiuisionis rationem, quæ cum sit negatio, vel priuatio non ponit aliquam naturam enti additam*, ergò ex D. Thoma vera Conclusio.

38 Probatur secundò ratione D. Thomæ quæst. 1. de ver. art. 1. enti non potest addi aliquid quasi extraneæ naturæ per modum, quo differentia additur generi, vel accidens subiecto, quia quælibet natura essentialiter est ens, ergò vnum additione propria solam negationem diuisionis addit supra ens.

39 Probatur tertiò. Vnum addit suprà ens indiuisionem, sed indiuisio est realis negatio, seù priuatio diuisionis, ergò addit negationem realem diuisionis supra ens; Maior patet, nam vnum est ens indiuisum, Minor videtur clara, siquidem reperitur antecedentèr ad quodcumque opus intellectus; cùm autem aliundè nihil reale positiuum addere possit, remanet, quod additione pro-

P pria,

pria, & quò ad implicitum solam negationem diuisionis addat.

§. III.
Argumenta Soluuntur.

40 Arguitur primò contrà 1. Conclusionem; vnum est in genere quãtitatis, & est principium numeri, sed ens hoc non habet, ergò vnum addit aliquid positiuum realiter distinctum ab ente; Maior patet, nàm communiter dicitur, quòd vnitas est principium numeri; Minor quoque videtur clara, siquidem ens est transcendens.

41 Respondetur distinguendo Maiorem; vnum prædicamentale, concedo Maiorem, transcendentale, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo; sicut enim vnum transcendentale conuertitur cum ente, non verò vnum prædicamentale, ità etiam vnum transcendentale, de quo est sermo nihil addit super ens, licèt id faciat vnum prædicamentale, vt expressè docet D. Thomas p. p. quæst. 11. art. 1. ad 1. vbi ait, *quod vnum, quod conuertitur cum ente non addit aliquam rem suprà ens, sed vnũ, quod est principiũ numeri addit aliquid suprà ens, ad genus quãtitatis pertinēs.*

42 Instabis primò. Vnitas prædicamentalis addit aliquid suprà quantitatem continuam, ergò etiam vnitas transcendentalis suprà ens; consequentia probatur, siquidem non minùs vnitas prædicamentalis reddit indiuisam quantitatem, quàm vnitas transcendentalis ens, ergò par ratio.

43 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, nego consequentiam, nàm quantitas non est transcendens, ac ideò non est essentialiter inclusa in quocumque, quod illi addi potest; ens autem est transcendens, & ideò nihil propriè illi addi potest; vltrà quam quòd ens secundum se non est diuisibile, & ideò per vnitatem superadditam non debet reddi indiuisibile; quantitas autem continua secundum se est diuisibilis, & ideò per vnitatem superadditam debet reddi indiuisibilis ad hoc vt numerum componat.

44 Instabis secundò. Si vnitas transcendentalis non distingueretur realiter ab entē, sicut vnitas prædicamentalis à quantitate, ista esset propositio nugatoria, ens est vnum, consequens est absurdum, ergò & antecedens, sequela Maioris probatur, nàm prædicaretur idem de eodem, ergò &c.

45 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem distinguo antecedens, de eodem re, non verò ratione, concedo antecedens; de eodem re, & ratione, nego antecedens, & consequentiam; ad tollendam enim nugationem sufficit distinctio rationis penès implicitum, & explicitum, sicut sufficit ad hoc vt sit formalis propositio ista: homo est animal rationale, etiamsi sola ratione distinguantur penès implicitum, & explicitum, & hoc expresè est D. Thomæ p. p. quæst. 11. art. 1. ad 3. vbi ait, *ideò non est nugatio cum dicimus, ens est vnum, quia vnum addit aliquid secundum rationem*; imò Mastrius, cuius est argumentum sui immemor, sibique contrarius hoc docet disput. 5. num. 11. dicens: imò interdum distinctio rationis, & diuersitas modi significandi sufficiens est ad nugationem tollendam, & ne nomina sint sinonyma.

46 Instabis tertiò. Si ens, & vnum essent idem realitèr, licèt ratione distincta, cognito, quod aliquid esset ens, frustrà quæreretur an sit vnum, sed hoc de facto quæritur, ergò non sunt idem realitèr; probatur Maior, nàm quæ realitèr sunt idem, nequeunt separari, ergò si ens, & vnum essent idem realitèr, licèt ratione distincta, cognito, quod aliquid esset ens frustrà quęreretur an si vnũ.

47 Respondetur distinguendo Maiorem, si cognoscerentur cognitione perfecta, concedo Maiorem, imperfecta, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam; ideò enim supposita cognitione entis quærimus de vnitate, quia prior notitia erat imperfecta, si enim cognitio fuisset perfecta, iàm per illam fuissent cognitæ etiam proprietates entis, inter quas vnitas primaest.

48 Instabis quartò. Si cognitione perfecta deberet simul cognosci ens, & vnum, cum alijs passionibus, maximè quia simul generantur, & corrumpuntur, sed hæc ratio nulla

nulla est, ergò nequeunt cognosci simul etiam cognitione perfecta; Maior patet, probatur Minor, siquidem quantitas simul generatur, & corrumpitur cum substantia, & calor cum igne, & tamen non cognoscuntur eadem cognitione, ergò &c.

49 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguitur Maior, non ex æquo, & per accidens, concedo Maiorem, ex æquo, & per se, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; tales enim passiones solùm per accidens, & secundariò generantur, & corrumpuntur simul cum subiectis: imò neque eandem generationem, & corruptionem terminant, cum subiectum generetur, & corrumpatur generatione, & corruptione simpliciter dicta, quæ terminatur solum ad substantiam; passiones autem prædictæ generentur, & corrumpantur generatione, & corruptione secundum quid, quæ terminatur ad accidens; ens autem, & vnum cum reliquis proprietatibus transcendentalibus primò, per se, & vt quod simul generantur, & corrumpuntur, & ideò est dispar ratio.

50 Arguitur secundò contrà 2. Conclus. Ens in suo conceptu formali non est vnum, nec plura, sed ab vtroque præscindit, ergò formaliter ex natura rei vnum distinguitur ab ente; antecedens probatur, nam si ens in suo conceptu formali esset vnum, nunquam posset esse plura, & ità nunquam daretur multitudo, & si esset plura, nunquam posset esse vnum, sicut si natura secundum se esset vniuersalis, nunquam posset esse determinata, & è contrà, vndè ab vtroque etiam ipsa præscindit, ergò similitèr ens in suo conceptu formali neque est vnum, neque plura.

51 Respondetur primò distinguendo antecedens, adæquatè, concedo antecedens, inadæquatè, nego antecedens, & consequentiam; ad probationem respondetur similitèr. Vnde ens, sicuti inadæquatè includit modos speciales; v. g. substantiam, & accidens, & tamen non sequitur, quòd si secundùm se est substantia, quòd non possit esse accidens, cùm adæquatè omnes includat, ità etiam potest in suo conceptu includere vnum, & tamen esse multa, cum inadæquatè includat vnum, & multa seorsim, & adæquatè includat illa simul; natura autem, nec adæquatè, nec inadæquatè includit determinationem, & vniuersalitatem, cum sint prædicata accidentalia, & denominatiua, & ideò est ratio diuersa.

52 Respondetur secundò, quòd ens est vnum adæquatè, nunquam enim potest fieri plura, quin aliquo modo sit vnum, cum etiam multitudo, vt liquet ex dictis sit vna, saltem ordine, & aggregatione.

53 Instabis. Humanitas in suo conceptu formali non est vna, nec adæquatè, nec inadæquatè, sed humanitas est ens, ergò ens in suo conceptu formali non est vnum, nec adæquatè, nec inadæquatè; Maior probatur, siquidem vnitas numerica est prædicatum accidentale, & determinatiuum, sicut, & vnitas formalis positiua, quarum prima competit illi in singularibus, & secunda in intellectu, ergò &c.

54 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo consequens; prædicamentaliter, & numericè, concedo consequentiam, transcendentaliter, & specificè, nego consequentiam. Esto ergò humanitas secundùm se non sit vna prædicamentalitèr, & numericè, est tamen vna transcendentalitèr, & specificè, alias destrueretur ratio humanitatis.

55 Arguitur tertiò. Si vnum distingueretur ab ente sola ratione, non esset passio realis à parte rei illi conueniens, sed ficta, & per opus intellectus tantùm illi competens, sed hoc est falsum, ergò distinguitur saltem formalitèr ex natura rei. Probatur Maior, nàm omne, quòd distinguitur realiter ab alio est quid reale, ergò omne, quod distinguitur ratione ab alio, erit quid rationis.

56 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego consequentiam. Aliud enim est aliquid distingui sola ratione ab alio, aliud verò esse quid rationis. Siquidem attributa diuina sola ratione distinguuntur ab essentia, & tamen sunt attribu-

 ta,

tà realia; item differentia distinguitur à genere sola ratione, & tamen quid reale est; sic animal rationale ab homine sola ratione distinguitur, & tamen non est quid confictum ab intellectu.

57 Instabis primò. Vnum demonstratur à priori per ens, ergò saltem formaliter ex natura rei distinguitur ab illo, antecedens liquet ex dictis, consequentia probatur; nam secùs idem demonstraretur de seipso, ergò &c.

58 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, nego antecedens, sola enim distinctio rationis sufficit, vt vnum demonstretur per aliud à priori, vt constat in diuinis attributis, & in definitionibus animæ, siquidem istæ demonstrationes sunt optimæ: omne immutabile est æternum, Deus est immutabilis, ergò Deus est æternus. Item omne, quod est actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis est id quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus, sed anima est huiusmodi, ergò anima est id, quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus, & tamen isti conceptus sola ratione inter se distinguuntur.

59 Instabis secundò; negatio diuisionis, per quam explicatur vnitas habet causam positiuam, per quam insit enti, sed talis causa nequit esse ratio præcisa entis, ergò erit aliqua formalitas ex natura rei ab ente distincta. Probatur Minor, quia præcisa ratio entis est tantùm ratio essendi absolutè, ergò talis causa nequit esse ratio præcisa entis. Antecedens probatur, siquidem priùs est aliquid esse in re non repugnans, quàm quòd sit vnum, cum quæuis passio pro aliquo priori supponat suam essentiam, ergò &c.

60 Respondetur distinguendo Minorem, absolutè sumpti, concedo Minorem, reduplicatiuè sumpti, nego Minorem, & consequentiam. Itaque ipsum ens dupliciter potest sumi; primò specificatiuè, & absolutè, & ità est priùs vno, & dicit præcisam non repugnantiam ad esse; secundò potest sumi reduplicatiuè vt fundat negationem diuisionis, & ità constituit vnum, nec tamen importat formalitatem ex natura rei distinctam ab ente absolutè sumpto, sed tantùm ratione penès implicitum, & explicitum.

61 Instabis tertiò. Cum dicitur, quod ens ex vi suæ rationis formalis est vnum, vel denotatur esse vnum formalitèr, vel causalitèr, si primum, ergò vnitas non est passio entis, cum non consequatur ad ens, sed includatur in illo, si secundum, ergò debet causare aliquam formalitatem positiuam ex natura rei distinctam, cum negatio diuisionis nequeat causari.

62 Respondetur, quòd vtroque modo potest sumi; & primò formalitèr, si vnitas sumatur quò ad positiuum, quod importat, cum quo implicitè est idem; secundò causaliter, si vnitas sumatur quò ad connotatum, scilicet quò ad negationem diuisionis; quia nulla negatio potest esse idem realitèr cum ente, sed ab eo realitèr distinguitur negatiuè, & ità causatur, si non propriè, saltem impropriè.

63 Instabis quartò. Quamuis quantitas sit impenetrabilis, tamen hoc habet per aliquid superadditum, ergò à pari licet ens sit vnum, tamen hoc habebit per aliquam formalitatem ex natura rei distinctam.

64 Respondetur negando consequentiam; sufficit enim, quòd illud, in quo consistit formalitèr vnum, & dicit negationem diuisionis ab ente sit sola ratione penès implicitum, & explicitum distinctum, cum ens sit transcendens, cuiusmodi non est quantitas. Imò argumentum nimis probat, & ideò nihil probat; probat autem nimis, quia sicut extensio in ordine ad locum, quæ fundat impenetrabilitatem, nedum formalitèr ex natura rei, sed etiam realiter est distincta à quantitate, ità etiam vnum fundans negationem diuisionis, deberet esse realiter distinctum ab ente.

65 Arguitur quartò. Aliud intelligimus dum concipimus ens, & dum concipimus vnum, ergò ens, & vnum saltem formaliter ex natura rei distinguuntur; antecedens probatur, nam dicere Deus est ens est prædicatio quidditatiua, & in primo mo-

modo dicendi per se, dicendo verò Deus est vnus, est prædicatio qualificatiua, & in secundo modo dicendi per se, ergò aliud intelligimus dùm concipimus ens, & dùm concipimus vnum. Antecedens probatur quò ad secundam partem, nàm vnum intelligitur sequi cùm fundamento in re ad rationem entis, tanquàm propria passio illius, ergò dicendo Deus est vnus est prædicatio qualificatiua, & in secundo modo dicendi per se.

66 Respondetur distinguendo antecedens, inadæquatè, concedo antecedens, adæquatè, nego antecedens, & consequentiam; licèt ergò aliud concipiatur inadæquatè, non tamen adæquatè, & hæc eadem prorsùs est responsio aliquorum Scotistarum, ex qua euidenter conuincitur ens non excludere à suo conceptu adæquato vnum, & è contrà. Ad probationem quò ad secundam partem nego antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens, quò ad explicitum, concedo antecedens, quò ad implicitum, nego antecedens, & consequentiam. Prædicatio ergò vnius de ente non est in secundo modo dicendi per se, licèt vnum quò ad explicitum sequatur cùm fundamento in re ad ens, quià talis prædicatio in secundo modo importat, quod prædicatum sit extraneum à natura subiecti, cuiusmodi non est vnum respectu entis, solùm autèm propria passio, quæ est extranea à natura subiecti prædicatur de illo in secundo modo dicendi per se, qualis est passio prædicamentalis, non autèm illa, quæ non est extranea à tali natura, qualis est passio transcendentalis.

67 Arguitur quintò contrà tertiam conclusionem. Attributa diuina distinguuntur distinctione exclusiua ab essentia diuina, ergò à fortiori vnum, sicut, & aliæ passiones ab ente. Antecedens probatur, nàm attributa formalitèr quà talia non sunt natura diuina, neque natura diuina formalitèr quà talis est ipsa attributa, neque mutuò se transcendunt, ergò attributa diuina distinguuntur distinctione exclusiua ab essentia diuina.

68 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, sub conceptu naturæ, transeat antecedens, sub conceptu entitatis diuinæ, nego antecedens, & consequentiam; licèt ergò in sententia aliquorum non detur mutua transcendentia inter attributa diuina, & naturam sub conceptu naturæ, datùr tamen sub conceptu entitatis diuinæ, quia sic est actus purissimus excludens quamcumque potentialitatem, & excurrens ad omne, quod in Deo est, siuè sit absolutum, siuè relatiuum, siuè essentiale, siuè attributale; cum autem eadem ratio sit de ente, & vno, sicut & alijs passionibus, indè stat distinctione rationis exclusiua inter se non distingui, in alia autèm sententia essentia vtroque modo transcendit, & ideò potiùs retorquetur argumentum.

69 Arguitur sextò contrà vltimam conclusionem. Si vnum adderet negationem diuisionis suprà ens sequeretur diuisionem esse priorem vnitate, consequens est absurdum, ergò & antecedens; Minor patet, nam diuisio non sequitur ad ens, sed ad entia; sequela maioris probatur, siquidem forma negata est prior sua negatione, vt patet in visu respectu cæcitatis, ergò si vnum adderet negationem diuisionis suprà ens, diuisio esset prior vnitate.

70 Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguo antecedens, si forma sit negata remotiuè, concedo antecedens, impeditiuè, nego antecedens, & consequentiam; quandò ergò forma est negata remotiuè, ità quòd supposita præcedentia in subiecto remoueatur ab illo, vt est cæcitas in oculo, vtiquè est prior sua negatione; cæterùm si sit negata impeditiuè, ità quòd impediatur, ne afficiat subiectum, non est prior nisi in intentione, non autem in executione, & ità se habet diuisio in præsenti, quia vnum sua vnitate facit, nè diuisio de facto detur, vndè D. Thomas 1.p.q.11. art.2. ad 4. ait, *oportet, quod diuisio sit prior vnitate, non simplicitèr, sed secundum rationem nostræ apprehensionis.*

71 Arguitur vltimò. Vnitas est perfectio simplicitèr simplex, ergò non addit ad ens solam negationem diuisionis; antecedens patet, alias non poneretur in Deo; consequentia probatur, quia negatio, aut priuatio po-

potiùs imperfectionem important, ergò si vnitas est perfectio simpliciter simplex non addit ad ens solam negationem diuisionis.

72 Respondetur distinguendo consequens, additione impropria, & quò ad explicitū cōcedo consequentiam, additione propria, & quò ad implicitum, nego consequentiam. Vnitas ergò quò ad explicitum, & additione impropria addit supra ens ipsam entitatem, vt fundantem negationem diuisionis, & hoc pacto est perfectio simpliciter simplex, additione verò propria, & quò ad implicitum addit solam negationem diuisionis; vndè vnitas non est sola negatio, sed entitatem de formali, & negationem de connotato importat.

73 Instabis primò. Vnitas est passio entis, sed passio entis debet esse ens positiuum, ergò vnitas non addit solam negationem ad ens.

74 Respondetur distinguendo consequens eodem modo, nàm vnitas, quæ est passio entis non est sola entitas, nec sola negatio, sed entitas vt stat sub negatione diuisionis; & cum entitatem importet principalitèr; negationem verò de connotato, indè stat additione propria non addere suprà ens nisi negationem.

75 Instabis secundò. Vnum suscipit magis, & minus, sed nulla negatio suscipit magis, & minus, ergò vnum non addit negationem suprà ens.

76 Respondetur distinguendo Maiorem, quantum ad id, quod dicit de entitate, concedo Maiorem, de negatione, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens, additione impropria, concedo consequentiam, propria, nego consequentiam.

77 Instabis tertiò. Vnitas ex nullo capite dicit imperfectionem, sed si adderet additione propria negationem suprà ens, ex ea parte diceret imperfectionem, ergò non addit additione propria negationem suprà ens. Maior patet, nàm est perfectio simpliciter simplex, ac ideò excludens vndequaque imperfectionem, minor quoque videtur clara, siquidem omnis perfectio est aliquid positiuum, ergò &c.

78 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem nego antecedens vniuersalitèr sumptum; potest enim esse etiam aliquod negatiuum, siquidem licèt negationes rerum perfectarum vti iniustitia, insipientia, &c. dicant maximam imperfectionem, tamen negationes rerum imperfectarum, vt immortalitas, immutabilitas, incorruptibilitas, & independentia dicunt maximam perfectionem, cùm autem diuisio dicat imperfectionem, indè stat, quòd negatio diuisionis importet maximam perfectionem.

79 Respondetur secundò ad vberiorem doctrinam etiam in sententia contrariorum, cum Caietano cap. 2. de ente, & essentia, negando Maiorem, ad probationem nego antecedens, quia definitio perfectionis simpliciter simplicis nulli negationi conuenire potest, atque adeò neque vnitati in sententia constituente illam in negatione, & hoc habet fundamentum in Diuo Thoma 1. p. q. 6. art. 3. ad vbi ait; *vnum non importat rationem perfectionis, sed indiuisionis tantùm*, vel ad minus vt ait Caietanus 1. p. q. 11. ar. 1. vnum non dicit perfectionem, nisi diuisio negata dicat imperfectionem, vndè sicut relatio formalitèr non dicit perfectionem, ità nec vnitas eius, alioquin paternitas, & filiatio in diuinis simùl sumptæ essent imperfectæ, quià non sunt vna relatio, sed plures, & sicut esse substantiale dicit perfectionem, ità & vnitas eius; abstrahit ergò vnum à perfectione, & imperfectione.

80 Instabis quartò. Melius est rem habere vnitatem, quam illam non habere, sed ista est definitio perfectionis simpliciter simplicis, ergò vnitas est perfectio simpliciter simplex.

81 Respondetur distinguendo Minorem, præsupponendo tamen, quòd sit quid positiuum, concedo Minorem, secùs, nego Minorem, & consequentiam; licèt enim in definitione perfectionis simpliciter simplicis, solùm explicetur, quod sit melior ipsa, quàm non ipsa, tamèn implicitè importatur, quòd sit quid positiuum; vndè cùm vnitas in hac sententia pro formali non sit quid positi-

uum,

num, indè ſtat, quòd non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, eſtò melius ſit habere vnitatem, quam illam non habere.

81 Inſtabis quintò. Vnitas competit Deo formalitèr, ergò eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, conſequentia probatur; ſiquidem eſſe, quòd reperitur in Deo eſt perfectio ſimplicitèr ſimplex, ergò ſi vnitas competit Deo erit perfectio ſimplicitèr ſimplex.

83 Reſpondetur negando conſequentiam; ad probationem diſtinguo antecedens, vel ratione impliciti, vel expliciti, concedo antecedens, ſemper ratione expliciti, nego antecedens, & conſequentiam; relatio namque in ſuo conceptu explicito non importat perfectionem, & tamen reperitur in Deo; vndè ad hoc vt vnitas ſit formaliter in Deo ſufficit, quod quò ad implicitum, & quantùm ad materiale, quod in hac ſententia importat, ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, & quod in ſe ipſa ſit negatio imperfectionis.

84 Inſtabis ſextò. Vnitas ſuſcipit magis, & minùs, ergò non conſiſtit in negatione, ac ideò dicit perfectionem ſimplicitèr ſimplicem, conſequentia patet, nam negatio non ſuſcipit magis, & minus; antecedens probatur, nàm Angelus eſt magis vnus, quàm homo, & Deus eſt omnium maximè vnus, ergò vnitas ſuſcipit magis, & minùs.

85 Reſpondetur negando conſequentiam, ad probationem diſtinguo antecedens, ratione ſui, concedo antecedens, ratione alterius, nego antecedens, & conſequentiam; itaquè dico cum Diuo Thoma 1. p. q. 11. art. 4. ad primum, quod negatio ſuſcipit magis, & minus ratione formæ, qua priuat, aut ratione fundamenti, nam aer carens omni lumine eſt magis tenebroſus, quàm aer, qui paruo lumine illuſtratur, & hoc pacto ſe habet vnitas, quia ens fundans negationem diuiſionis, quò magis eſt ſimplicius, eò magis eſt vnum, vt liquet in Deo, Angelo, & homine.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum vnitas tranſcendentalis principaliter conſiſtat in poſitiuo, vel negatiuo?

§. I.

Quibuſdam præmiſſis referuntur ſententiæ.

1 PRo reſolutione huius difficultatis aduertendum eſt, quòd vnum, tàm in concreto, quàm in abſtracto importat entitatem cùm negatione diuiſionis, ſicut enim vnum in concreto eſt ens indiuiſum, ità vnitas in abſtracto eſt entitas, ſeu eſſentia indiuiſa; indè meritò oritur quæſtio, quodnam ex his ſit illud, quod principalitèr ſignificetur, & in quo conſiſtat vnitas, àn ſcilicet vnum dicat de formali negationem, & de materiali entitatem, ſicut facit cæcum, quod formaliter ſignificat priuationem viſus, & de materiali potentiam viſiuam, quæ eſt viſu priuata; an verò de formali importet ipſam entitatem, negationem verò diuiſionis ſolùm de connotato, & in obliquo.

2 Prima ſententia tenet vnitatem importare de materiali entitatem, & de formali negationem diuiſionis. Ità Capreolus in 1. diſt. 24. q. 1. art. 1. Caietanus p. 1. q. 11. art. 1. Nazarius p. 1. quæſt. 11. cont. vnica Maſius lib. 3. Tran. c. 9. Iauellus 4. Met. q. 5. & 8. Soncinas 4. Met. q. 21. Aquarius 4. Met. d. 1. 3. Con. 3. & Herueus in 1. diſt. 24. quæſt. vnica; ex exteris verò Auerſa q. 5. Phil. ſect. 2. Ariaga diſp. 1. Met. ſect. 3. & Fonſeca 4. Met. cap. 2. q. 5. ſect. 5.

3 Secunda ſententia docet vnitatem importare de formali entitatem reduplicatiuè ſumptam, vt fundat negationem diuiſionis, in obliquo verò, & de connotato ipſam negationem diuiſionis. Ità Bannez p. 1. q. 11. ar. 1. Gonzalez p. 1. diſp. 23. Ripa de ente, & eſſent. c. 3. q. 1. art. 3. Io: à S. Thoma p. 1. diſp. 11. art. 1. diſ. 1. Serra p. 1. q. 11. art. 1. Mailat

in

in Met. disp. 7. sect. 2. Arauio 4. Met. q. 4. art. 3. Biescas p. 1. loco cit. dub. 2. Blasius à conceptione in Met. disp. 21. q. 1. & nouissimè Marletta p. 1. q. 11. art. 1. cont. 2. qui conciliare nititur omnes Thomistas. Scotistæ verò eam ponunt in solo positiuo, sicut etiam Vasquez p. 1. disp. 128. cap. 2. Hurtado in Met. disp. 4. sect. 1. & Ouuiedo; vnde fit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 Conclusio. Probabilius est vnitatem transcendentalem de formali principaliter significare aliquid positiuum, & de connotato negatiuum.

5 Probatur primò ex Philosopho, & D. Thoma, nam Philosophus 4. Metaph. inquit, *vnum, & multa opponi contrariè*, & ideò sentit vnum esse aliquid positiuum, vtique de formali, nam etiam cæcitas, quæ priuatiuè visioni opponitur, de materiali subiectum positiuum importat. Diuus Thomas autem quæst. 9. de potentia art. 7. ait, *vnum, quod conuertitur cùm ente non addit suprà ens, nisi negationem diuisionis, non quod significet ipsam indiuisionem tantùm, sed substantiam eius cum ipsa*. Itèm, 10. Metaph. lect. 4. ait, *vnum non significat priuationem puram, non enim significat ipsam indiuisionem, sed ipsum ens indiuisum, & ideò vnum, & multa non opponuntur secundum puram negationem, & habitum*. Tandem in primò dist. 24. q. 1. art. 3. ad 2. docet, quod *vnum secundum rem magis se habet ad positionem, quàm multitudo, in qua importatur realis negatio, secundum quam res à re distinguitur*, ergò de mente Aristotelis, & Diui Thomæ vera conclusio.

6 Respondent ad hæc omnia, & similia loca D. Thomæ contrarij, quod Sanctus Doctor sentit entitatem solùm de materiali importari.

7 Sed contrà primò; siquidem loquitur de vno formalissimè vt distinguitur ab ente, & est propria passio illius, ergò sentit, quod de formali significat entitatem.

8 Contrà secundò, nam id, quòd importatur in definitione alicuius, nedùm in concreto, sed etiam in abstracto, importatur de formali, sed entitas importatur in definitione vnitatis transcendentalis, nedùm in concreto, sed etiam in abstracto, imò semper in recto per Diuum Thomam, ergò sentit importari de formali; Maior patet, Minor probatur, nam de vno in concreto loco citato in primò sent. concludit, *quod in definitione vnius non cadit multitudo, sed illud, quod est prius secundum intellectum vnitate, nimirùm ens, qua ratione definitur vnum, quod est ens indiuisum*, similiter in primo dist. 14. q. 4. art. 1. ad 2. ait; *ipsa essentia entis creati secundum quòd est indiuisa in se, & distincta ab alijs est vnitas eius*, ergò sentit in definitione vnitatis transcendentalis, tàm in concreto, quàm in abstracto importari entitatem.

9 Probatur ratione primò. Quotiescunque aliquod nomen non præ se fert negationem, sed potiùs aliquid positiuum, hoc statuendum est pro formali constitutiuo rei significatæ per nomen, sed hoc nomen vnitas transcendentalis non præ se fert negationem, sed potiùs aliquid positiuum, ergò positiuum statuendum est pro formali constitutiuo vnitatis transcendentalis; Minor patet, significat enim ens indiuisum in se, quod vtiquè est aliquid positiuum, Maior verò probatur, nàm ideò suppositum, & persona non constituuntur per negationem communicabilitatis, sed per perseitatem independentiæ, quia non præ se ferunt negationem, sicùt cæcum, & tenebrosum. Itèm hac ratione peccatum commissionis, licèt defectum dicat, tamèn formaliter constituitur per aliquid positiuum, scilicet per ordinem transcendentalem ad obiectum, vt fundantem priuationem rectitudinis debitæ actui, ergò quotiescunq; aliquid &c.

10 Probatur secundò. Vnitas transcendentalis, licèt importet entitatem, & negationem diuisionis, nequit tamèn vtramque importare in recto, sed vnam in recto, aliam in obliquo, sed nequit importare in recto, & principalitèr negationem diuisionis, ergò enti-

entitatem, Maior patet, siquidèm ex positiuo, & negatiuo in recto importatis nequit conflari vnum per se, sed tantum per accidens; Minor probatur, nàm secùs proprietas entis principalitèr esset non ens, & nihil, quod est absurdum, ergò &c.

11 Probatur tertiò. Istæ prædicationes: vnitas est entitas; entitas est vnitas, & similiter ens est vnum, & vnum est ens sunt absolutè veræ, sed hoc esset falsum, si vnitas pro formali importaret negationē diuisionis, ergò dicendum est, quod solam entitatem de formali importet, negationem verò diuisionis solùm de connotato. Maior est certa; Minor probatur, siquidem in tali casu entitas prædicaretur de negatione, & nihil prædicaretur de entitate, sed huiusmodi prædicationes sunt falsæ, ergò hoc esset falsum si vnitas &c.

12 Probatur quartò: contrariorum vna, & eadem est ratio, sed multitudo, quæ opponitur contrariè vnitati, præcipuè, & in recto importat entitatem, & in obliquo distinctionem vnius entis ab alio, ergò etiam vnitas principaliter significabit entitatem, &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

13 ARguitur primò ex Diuo Thoma 1. p. q. 6. art. 3. ad primum, vbi ait, *vnum non importat rationem perfectionis, sed indiuisionis tantum*, item in 1. p. art. 4. eiusdem quæst. inquit. *Ratio vnius consistit in indiuisibilitate*, sic etiam quodlibeto 10. quæst. 1. art. 1. ad 2. asserit, *quod negatio diuisionis per affirmationem, & negationem constituit rationem vnius; est enim vnum; quod non diuiditur tali diuisione, quod sit in eo accipere hoc, & non hoc*, tandem in primo dist. 8. quæst. 2. art. 1. ad primum docet, quod *in ratione æternitatis est quædam negatio, in quantum æternitas est vnitas, & vnitas est indiuisio*, ergò sentit Diuus Thomas, quod vnitas transcendentalis de formali importat aliquod negatiuum.

14 Respondetur ad primam, & secundam auctoritatem Diuum Thomam loqui de vno secundum id, quod addit ad ens vera, & propria additione, sic enim nequit esse aliquid positiuum, sed tantùm negatiuum, cum enti nulla possit fieri additio alicuius positiui, nisi quo ad explicitum; aliud autèm est quærere, quid vnum addat supra ens, aliud verò, quid de formali importet, quare vnum solam negationem vtiquè addit suprà ens, sed ipsa non importatur de formali, sed tantùm in obliquo, & de connotato. Ad tertiam auctoritatem dico Sanctum Thomam loqui de constitutiuo physico, non verò de Metaphysico, sicut natura diuina physicè constituitur, etiam per attributa, & relationes, & fides nedum per certitudinem infallibilem, sed quoque per obscuritatem, & eodem modo respondetur ad vltimam, licèt possit dici, quod in ratione æternitatis est negatio in obliquo, & de connotato, non autem de formali, & in recto, vt ostendunt tot testimonia Sancti Doctoris suprà citata.

15 Arguitur secundò. De vno dicitur addere ad ens, esse passionem entis, & conuerti cum ente, non autèm potest dici vnum esse subiectum passionum Metaphysicalium, sed hæc omnia essent falsa, si formaliter consisteret in aliquo positiuo, ergò dicendum est, quod consistat in aliquo negatiuo. Maior patet, Minor probatur, siquidem illud positiuum esset ens, sed ens non addit ad ens, non est passio entis, nec conuertitur cum illo, sed potiùs est quid omninò idem; è contrà verò ens est subiectum passionum Metaphysicalium, ergò hæc omnia essent falsa, si vnum formaliter consisteret in aliquo positiuo.

16 Respondetur negando Minorem, ad probationem dist nguitur Maior, vt fundans negationem diuisionis, concedo, absolutè sumptum, nego Maiorem, & itá distincta Minori nego consequentiam. Quamuis ergò vnum formaliter dicat ipsum ens, non tamen dicit ens absolutè, & specificatiuè, sed reduplicatiuè, vt stat sub indiuisione, quæ connotatio facit sufficientem distinctionem rationis ab ente absolutè sumpto, vnde possunt

sunt omnia prædicata verificari; imò si vnum formaliter importaret negationem diuisionis, non posset dici, quod sit passio entis, quòd conuertatur cum illo, cum nihil negatiuum possit esse passio alicuius positiui, & cùm eo conuerti.

17 Instabis primò. Illud est formale constitutiuum alicuius, quod est distinctiuum illius ab omni alio, sed negatio diuisionis præcisè est ratio distinctiua vnius ab alijs passionibus entis, ergò præcisè est ratio constitutiua illius, Minor probatur, nàm ens æqualiter includitur in omnibus passionibus, ergò &c.

18 Respondetur eodem modo negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, absolutè sumptum, concedo antecedens, reduplicatiuè sumptum, nego antecedens, & consequentiam. Vnum ergò distinguitur ab alijs passionibus per ens, non absolutè sumptum, sic enim dicit solum ordinem ad esse, & est commune per modum subiecti omnibus passionibus, sed reduplicatiuè, vt explicat fundamentum negationis diuisionis, eo modo, quo verum distinguitur ab alijs passionibus per ens, quatenus dicit adæquationem cùm intellectu.

19 Instabis secundò. Pluralitas, & multitudo semper plus dicunt, quam vnum, sed si vnum consisteret in ente adhuc vt fundat negationem diuisionis hoc esset falsum, ergò non consistit in ente adhuc vt fundat negationem diuisionis. Probatur Minor, quia pluralitas consisteret in carentia diuisionis importata per vnum, cum vnum, & multitudo, seù pluralitas opponantur priuatiuè, sed positiuum plùs dicit, quam eius carentia, ergò si vnum consisteret in ente &c.

20 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguitur Maior, non tantùm, concedo Maiorem, tantùm, nego Maiorem, & concessa minori nego consequentiam. Pluralitas enim, & multitudo non solùm dicunt carentiam positiui, in quo statuitur formalitèr vnitas, sed in recto, & principalitèr important plures vnitates ad inuicem distinctas, vel diuisas, seù replicationem vnitatum fundantium negationem illius positiui, in quo consistit vnitas; vndè vnum, & multitudo opponuntur, non solum priuatiuè, sed etiam contrariè importando positiuam entitatem ex parte vtriusque extremi.

21 Instabis tertiò. Pluralitas, & multitudo in recto consistunt in aliquo positiuo, ergò vnum formalitèr in recto consistet in aliquo negatiuo; probatur consequentia, nam pluralitas dicit repetitionem vnitatum, sed hanc negat vnum, cùm opponantur priuatiuè, ergò si pluralitas, & multitudo consistunt in aliquo positiuo, vnum formalitèr in recto consistet in negatiuo.

22 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguitur minor, secundariò, & consequenter, concedo Minorem, primariò, & in recto, nego Minorem, & consequentiam; vnum enim primariò, & in recto importat entitatem positiuam modo suprà explicato, secundariò, & consequenter negationem diuisionis, seù repetitionis vnitatum, & licèt vnum, & multitudo opponantur priuatiuè non tamèn formalitèr, & explicitè, sicuti lux, & tenebræ, cæcitas, & visio, sed virtualitèr, & implicitè, sicut opponuntur duo entia positiua inter se incompossibilia, vt scientia, & fides, peccatum comissionis, & gratia.

23 Instabis quartò. Non diuisum opponitur formalitèr contradictoriè diuiso, sed diuisum est extremum positiuum, ergò non diuisum, quale est vnum erit extremum formalitèr negatiuum, ac ideò consistet in negatiuo: Minor patet, Maior probatur; nam istæ propositiones sunt contradictoriæ formaliter: chimera est realiter diuisa, chimera non est realiter diuisa, ergò &c.

24 Respondetur distinguendo Maiorem, respectu eiusdem, concedo Maiorem, respectu diuersorum, nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam, ad probationem distinguo consequens eodem modo; verum ergò est quod respectu eiusdem v. g. respectu vnius istæ sunt formalitèr contradictoriæ, esse realiter diuisum, non esse realiter diuisum, tamèn respectu diuersorum, nempè respectu vnius, & multitudinis non sunt contradictoriæ formalitèr, sed tantùm virtua-

tualitèr, quatenus dicunt diuersas rationes positiuas inter se incompossibiles.

25 Arguitur vltimò. In eo formaliter consistit vnum, quod significatur per ipsum in abstracto sumptum, sed vnum in abstracto solùm significat negationem diuisionis, ergò vnum formaliter consistit in negatione diuisionis; Maior patet, nàm abstractum solam dicit quidditatem, Minor probatur, nam passio in abstracto sumpta excludit subiectum, sed ens est subiectum vnius, ergò vnum in abstracto non significat entitatem, ac ideò &c.

26 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, si sit prædicamentalis, concedo Maiorem, transcendentalis, nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam. Cùm ergò passio transcendentalis non possit præscindi à suo subiecto, etiam si sumatur in abstracto, ipsum includit ad differentiam passionis, & formæ prædicamentalis; vltraqua mquòd solùm deberet excludi entitas specificatiuè sumpta, quo pacto est subiectum vnitatis, non verò reduplicatiuè, vt fundat negationem, sic enim vnitatem constituit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum ad essentiam vnius pertineat negatio diuisionis, & qualis?

§. I.

Quibusdam præmissis Veritas aperitur.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod cùm vnum sit ens indiuisum in se, licèt principaliter, & in recto consistat in aliquo positiuo, tamèn essentialitèr connotat negationem diuisionis; ista autèm tripliciter potest intelligi. Primò ab alio, secundò à se ipso, tertiò in se ipso, & ideò inquirendum remanet, quænam ex istis negationibus spectet ad eius essentiam: sit ergò.

2 Prima conclusio. Ad essentiam vnius spectat negatio diuisionis.

3 Probatur. Ea, quæ ponuntur in definitione alicuius, spectant ad eius essentiam, sed negatio diuisionis ponitur in definitione vnius, ergò spectat ad eius essentiam. Maior patet, Minor probatur, vnum enim est ens indiuisum, sed indiuisio nihil aliud est, quàm negatio diuisionis, ergò negatio diuisionis ponitur in definitione vnius.

4 Secunda conclusio. Ad essentiam vnius non spectat negatio identitatis cum alio, seù diuisio ab alio, licèt identicè ipsum comitetur.

5 Probatur primò ex Diuo Thoma q. 1. de ver. art. 1. in corpore, vbi ait. *Negatio, quæ est consequens omne ens absolutè est indiuisio, & hanc exprimit hoc nomen vnum, nihil enim aliud est vnum, quàm ens indiuisum, si autem accipiatur ens secundum ordinem vnius ad aliud, hoc potest esse dupliciter, vno modo secundum diuisionem vnius ad aliud, & hoc exprimit hoc nomen aliquid; dicitur enim aliquid, quasi aliud quid, vndè sicuti ens dicitur vnum inquantum est indiuisum in se, ità dicitur aliquid in quantum est diuisum ab alijs*, ergò per Diuum Thomam diuisio ab alio spectat ad aliquid, & solùm identicè comitatur vnum.

6 Probatur secundò ratione: esse diuisum ab alio in ente exprimit diuersam passionem entis, ac facit vnitas nimirum aliquid, ergò non spectat ad essentiam vnius; antecedens probatur, nàm vt liquet ex Diuo Thoma idem sonat aliquid, ac aliud quid.

7 Probatur tertiò. Diuisio vnius ab alio spectat ad essentiam, & conceptum multitudinis, sed multitudo opponitur vnitati, ergò talis diuisio non spectat ad essentiam vnitatis; Minor patet, Maior probatur, quia per solam diuisionem aliquorum inter se sufficienter intelligitur constituta multitudo, vt

docet Diuus Thomas quæst. 9. de potentia art. 7. vbi inquit, *Multitudo autem correspondens vni nihil addit supra res multas nisi distinctionem, quæ in hoc attenditur, quod vna earum non est alia*, ergò &c.

8 Probatur quartò. Ens præcisum ab omni respectu ad aliud, & indiuisum in se est vnum, ergò negatio identitatis cùm alio non spectat ad essentiam vnius; consequentia patet, antecedens videtur clarum; siquidem ens præcisum ab omni respectu ad aliud, & indiuisum in se non est vnum, aliàs non esset indiuisum in se; ergò cùm inter duo contradictoria non detur medium, remanet, quod sit vnum.

9 Respondent contrarij, ens tali pacto sumptum, esse vnum non adæquatè, sed inadæquatè, quia ad rationem adæquatam vnius spectat, quod sit indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio.

10 Sed contrà. Si diuisio ab alio spectaret ad essentiam vnius, vel ly aliud designaret ens existens, vel ens possibile, neutrum est dicendum, ergò diuisio ab alio non spectat ad essentiam vnius, ac ideò sine illa est adæquatè vnum. Probatur minor quo ad primam partem, nam Deus ab æterno fuit vnus, & tamen nulla creatura fuit existens, ergò ly aliud non designat ens existens; probatur quò ad secundam partem, nam dato, quod nulla creatura foret possibilis, adhuc Deus esset vnus, cùm esset ens, & passiones inter quas prima est vnitas sint inseparabiles ab ente, ergò &c.

11 Respondent in illo priori, ens præscindere ab vno, & non vno esto sint termini contradictorij, sicut quamuis risibile, & non risibile sint termini contradictorij, tamèn pro illo priori, quo consideratur homo secundum sua essentialia præscindit ab vtroque.

12 Sed contrà. Quià tunc non concipitur ens absolutè, quatenùs dicit solum ordinem ad esse, sed cum addito ad ens nempè cum indiuisione in se ipso, ergò nequit præscindere ab vnitate, & non vnitate, sed positiuè debet importare vnitatem.

13 Tertia conclusio: Ad essentiam vnius non spectat negatio diuisionis à se.

14 Probatur primò. Ad essentiam vnius spectare debet negatio diuisionis possibilis, sed negatio diuisionis à se non est possibilis, ergò ad essentiam vnius non spectat negatio diuisionis à se. Probatur Minor, siquidem impossibile est, quòd idem à se ipso diuidatur, aut distinguatur, ergò &c.

15 Probatur secundò. Negatio diuisionis entis à se, est idem, ac identitas ad se ipsum, sed identitas entis ad se ipsum est prædicatum diuersum ab vnitate, ergò negatio diuisionis entis à se non spectat ad essentiam vnius. Maior patet, Minor probatur, nam dicendo, ens est vnum est prædicatio formalis; dicendo verò ens est idem sibi ipsi, est prædicatio identica, ergò identitas entis ad se ipsum est prædicatum diuersum ab vnitate.

16 Quarta conclusio. Ad essentiam vnius non spectat negatio partium componentium vnum in se.

17 Probatur. Nàm secùs sequeretur, quòd nullum compositum foret vnum, imò, quod solus Deus posset dici vnus; consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur, quia omne compositum admittit in se partes realiter distinctas, imò & ipse Angelus ad minùs componitur ex essentia, & existentia, ergò si ad essentiam vnius spectaret negatio partium componentium vnum in se, nullum compositum foret vnum.

18 Quinta conclusio. Ad essentiam vnius non spectat negatio diuisionis solùm in plura entia totalia, & completa, ità quod vnitas solum conueniat enti completo, & totali.

19 Probatur. Nàm secùs vnitas transcendentalis non diceretur de entibus in completis, & ità non posset dici vnum corpus, vna anima; tùm etiam quia vnitas conuertitur cum entitate, sed entitas competit nedum rebus completis, sed etiam incompletis, ergò &c. tùm denique, quia multitudo non solùm dicitur de pluribus completis, sed etiam incompletis, cùm detur multitudo animarum rationalium, ergò etiam vnitas non solum debet dici de entibus completis, sed etiam in completis.

20 Sexta

20 Sexta Conclusio. Ad essentiam vnius non spectat negatio diuisionis in plures se ipsos.

21 Probatur; quia talis explicatio est diminuta, non enim tollitur vnitas à Petro præcisè ex eo quod diuidatur in plures Petros, sed etiamsi diuidatur in Petrum, & Franciscum, in Petrum, & plantam, in Petrum, & Angelum, ergò ad essentiam vnius &c.

22 Septima Conclusio. Ad essentiam vnius non spectat negatio diuisionis in partes essentiales.

23 Probatur primò. Nam secùs sequeretur, quòd duæ aquæ discontinuatæ essent vnum vnitate transcendentali, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela Maioris probatur, nam haberent negationem diuisionis in partes essentiales; solùm enim aqua diuiditur in partes integrales, & quantitatiuas, in quibus seruat eandem materiam, & formam aquæ, ergò si ad essentiam vnius &c.

24 Probatur 2. Compositum substantiale, puta homo, aut equus, quamuis non habeat partes essentiales diuisas, habet tamèn distinctas, sed iuxtà Mastrium, cuius est hæc sententia, non solùm realis diuisio, sed etiam realis distinctio satis est ad tollendam vnitatem, & ad constituendam multitudinem, vt constat in anima, & corpore, & in partibus continui, quæ dicuntur plures etiam si sint vnitæ; ergò ad essentiam vnius non spectat negatio diuisionis in partes essentiales.

25 Octaua Conclusio. Ad essentiam vnius spectat negatio diuisionis in se, idest, quod in se non admittat aliud, & aliud suppositum.

26 Probatur prima pars ex D. Thoma q. 9. de potentia art. 7. vbi ait; *vnum addit negationem supra ens, secundum quod aliquid est indiuisum in se*, & ad 15. argumentum subdit; *intelligitur ratio vnius prout intelligitur hoc ens, non esse in se diuisum*, ergò &c.

27 Probatur secunda pars ex eodem Angelico, siquidem 3. p. quæst. 3. art. 7. ad 2. docet, quod si Persona Diuina assumeret duas naturas humanas propter vnitatem suppositi diceretur vnus homo habens duas naturas humanas, & similiter si duæ Personæ Diuinæ assumerent vnam numero naturam, dicerentur vnus homo, non vnitate suppositi, sed in quantum conueniunt in aliquo vno, idest non simpliciter, sed secundum quid, vt interpretatur Caietanus, & Medina, ergò ad essentiam vnius spectat negatio diuisionis in se, ità quod non admittat aliud, & aliud suppositum.

28 Probatur ratione. Nàm quamuis Petrus v. g. admittat in se plura distincta, nempè materiam, & formam, essentiam, & existentiam, naturam, & subsistentiam, tamen quia non faciunt alietatem suppositi dicitur vnus; item Gabriel estò componatur ex essentia, & existentia, ex natura, & subsistentia realiter distinctis, tamen quia non faciunt aliud, & aliud indiuiduum, ideò dicitur vnus; pariter estò Christus claudat in se duas naturas totales, & completas, nempè diuinam, & humanam, tamen, quia non faciunt quod Christus sit alius, & alius, ideò dicitur vnus, ergò &c.

29 Vltima Conclusio. Ad essentiam vnius spectat negatio diuisionis in se formarum, aut suppositorum, ità quod sufficiat, quòd forma, & suppositum sit indiuisum.

30 Probatur, nam tres Personæ Diuinæ sunt vnus Deus propter indiuisionem naturæ, & si omnes assumerent eandem humanitatem, dicerentur vnus homo propter indiuisionem naturæ humanæ; è contrà verò si vna Persona Diuina assumeret plures humanitates, adhuc esset vnus homo propter indiuisionem suppositi, quod totum docet D. Thomas p. p. q. 39. art. 3. & 3. p. q. 3. art. 6. & 7. ponens in prima parte regulam vniuersalem quod ad plurificanda substantiua requiritur pluralitas tùm formæ, tùm suppositi; ad plurificanda verò adiectiua sufficit pluralitas suppositorum, qua ratione in diuinis nequeunt dari tres Omnipotentes, tres Æterni, tres Sapientes substantiuè, cum vna tantum sit Diuinitas, benè verò adiectiuè, cum tres sint Personæ, ergò ad essentiam vnius

diuerso modo igitur opponitur vnitati Petri non esse indiuisum in se, & non esse diuisum ab alijs. Primum enim opponitur primariò, secundum verò consequenter; sicuti homini opponitur non esse rationale, & non esse risibile, sed primum primariò, secundum verò consequenter.

43 Arguitur quartò contrà octauam Conclusionem. Diuisio à non ente priùs conuenit enti, quam indiuisio in se, sed pro illo priori intelligitur vnum, ergò ad essentiam vnius non spectat negatio diuisionis in se: Maior est Diui Thomæ p. p. quæst. 11. art. 2. ad 4. Minor probatur; impossibile est enim, quod ens sit diuisum ab alio, & non sit vnum, ergò pro illo priori &c.

44 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, contrariè, concedo antecedens, contradictoriè, nego antecedens, & consequentiam; diuisio enim ab alio contrariè est tantùm illa, quæ ex consequenti facit vnum; diuisio autem ab alio contradictoriè competit enti, ex præciso conceptu entis, nec potest dici passio illius.

45 Arguitur vltimò: multa sunt vnum, & tamen non sunt in se indiuisa, ergò ad essentiam vnius non spectat indiuisio in se ipso. Antecedens probatur; omnia composita sunt vnum in se, & tamen diuiduntur in plures partes, vel integrales, vel essentiales, ergò multa &c.

46 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Minorem, quæ tamen non faciunt diuersitatem numericam concedo, secùs, nego Minorem, & consequentiam; vt enim diximus sola indiuisio in se, quæ non facit aliud, & aliud spectat ad essentiam vnius; vndè diuisio totius in suas partes non facientes diuersitatem numericam eius vnitati non obstat.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm vnitas, & multitudo opponantur, & quomodò?

§. I.

Quibusdam præmissis Veritas aperitur.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod cum vnitas importet entitatem fundantem negationem diuisionis in se, & multitudo importet plures res, seù entitates fundantes negationem identitatis vnius cum alia, tàm in vnitate, quàm in multitudine duo considerari possunt, positiuum nimirum fundans negationem, & negatio fundata: quærimus quò ad vtramque rationem, sit ergò.

2 Prima Conclusio. Si vnitas sumatur materialiter ratione suæ entitatis positiuæ, quam significat non opponitur multitudini.

3 Probatur. Vnum materialiter sumptum constituit multitudinem, sed vnum contrarium non constituitur ex alio, ergò vnum si sumatur materialiter ratione suæ entitatis positiuæ non opponitur multitudini.

4 Secunda Conclusio. Vnitas, & multitudo secundùm suam essentiam non opponuntur contradictoriè, nec priuatiuè, nec relatiuè, sed contrariè.

5 Probatur prima, & secunda pars. Contradictoriè, & priuatiuè opposita ità se habent, quod vnum sit ens, aliud non ens, sed tàm vnitas, quàm multitudo dicunt ens positiuum, ergò non opponuntur contradictoriè, nec priuatiuè.

6 Probatur tertia pars. Totum esse relatiuorum est referri ad aliud, sed totum esse vnitatis non est referri ad multitudinem, nec è contrà, cum absolutè, & ad se dicantur, ergò neq; opponuntur relatiuè; verum si reduplicetur proprietas vnius, quæ iuxtà Philosophum 10. Met. cap. 2. est ratio mensuræ,

suræ, sic opponuntur relatiuè, cum mensura, & mensurabile constituant relationem tertij generis.

7 Probatur quarta pars. Vnitas, & multitudo opponuntur, cum habeant diuersam essentiam explicatam per diuersam definitionem, sed non opponuntur contradictoriè, priuatiuè, nec relatiuè, ergò contrariè.

8 Probatur vlterius. Duæ naturæ positiuæ inter se diuersæ, & sub aliqua ratione superiori contentæ ad inuicem opponuntur contrariè, sed vnitas, & multitudo ità se habent, ergò opponuntur contrariè.

9 Tertia Conclusio. Si vnitas sumatur quantùm ad negationem diuisionis opponitur priuatiuè cum multitudine.

10 Probatur. Indiuisum opponitur diuiso priuatiuè, sed vnitas hoc pacto est indiuisa, multitudo verò diuisa, ergò opponuntur priuatiuè, vt de facto docet D. Th. p. p. q. 11. art. 2. in corpore; cæterum quanam priuatione opponantur, simpliciter, an secundum quid, in suo speciali quæsito dicemus.

11 Quarta Conclusio. Vnum directè non opponitur multitudini reali, sed diuisioni repertæ in illa.

12 Probatur primò ex D. Tho. p. p. q. 30. art. 3. ad 3. vbi ait, *vnum non est remotiuum multitudinis, sed diuisionis, quæ est prior secundum rationem, quàm vnum, vel multitudo*, & q. 11. art. 2. ad 4. ait; *vnum opponitur priuatiuè multis, in quantum in ratione multorum est quod sint diuisa*.

13 Probatur secundò ratione. Illi priuationi directè, & per se opponitur vnitas, qua resoluitur si ei adiungatur, sed hoc facit diuisio, non multitudo, ergò vnitas directè non opponitur multitudini, sed diuisioni. Probatur Minor; nam si ponatur diuisio, illicò dissoluitur vnitas; multitudo autem non dissoluit vnitatem, vt patet in pluribus palmis in eodem continuo repertis; nisi enim diuidantur, semper faciunt vnum continuum, ergò &c.

§. II.

Argumenta soluuntur.

14 ARguitur primò contrà secundam Conclusionem. Vnum contrariatur tantum vni, sed multitudini opponitur paruitas, ergò, Minor patet; Maior est Philosophi lib. 1. de interpret. cap. 5. & 10. Metaphysicæ cap. 6.

15 Respondetur distinguendo Maiorem, vno modo acceptum, concedo Maiorem, diuerso modo acceptum, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; si ergò multitudo accipiatur absolutè, & simpliciter, illi opponitur vnitas, si verò accipiatur secundum aliquem excessum, illi opponitur paruitas. Ità respondet Philosophus 10. Met. cap. 7. & D. Thomas p. p. loco citato.

16 Arguitur secundò. Contraria dicuntur, quæ sub eodem genere posita inter se maximè distant, & vicissim à subiecto mutuò se expellunt, sed vnitas, & multitudo non sunt huiusmodi, ergò non sunt contrariè oppositæ. Probatur Minor, siquidem nequeunt recipi in eodem subiecto, ergò &c.

17 Respondetur distinguendo Maiorem, strictè sumpta, concedo Maiorem, latè sumpta, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo; talis ergò definitio solùm conuenit contrarijs strictè sumptis, sicut sunt qualitates contrariæ, non autem latè sumptis, quia ad hoc sufficit, quòd sint duæ rationes positiuæ inter se incompossibiles in eodem subiecto, & hoc modo opponuntur vnitas, & multitudo.

18 Arguitur tertiò. Nullum oppositum prædicatur de suo opposito, sed vnum prædicatur de multitudine, ergò non opponuntur. Minor probatur, nam vt dictum est ex D. Dionysio de Diuinis nominibus, omnis multitudo est aliquo modo vnum, ergò &c.

19 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, est vnum secundum quid, concedo antecedens, simpli-

pli-

pliciter, nego antecedens, & consequentiam. Vnum enim, quod opponitur multitudini, nunquam contingit prædicari de illa, non enim est vnum vtcumq; sed simpliciter, quod non prædicatur de multitudine, vt ait D. Thomas ibidem ad primum.

10 Arguitur vltimò. Omnis habitus est prior priuatione, sed multitudo est posterior vnitate, cum fiat ex illa, ergò vnitas, & multitudo non opponuntur priuatiuè, ità vt vnitas habeat rationem priuationis, multitudo verò habitus.

11 Respondetur distinguendo Minorem; quatenùs dicit compositionem ex pluribus concedo Minorem, quatenùs dicit diuisionem formalem vnius entis ab alio, nego Minorem, & consequentiam. In multitudine ergò duo reperiuntur, nimirùm diuisio formalis vnius entis ab alio, & compositio ex pluribus vnitatibus; si consideretur quantùm ad primum, multitudo habet rationem habitus, & est prior vnitate, eique opponitur priuatiuè; si verò consideretur quantùm ad secundum, non habet rationem habitus, est posterior vnitate, nec priuatiuè opponuntur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm vnitas transcendentalis sit sola vnitas numerica?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod nomine vnitatis numericæ, non intelligitur illa, quæ spectat ad genus quantitatis, & vocatur principium numeri; hæc enim continetur sub vnitate transcendentali velùt pars subiectiua sub toto vniuersali, sed intelligitur vnitas singularis, vel indiuidualis, quæ non tantum reperitur in quantitate, verùm etiam in alijs generibus, imò & in Deo; qua ratione dicitur vnus, sicut quoque in Diuinis reperitur numerus transcendentalis, vndè ponitur vna natura, duæ processiones, tres Personæ, quatuor relationes, quinque notiones.

2 Prima sententia est affirmatiua; hanc tenent aliqui ex antiquioribus, quorum suppresso nomine meminerunt Io: à S. Tho. & Suarez, eamque sequuntur Auersa, & Serna.

3 Secunda est negatiua; hanc docent omnes Peripatetici; vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Vnitas transcendentalis est vnitas vt sic analogicè conueniens indiuiduis, speciebus, generibus, substantiæ, accidentij enti creato, & increato.

5 Probatur primò ex Philosopho 5. Met. cap. 6. textu 11. vbi ait: *vniuersaliter quæcumque non habent diuisionem, quatenùs non habent, eatenùs vnum dicuntur, vt puta si prout homo non habet diuisionem, vnus est homo, si prout est animal, vnum animal &c.* ergò ex Aristotele vera Conclusio.

6 Probatur secundò ratione. De quocumque dicitur ens, dicitur quoque vnitas transcendentalis, quæ est eius passio, sed ens dicitur de omnibus prædictis, ergò etiam vnitas transcendentalis; Minor patet; Maior quoque videtur clara, nam ad inuicem conuertuntur.

§. III.

Argumenta soluuntur.

7 ARguitur primò. Vnitas transcendentalis debet esse realis, sed nulla

est vnitas realis, quæ non sit singularis, ergò vnitas transcendentalis est sola vnitas numerica, Maior patet, nam est passio entis realis; Minor probatur, quia nihil reale producens, vel productum inuenitur quin sit singulare; cum actiones sint suppositorum, tàm actiuè, quàm terminatiuè, ergò vnitas transcendentalis &c.

8 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, vel identificatum cum singulari, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam; itaque vnitas specifica, generica, & analogica entis realis, sunt vnitates reales, licèt status præcisionis fiat per operationem intellectus. Siquidem istæ vnitates sumuntur à formis realibus, specifica, generica, aut gradu reali communi, sicut vnitas numerica in rebus materialibus desumitur à materia signata quantitate, & in spiritualibus à forma, quæ omnia sunt quid reale; vnde aliud est loqui de vnitate ipsa, aliud de statu vnitatis; vnitas quidem specifica, & generica realis est, quia præbetur à forma reali; cæterum status vnitatis dependet ab actu intellectus, quia vnitas specifica, aut generica non inuenitur realiter præcisa ab vnitate singulari, sed præscinditur ab intellectu.

9 Instabis primò. Vnitas transcendentalis conuertitur cum ente reali, sed solùm vnitas numerica conuertitur cum ente reali, ergò solùm numerica est vnitas transcendentalis; probatur Minor, Omne singulare est reale, & omne reale est singulare, ergò solum vnitas numerica conuertitur cum ente reali; antecedens quò ad primam partem patet; quò ad secundam probatur, siquidem non dicitur aliquid reale, nisi, quod est in rebus, aut est capax essendi in rebus, sed hoc est tantum singulare; nam vniuersalia non sunt in rebus, sed solum in intellectu, ergò omne reale est singulare.

10 Respondetur primò negando Minorem; ad probationem, nego antecedens quò ad secundam partem, ad probationem distinguo Minorem, vel identicè, vel formaliter, concedo, semper formaliter, nego Minorem, & consequentiam; quidquid ergò datur in rerum natura est tantùm singulare, vel identicè, vel formaliter; vndè benè dantur naturæ denominabiles vniuersales, quæ tamèn identificantur cum singularibus.

11 Respondetur secundò, quod Maior absolutè prolata est falsa; nam sicut ens est analogum analogia proportionalitatis, & attributionis ad ens reale, & rationis, ità etiam vnitas transcendentalis, quæ cum ente conuertitur, & est passio illius, analogicè dicitur eodem modo de vnitate reali, & rationis.

12 Instabis secundò. Genera, & species solùm dantur per operationem intellectus, ergò non inueniuntur in rebus, sed hoc idem erit de eorum vnitatibus, ergò vnitas realis est tantùm numerica; antecedens probatur, nam sunt entia rationis, ergò &c.

13 Respondetur distinguendo antecedens secundò intentionaliter sumpta, concedo antecedens, primò intentionaliter sumpta, nego antecedens, & consequentiam; genera ergò, & species; sicut, & vnitates specificæ, & genericæ dupliciter possunt considerari, primò intentionaliter, scilicet pro re substracta secundis intentionibus generis, & speciei, & ità sunt quid reale; & secundò intentionaliter, scilicet pro secunda intentione denominante naturam substractam, & hoc pacto sunt quid rationis.

14 Arguitur secundò. Vnitas transcendentalis est passio entis quod afficit, sed vnitas specifica, & generica non est passio naturæ, quam afficit, ergò non est vnitas transcendenalis, & ità solùm erit numerica; Maior patet. Probatur Minor, nam passio alicuius naturæ communis debet descendere simul cum illa ad inferiora, de quibus dicitur, sed vnitas specifica, aut generica non descendit simul cum natura ad indiuidua, sed conuenit præcisè naturæ abstractæ ab indiuiduis, ergò vnitas specifica, & generica non est passio naturæ, quam afficit. Maior patet, quia enim risibilitas est passio hominis, Petrus nedùm est homo, sed etiam risibilis; Minor probatur, nàm secùs valeret dicere, Petrus est vnus specie, Paulus est vnus

ge-

genere, ſicut valet dicere, Petrus eſt homo, Paulus eſt animal.

15 Reſpondetur negando Minorem; ad probationem diſtinguo Minorem, ſecundò intentionalitèr ſumpta, concedo Minorem, primò intentionaliter ſumpta, nego Minorem, & conſequentiam. Vnitas ergò ſpecifica, & generica ſolùm primò intentionaliter ſumpta eſt paſſio naturæ genericæ, vel ſpecificæ, & hæc deſcendit ſimul cum illa ad indiuidua; vnde ſicut valet dicere Petrus eſt homo, Paulus eſt animal, ità quoque verificatur Petrus eſt vnus homo, Paulus eſt vnum animal.

16 Arguitur tertiò. Vnitas ſingularis non reſtringitur ad aliquod determinatum prædicamentum, ſed per omnia diuagatur, ſed hoc eſt proprium vnitatis tranſcendentalis, ergò vnitas tranſcendentalis eſt vnitas ſingularis.

17 Reſpondetur diſtinguendo Maiorem, & aliàs percurrit omnes gradus prædicamentorum, nego Maiorem, ſecùs, concedo Maiorem, & diſtincta eodem modo Minori, nego conſequentiam. In quocumq; enim prædicamento reperiuntur genera, ſpecies, indiuidua, vnitas autem ſingularis ſolùm excurrit per omnia indiuidua, & ideò ſolùm inadæquatè eſt tranſcendentalis, non verò adæquatè, nec ſequitur, quod ſi omnis vnitas ſingularis eſt tranſcendentalis, quod omnis vnitas tranſcendentalis ſit ſingularis.

18 Inſtabis. Sicut ens abſtrahitur ab hoc, vel illo ente particulari, ità vnitas ſingularis abſtrahitur ab hac, vel illa vnitate ſingulari, ergò ſicut ens in communi eſt tranſcendens, non autem in particulari; ità vnitas ſingularis, licèt in particulari non ſit tranſcendentalis, tamèn in communi erit tranſcendentalis.

19 Reſpondetur negando conſequentiam. Vnitas enim tranſcendentalis debet complecti omnem vnitatem quæcumque ſit illa; ſiuè ſit ſpecifica, ſiuè generica, ſiuè analoga, ſicut ens tranſcendens complectitur quodcumque ens, cum autem hoc non ſaciat vnitas ſingularis etiam in communi, indè ſlat, quod non eſt vnitas tranſcendentalis.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm vnitas prædicamentalis addat aliquid ſuprà ens?

§. I.

Quibuſdam præmiſſis referuntur ſententiæ.

1 PRo reſolutione huius difficultatis aduertendum eſt, quod quærimus de vnitate quantitatiua, quæ eſt quid indiuiſibile omninò, & reductiuè ſpectat ad genus quantitatis diſcretæ, ſicut punctum eſt quid omninò indiuiſibile reductiuè ſpectans ad genus quantitatis continuæ.

2 Prima ſententia tenet, tàm vnitatem prædicamentalem, quàm tranſcendentalem addere aliquid ſuprà ens. Ità Auicennas 3. Met. cap. 2. & Scotus cum ſua ſchola in 2. diſt. 3. q. 2.

3 Secunda ſententia ſuſtinet, tàm vnitatem prædicamentalem, quàm tranſcendentalem nihil addere ſuprà ens. Ità Pytagoras, & Plato, quos ſequuntur Durandus in p. diſt. 24. q. 2. Sotus hic cont. 2. Lerma lib. 3. Log. q. 13. & ex exteris Suarez diſp. 4. ſect. 4. & Fonſeca 5. Met. cap. 12. q. 3.

4 Tertia ſent. docet vnitatem tranſcendentalem nihil addere ſuprà ens, benè verò vnitatem prædicamentalem. Ità Capreolus in p. diſt. 24. q. vnica, Soncinas 4. Met. q. 23. Iauellus ibidem q. 4. Sanchez lib. 5. Log. q. 21. Maſius cap. de quant. ſect. 2. Galego cont. 25. Arauxo 5. Met. q. 3. a. 3. & Complutenſes diſp. 13. Log. quæſt. 6. vndè ſit,

§. II.

Veritas aperitur.

5 PRima Conclusio. Vnitas prædicamentalis addit aliquid positiuum incompletum suprà quantitatem continuam, ità quòd per se ipsam non sit indiuisa, nec principium numeri.

6 Probatur primò ex D. Thoma quodlibeto 10. art. 1. vbi ait. *Vnum, quod est principium numeri, de necessitate aliquid positiuum dicit in eo, cui attribuitur, quia cum ex vnitatibus numerus constituatur nisi vnitates aliqua esset, numerus esse non posset.* Item p. p. quæst. 11. art. 1. post recitatas sententias Pytagoræ, & Auicennæ inquit; *sic igitur dicendum quòd vnum, quod conuertitur cum ente non addit aliquam rem suprà ens, sed vnum quod est principium numeri addit aliquid suprà ens, ad genus quantitatis pertinens.* Hoc idem docet q. 30. art. 3. & quæst. 9. de potentia art. 7. ergò per D. Thomam vera Conclusio.

7 Respondent contrarij sensum D. Thomæ esse, quod vnitas prædicamentalis addit aliquid positiuum suprà ens, in quantùm quod addit suprà substantiam, vel qualitatem ipsam quantitatem continuam, cùm non solùm quantitas, sed etiam substantiæ, qualitates, & alia prædicamenta sint numerabilia.

8 Sed contrà primò cum Arauxo; siquidem D. Thomas expressis verbis ibi docet, quod Pytagoras volebat vnitatem prædicamentalem non addere aliquid positiuum suprà substantiam entis. Auicennas verò quod adderet; sed hic nequit sumi nomen substantiæ pro primo prædicamento, sed pro essentia rei, ergò malè glosatur D. Thomas quod intelligat vnitatem prædicamentalem addere quantitatem suprà substantiam, sed debet intelligi, quod addat aliquid suprà ipsam quantitatem.

9 Contrà secundò, nam D. Thomas loco citato ex p.p. expressè asserit, *id quod addit vnitas prædicamentalis suprà ens esse quid pertinens ad genus quantitatis*, ergò non potest glosari, quod hoc superadditum sit ipsa quantitas continua, aliàs esset barbara locutio, quia quantitas continua est vera quantitas, non quid pertinens ad genus quantitatis. Item p. p. q. 3. art. 5. & q. 7. de potentia art. 3. ad 7. ait. *Vnitatem prædicamentalem esse quid reductiuè pertinens ad genus quantitatis, sicut punctum*, ergò non est ipsa quantitas continua.

10 Contrà tertiò. Si hoc intenderet D. Thomas, vana esset differentia, quam assignat inter vnum, quod conuertitur cum ente, & inter vnum, quòd est principium numeri, sed hoc non est dicendum, ergò malè explicatur; sequela Maioris probatur, nam etiam vnitates transcendentales accidentium addant suprà substantiam ipsam entitatem accidentalem.

11 Probatur secundò ratione conclusio. Si vnitas prædicamentalis non adderet aliquid positiuum incompletum suprà quantitatem continuam, ratione cuius fieret pars numeri prædicamentalis, sequeretur, quod numerus non esset ens per se, nec vera species quantitatis, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Probatur sequela, nam ex duobus entibus completis non potest resultare vnum ens per se, nec determinata species, ergò &c.

12 Respondet Lerma, quòd licèt quantitas continua sit quid completum, & diuisibile in genere quantitatis continuæ, est tamèn quid incompletum, & indiuisibile in genere quantitatis discretæ, quo pacto est principium numeri, vndè benè potest componi vnum ens per se ex pluribus vnitatibus, eo modo, quo licèt linea sit diuisibilis penes longitudinem, tamèn, quia est indiuisibilis penès latitudinem, sic benè potest per se ordinari ad componendum corpus.

13 Sed contrà primò. Quantitas continua, nedùm est diuisibilis in plures partes continuas, sed etiam in plures partes nullo termino copulatas, ergò nedùm est quid completum in genere quantitatis continuæ, sed etiam in genere quantitatis discretæ. Antecedens probatur, nam si tales partes separen-

rentur, de facto resultabit numerus, cùm fiat ex diuisione continui, & sic non tenet paritas de linea, cum hæc omninò indiuisibilis sit penes latitudinem, quantitas autem continua diuisibilis est, tàm in genere quantitatis continuæ, quàm discretæ.

14 Contrà secundò. Quia in genere quantitatis continuæ datur aliqua entitas vndequaque incompleta, quæ sit principium magnitudinis, nempè punctum, ergò etiam in genere quantitatis discretæ danda est aliqua entitas vndequaque incompleta, quæ sit principium numeri, nempè vnitas.

15 Probatur tertiò conclusio. Non solùm res aliorum prædicamentorum, sed nec etiam ipsa quantitas continua potest per se ipsam esse vna quantitatiuè, seu pars numeri prædicamentalis, ergò requiritur aliquid aliud, per quod fiat pars talis numeri. Antecedens probatur, nàm si quantitas continua posset esse per se ipsam vna prædicamentaliter, sequeretur, quod inter eas quantitates, inter quas semel est vnitas, semper inueniretur, & ab opposito vbi à principio non esset, nunquàm esse posset, sed hoc est falsum, ergò &c. Minor patet, nam in ligno continuo v. g. non est numerus, sed vnitas, si autem diuidatur, non erit vnitas ampliùs, sed numerus, pariter in duabus partibus aquæ separatis est numerus, si autem continuentur erit vnitas; sequela autem Maioris probatur, nàm quia quælibet res per se ipsam est vna transcendentaliter, ideò vbi semel est vnitas transcendentalis, semper est, & vbi semel non est, nunquam esse potest, ergò &c.

16 Secunda conclusio. Hoc reale incompletum, quod superaddit vnitas prædicamentalis quantitati continuæ non est ipsa forma continuitatis, sed existentia ipsius quantitatis continuæ, seu ipsum esse indiuisum. Ità Capreolus cum Auicenna 3. Met. cap. 2. quibus adherent etiam Complutenses.

17 Probatur quò ad primam partem, nam id, quod superaddit vnitas prædicamentalis, debet saltem vt modus distingui ab ipsa re, cui superadditur, sed forma ipsa continuitatis non distinguitur ab ipsa quantitate continua, ergò istud reale superadditum nequit esse forma continuitatis.

18 Probatur secundò eadem pars, quia hoc superadditum debet esse quid incompletum, & Indiuisibile, sed forma continuitatis diuisibilis est, sicut & ipsa quantitas continua, ergò &c.

19 Probatur quò ad secundam partem; nam illud, quod superaddit vnitas quantitati continuæ est quid indiuisibile, sed existentia quantitatis est huiusmodi, cum existentia sit simplex etiam in rebus compositis, ergò hoc superadditum erit ipsa existentia quantitatis, & hanc esse mentem D. Thomæ Complutenses testantur.

§. III.

Argumenta soluuntur.

20 Arguitur primò contrà primam conclusionem. Si vnitas prædicamentalis adderet aliquid suprà quantitatem continuam, vel istud esset aliquid absolutum, vel relatiuum, neutrum est dicendum, ergò vnitas prædicamentalis non addit aliquid positiuum incompletum suprà quantitatem continuam; Maior patet, probatur Minor, & primò quò ad secundam partem, nam quantitas priùs intelligitur vna in se, quàm quod intelligatur in illa aliqua relatio; imò vnitas eiusdem est ratio fundandi relationem, quò ad primam partem probatur, nàm vel illud absolutum est quantitas continua, vel discreta; nequit enim esse res alterius prædicamenti, aliàs non resultaret vnum ens per se, sed neutrum potest esse, ergò &c. probatur Minor, & primò quò ad primam partem, nàm vnitas quantitatem continuam de materiali supponit; quò ad secundam etiam, quia vnitas dicit indiuisionem, quam quantitas discreta excludit, ergò &c.

21 Respondetur negando Minorem, & dico, hoc superadditum esse quid absolutum pertinens ad quantitatem continuam; ad probationem distinguo consequens non po-

potest esse aliquid pertinens formaliter, concedo consequentiam, reductiuè, nego consequentiam. Hoc ergò superadditum est quid absolutum, incompletum tamèn, & indiuisibile reductiuè spectans ad genus quantitatis continuæ, quod dicimus esse existentiam ipsius quantitatis.

22 Instabis primò: Quantitas continua nequit dici vna per aliquid superadditum, etiam indiuisibile, & incompletum, ergò nulla solutio. Antecedens probatur. Quælibet res dicitur per se vna sinè aliquo superaddito, etiam indiuisibili, & incompleto, ergò etiam quantitas continua dicetur per se vna prædicamentaliter. Antecedens patet, consequentia probatur, nàm ideò primum, quia si per aliquid aliud esset vna transcendentaliter, daretur processus in infinitum, sed hoc idem in casu nostro sequeretur, ergò &c.

23 Respondetur negando antecedens; ad probationem nego consequentiam; ad probationem nego Minorem, nam cum illud superadditum esset quid indiuisibile, & incompletum, essentialiter esset ipsa vnitas, vndè non posset dici vnum per aliquid aliud superadditum, & sic non sequeretur dari processum in infinitum.

24 Instabis secundò. Alia entia prædicamentalia, v. g. duæ substantiæ corporeæ, & duæ albedines per suam entitatem sunt vnæ, & constituunt se ipsis numerum binarium, ergò paritèr duæ quantitates continuæ se ipsis erunt vnæ, & se ipsis constituent numerum absque aliquo superaddito.

25 Respondetur distinguendo antecedens, transcendentaliter, concedo antecedens, prædicamentaliter, nego antecedens, & consequentiam. Alia ergò prædicamenta per suas entitates sunt vtiquè vnum transcendentaliter, & constituunt numerum transcendentalem, cæterùm ex se ipsis non sunt vnum prædicamentalitèr, nec constituunt numerum prædicamentalem, sed tantùm mediante quantitate continua, quæ deindè est vna vtique vt quod se ipsa, sed vt quo est vna medio illo indiuisibili, & incompleto sibi superaddito.

26 PRO CORONIDE QVÆSTIONIS QVÆRES PRIMO. An negatio diuisionis, quam dicit vnum, sit negatio simpliciter, an verò priuatio.

27 Respondetur, nec esse negationem simpliciter, nec priuationem simpliciter, sed modum habere priuationis.

28 Probatur primò ex D. Tho. 4. Met. lect. 3. vbi ait, *negatio inclusa in vno differt à negatione simpliciter, & magis trahit se ad negationem priuationis, vt dicitur 10. Met. textu 9.* Item 1. p. q. 11. art. 2. ait, *vnum, quod conuertitur cùm ente opponitur multitudini per modum priuationis, vt indiuisum diuiso.* Sic etiam quæst. 9. de potentia art. 7. ad 11. id clarissimè docet dicendo, *quod hæc priuatio media est inter priuationem veram, & simplicem negationem, habens commune aliquid cum vtraque, cum priuatione quidem vera in hoc, quod est negatio in aliquo subiecto, vndè non competit simpliciter non enti; cum negatione verò simplici in hoc, quod non requirit aptitudinem in subiecto,* ergò &c.

29 Probatur secundò ratione prima pars. Simplex, & vna negatio nulli enti, tanquàm fundamento innititur, sed negatio diuisionis expressa per vnum innititur enti tanquam fundamento, ergò non est simplex, & pura negatio.

30 Probatur secunda pars. Vera & legitima priuatio significat carentiam formæ in subiecto apto, & nato ad eam habendam, sed vnum non est aptum, & natum diuidi ea diuisione, quam indiuisio negat, ergò non est talis negatio diuisionis vera, & legitima priuatio; probatur Minor, nam potiùs vnum per diuisionem destruitur, ergò vnum non est aptum, & natum diuidi &c.

31 Arguitur primò. Res compositæ sunt capaces diuisionis, ergò negatio diuisionis reperta in illis erit propriè priuatio.

32 Respondetur distinguendo antecedens; materialiter, & in sensu diuiso, concedo antecedens, formalitèr, & in sensu composito nego antecedens, & consequentiam. Non enim sunt capaces diuisionis retinendo vnitatem, sed potiùs per eius destructionem, vndè

vndè talis negatio non est propriè priuatio.

33 Arguitur secundò. Si talis negatio esset aliquo modo dicenda priuatio, maximè quia est in subiecto, sed hoc non conuincit, ergò non habet rationem priuationis; probatur Minor, si remotio formæ in subiecto esset priuatio Deus diceretur priuatus diuisione, sed hoc est absurdum, ergò esse in subiecto non conuincit quod talis negatio sit priuatio. Minor patet, sequela maioris probatur, nàm licèt ens simplex, vt tale non sit capax diuisionis, tamèn vt ens est capax illius est, ergò &c.

34 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem nego Maiorem, ad probationem nego consequentiam, quia ad hoc vt remotio formæ in subiecto positiuo dicatur priuatio requiritur, quod subiectum sit capax formæ secundum rationem vltimam, seù specificam, non autem sufficit, quod sit capax secundum rationem communem analogam entis, aliàs carentia visus in lapide foret priuatio, cùm fundaretur in ente, quod saltem permissiuè est capax visionis, vndè cum ità contingat in Deo, indè fìat, quod nequit dici priuatus diuisione simpliciter.

35 Respondetur secundò cum D. Thoma quæst. 9. de potentia art. 7. quod carentia diuisionis priuatiua, sicut est suprà explicata, benè datur in diuinis, sicut etiam dicitur Immortalis, Immensus &c.

36 QVÆRES SECVNDO. An vnitas transcendentalis benè explicetur per negationem multitudinis, & diuisionis, quam connotat?

37 Respondetur affirmatiuè. Probatur primò ex D. Tho. 10. Met. lect. 3. vbi ait; *licèt vnum tr ns secundum naturam sit multitudine, tamèn secundum cognitionem nostram definitur, & cognoscitur ex multitudine inquam ex suo contrario propter hoc, quod multitudo est magis sensibilis, quam vnum,* ergò de mente D. Th. vera Con.

38 Probatur secundò ratione. Oppositum ignotius rectè explicatur per oppositum notius, sed vnum est ignotius nobis, quàm multitudo, & ens indiuisibile est magis occultum, quam ens diuisibile, ergò vnitas transcendentalis optimè explicatur per negationem multitudinis, & diuisionis; Minor patet, Maior quoque est clara, nàm hac ratione immortale per mortale, & incorporeum per corporeum tanquam per rationes nobis notiores explicatur.

39 Arguitur primò. Nulla natura potest explicari negatione sui oppositi, quam fundat, ergò neque vnitas; antecedens probatur, non enim potest explicari natura Angeli per negationem equi, aut natura albedinis per negationem nigredinis, ergò &c.

40 Respondetur negando consequentiam, nam vna natura non opponitur adæquatè alteri, vt Angelo equus, albedini nigredo, multitudo verò, & diuisio adæquatè opponitur vnitati; & ideò est dispar ratio. Vtràquamquod substantia benè explicatur per negationem essendi in alio; Vndè etiam vnitas optimè explicatur per negationem diuisionis.

41 Arguitur secundò. D.Th. p. 1. q. 11. art. 3 ad 4. ai quod *multitudo secundum apprehensionem consequentur se habet ad vnum, & quod vnum non cognoscitur ex multitudine, nec multitudo cadit in definitione vnius;* ergò malè explicatur vnitas per negationem multitudinis, & diuisionis.

42 Respondetur explicando D. Tho. ità quod loquatur de cognitione distincta, & secundum se, concedo antecedens, cognitione confusa, & quò ad nos, nego antecedens, & consequentiam. Quando ergò D. Tho. in Met. docet, quod multitudo est prior vnitate secundum cognitionem nostram, loquitur de cognitione confusa, & quò ad nos; & quando p. 1. loc. cit. dicit quod multitudo consequenter se habet ad vnum secundum apprehensionem loquitur de cognitione distincta, & secundum se; nec est circulus vitiosus definire, & explicare multitudinem per vnitatem, & è contrà, quia vt inquit Caiet. hæ definitiones sunt in diuersis ordinibus, seu generibus, ità quod vna sit notior secundum se, alià verò quò ad nos, & vna sit à priori, alia verò à posteriori.

43 Arguitur tertiò: Diuisio Entis est negatio identitatis, ergò si vnitas explicatur

per

per negationem diuisionis explicatur per negationem negationis, quod est absurdum.

44 Respondetur distinguendo antecedens, ità quod primariò importet plura entia positiua, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo, primariò, & in recto nego consequentiam, secundariò, & de connotato, concedo consequentiam. Sicut enim vnitas in recto consistit in positiuo, & de connotato dicit negationem diuisionis, ità etiam multitudo, & diuisio in recto, & primariò importat plura entia, & de connotato negationem identitatis eorum inter se, vndè vnitas priùs est negatio plurium entium, & ex consequenti negationis identitatis eorum inter se, quod non est absurdum.

45 QVÆRES TERTIO: An Ens, & vnum conuertantur?

46 Respondetur affirmatiuè, vt in antecedenti quæstione de passionibus in communi.

46 Probatur primò ex D. Dionysio capite de diuinis nominibus vbi ait, *nil existentium est non participans vno*. Item Aristoteles, & D. Tho. in 4. Met. lect. 2. dicunt *quod ens, & vnum, idem, & vna natura sunt*, & lect. 4. *Ens, & vnum æqualitèr dicuntur de omnibus generibus*, ergò ens, & vnum conuertuntur.

47 Probata fuit conclusio ratione D. Th. p. 1. q. 11. art. 1. quià omne ens vel est simplex, vel compositum, si simplex est omninò indiuisum, ac ideò vnum, si compositum licèt sit diuisibile, tamèn actu est indiuisum, & per consequens vnum, nam soluta vnitate compositum illicò perit, ergò ens, & vnum conuertuntur.

48 Probatur etiam: Eadem propensione res appetunt vnitatem, ac appetunt esse: ergò ens, & vnum conuertuntur. Antecedens probatur, nam soluta vnitate illicò res pereunt, vt seiuncta forma à materia destruitur compositum, ergò.

49 Arguitur primò: Deus est vnus quià est singularissimus, & tamen non est ens, ergò &c. Minor probatur, nam ens est nomen concretum, quod deriuatur ab abstracto, sed Deus non deriuatur ab alio, ergò Deus non est ens.

50 Respondetur cum D. Th. p. 1. q. 40. art. 1. ad 1. negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, vbi datur distinctio inter concretum, & abstractum, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam. In diuinis enim idem est abstractum, & concretum, vt Deus & Deitas, & ideò vnum non deriuatur ab alio.

51 Arguitur secundò: Materia prima est ens positiuè, & tamen non est vna positiuè, sed tantùm negatiuè, ergò ens, & vnum non conuertuntur.

52 Respondetur distinguo Minorem, numericè, concedo Minorem, transcendentalitèr, nego Minorem, & consequentiam; licèt enim non sit vna numero positiuè, sed tantùm vt est affecta, & signata quantitate; est tamèn vna positiuè transcendentalitèr, quatenùs est in se diuisa, & diuisa à forma substantiali.

53 QVÆRES VLTIMO: Qua ratione distinguatur vnum transcendentale ab vno prædicamentali, quod est principium numeri?

54 Respondetur non differre secundum rem, benè verò secundum rationem.

55 Probatur prima pars: illa non differunt re ipsa, quorum vnum dicitur de alio secundùm essentiam, sed vnum transcendentale prædicatur de prædicamentali secundùm essentiam, ergò vnum transcendentale non differt secundùm rem ab vno prædicamentali: probatur Minor primò quià vnum prædicamentale secundùm suam essentiam est indiuisum in se: secundò, quia est essentialitèr ens, ergò essentialitèr vnum.

56 Probatur secunda pars primò: vnitas transcendentalis excurrit per omnia genera, vnitas verò, quæ est principium numeri quantitatiui solùm est in genere quantitatis, ergò ad minùs ratione distinguuntur. Secundò: vnitas transcendentalis conuertitur cum ente, sed vnitas prædicamentalis non conuertitur cum ente, ergò distinguuntur saltèm ratione. Tertiò: cum dicitur quod

vnum

Vnum prædicamentale est vnum non committitur nugatio, ergò distinguuntur saltem ratione.

57 Obijcies primò contrà primam partem: Vnitas transcendentalis non prædicatur essentialitèr de vnitate prædicamentali, ergò distinguuntur secundum rem. Antecedens probatur: quod non continetur in definitione alicuius non prædicatur essentialiter de illo, sed vnitas transcendentalis non continetur in definitione vnius, ergò non prædicatur essentialiter de vnitate prædicamentali.

58 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego Maiorem, nam ens non continetur in definitione rerum in particulari, putà hominis, aut equi, & tamen essentialiter prædicatur de illis, vtpotè transcendens; quod cum habeat quoque vnitas transcendentalis prædicatur essentialitèr de vnitate prædicamentali, esto non contineatur in eius definitione.

59 Obijcies secundò contrà secundam partem: Si vnitas transcendentalis sæpiùs repetatur constituit numerum, sed numerus spectat ad quantitatem, ad quam quoque spectat vnitas prædicamentalis, quæ est eius principium, ergò neque ratione distinguuntur.

60 Respondetur distinguendo Maiorem: numerum transcendentalem, concedo Maiorem, prædicamentalem, nego Maiorem; & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Sicut ergò vnitas transcendentalis per omnia genera excurrit, paritèr & numerus transcendentalis, ad differentiam numeri prædicamentalis, qui tantùm in genere quantitatis continetur, sicut & ipsa vnitas prædicamentalis.



QVÆSTIO SEPTIMA

DE VERITATE.

PEracta quæstione de Vnitate ad veritatem indagandam recto procedimus Ordine, & quidem in Democriti latentem puteo, nam vt inquit Zumel si Christus Dominus interrogatus à Pilato nobis eam expressisset, circà illam non tot essent placita, variæque sententiæ; Verùm eius notitia non minùs est vtilis, quàm difficilis; sinè veritate enim asserente Masio, nihil aut inueniri aut exprimi, aut doceri vlla ratione potest. Hanc si de medio abstuleris euanescent omnes disciplinæ, illicò scientiæ omnes interibunt; nihilque aliud nisi densissimæ tenebræ, & profundissima quædam mentis Caligo supererit; vt illius ergò naturam explicemus sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Veritas sit passio Entis, & an principaliter significet Entitatem, vel Relationem ad Intellectum?

§. I.

Quædam Præmituntur.

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod veritas est triplex, prima in essendo, quæ reperitur in omnibus rebus, & dicitur entitatiua, seù transcendentalis, & est causa veritatis formalis; vndè solet communitèr dici, ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa; secunda est veritas formalis, seù in cognoscendo, & ista in intellectu reperitur; Tertia est veritas in significando, & est illa, quæ in vocibus adinuenitur. Veritas in essendo definitur à D. Augustino lib. 1. Soliloq. cap. 5. *Verum est id quod est*, & ab Auicenna lib. 11. Met. cap. 2. *Veritas rei est proprietas sui esse, quod est à natura cuilibet præfinitum*. Tandem communitèr definitur quod sit adæquatio, seù conformitas rei cum intellectu. Veritas formalis definitur à D. Anselmo in Dialogo de Veritate cap. 12. quod sit *rectitudo sola mente perceptibilis, seù adæquatio intellectus cum re intellecta*; vtraque autem definitur simul quod sit adæquatio rei, & intellectus. Veritas in significando definitur à D. Hilario *quod sit manifestatiua, & declaratiua ipsius esse*, & à D. Augustino lib. de vera Religione cap. 26. *Veritas est qua ostenditur id quod est*; in præsenti difficultas non procedit de secunda, & tertia, sed tantùm de prima: his suppositis; quò ad primam partem nullum dissidium reperio apud Doctores; quò ad secundam verò.

2 Prima sententia defendit veritatem primariò denotare relationem ad intellectum, & secundariò entitatem. Ità Caiet. p. 1. q. 16. art. 2. Durand. in 1. dist. 19. q. 5. & alij.

3 Secunda sententia docet veritatem primariò significare entitatem, secundariò verò relationem ad intellectum. Ità Capreol.

in

in 1. dist. 19. q. 3. con. 3. Soncinas ibidem q. 4. & 6. Met. q. 17. Fer. 1. contrà gent. cap. 60. Bannez p. 1. q. 6. art. 3. dub. vltimo, Masius lib. 4. Trauf. cap. 3. & alij; Vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 PRima Conclusio. Veritas entitatiua, seù transcendentalis est vera proprietas entis.

5 Probatur. Quidquid conuertitur cum aliquo subiecto, & fluit ab eius natura est ipsius vera, & legitima proprietas, sed veritas entitatiua, & transcendentalis conuertitur cum ente, & fluit ex eius natura; ergò est vera, & legitima proprietas illius, probatur Minor; & primò quò ad primam partem; nam omne ens est adæquatum cum suo exemplari in mente diuina existente, sed in hac adæquatione consistit veritas entitatiua, & transcendentalis, ergò veritas entitatiua conuertitur cum ente. Quò ad secundam partem probatur; nam veritas ità emanat à natura entis, vt nulla ratione ab ea remoueri valeat; Vndè D. Hilarius quintò de Trinit. inquit: *Perime aquæ quod aqua est, & per id poteris abolere quod vera sit*, ergò veritas fluit à natura ipsius.

6 Secunda Conclusio: Veritas addit suprà ens habitudinem quamdam, seù relationem intrinsecam ad intellectum.

7 Probatur primò ex D. Tho. p. 1. q. 16. art. 3. vbi inquit: *Verum addere enti habitudinem ad intellectum, quemadmodum bonum addit eidem habitudinem ad appetitum*. Item quæst. 1. de ve. art. 2. docet *ità veritatem denotare habitudinem ad intellectum, vt si è medio auferretur omnis intellectus illico tota ratio veritatis necessariò deberet interire*, tandem art. 8. eiusdem quæst. air, *veritas dicta de lapide claudit in sua ratione entitatem lapidis, & superaddit habitudinem ad intellectum*, ergò per D. Tho. vera conclusio.

8 Probatur ratione. Veritas entitatiua, & transcendentalis est adæquatio rei ad intellectum, sed in hac definitione includitur intrinseca habitudo, seù relatio ad intellectum, ergò veritas addit suprà ens habitudinem, seù relationem intrinsecam ad intellectum.

9 Tertia Conclusio: Veritas magis principalitèr significat entitatem, quàm Relationem ad intellectum.

10 Probatur primò ex D. Th. quæst. 1. de ver. art. 4. vbi ait: *Veritas quæ est in ipsa re nihil est aliud, quàm entitas intellectui adæquata, vel intellectum sibi adæquans*, ergò de Mente SS. Doct. est vera Conclusio.

11 Probatur secundò ratione: Veritas secundum suam rationem significat perfectionem intellectus, sicùt bonitas exprimit perfectionem appetitus, sed relatio secundum suam essentiam non dicit perfectionem, ergò veritas magis principalitèr significat entitatem, quàm relationem; Maior patet: Minor probatur: nam perfectio exprimitur in ordine ad subiectum cui inhæret, Relatio verò secundum suam essentiam non exprimitur vt inhærens, sed vt referens ad terminum, ergò &c.

12 Probatur tertiò: Veritas analogicè dicitur de veritate reperta in Deo, & in creaturis, sed veritas reperta in Deo non significat principaliter relationem, sed entitatem, ergò etiam in creaturis. Minor probatur; nam si veritas in Deo principaliter significaret relationem, vel significaret relationem realem, vel rationis, neutrum est dicendum, ergò &c. Probatur Minor quò ad primam partem; nàm secùs darentur relationes reales plures, quàm quatuor; quò ad secundam probatur; nam relatio rationis, sicut, & quodlibet ens rationis nullā dicit perfectionem, sed veritas dicit maximam perfectionem, ergò &c.

13 Probatur quartò: proprietates transcendentales magis principaliter significant subiectum, quàm quidpiam aliud, non quidem specificatiuè, & materialiter sumptum, sed reduplicatiuè vt fundat tales proprietates, sed hoc nihil aliud dicit quàm entitatem, ergò veritas magis principaliter significat

entitatem, quàm relationem ad intellectum; Probatur Maior, hac enim ratione vnum in recto, & magis principalitèr significat entitatem, quam indiuisionem, ergò eadem ratione etiam veritas magis principaliter significabit entitatem, quam relationem ad intellectum.

14 Probatur quintò. Nam qui dicit hoc esse verum Aurum, & verum hominem significat naturam Auri, & hominis, sed istæ naturæ sunt quid absolutum, ergò veritas principaliter consistit in entitate absoluta.

15 Quarta Conclusio. Etiam veritas formalis, quæ reperitur in intellectu principaliter significat entitatem, & secundariò habitudinem ad obiectum.

16 Probatur: Veritas formalis nil aliud est, quam verbum, seù conceptus formalis intellectus pro vt adæquatur cum obiecto, sed verbum, seù conceptus formalis intellectus in se est qualitas spiritualis, ergò veritas formalis primariò significat entitatem absolutam, & secundariò habitudinem ad obiectum.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

17 ARguitur primò contrà primam Conclusionem: Nulla proprietas potest latiùs paterè suo proprio, & adæquato subiecto, sed verum latiùs patet ente, ergò non est eius proprietas. Minor probatur, nam ens tantùm dicitur de ijs quæ sunt, verum autem etiam dicitur de ijs quæ non sunt, ergò verum latiùs patet ente. Probatur antecedens quò ad secundam partem, siquidem intellectus verè apprehendit non ens non esse, & hoc indicat per secundam operationem, sed non ens non esse est verum, ergò verum dicitur etiam de ijs quæ non sunt.

18 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem nego antecedens, ad probationem distinguo consequens, loquendo de veritate complexa, concedo consequentiam; de veritate simplici, nego consequentiam. Quando ergò statuitur veritas vt proprietas entis sermo est de veritate simplici, non verò complexa; vndè licèt veritas complexa ambiat etiam non entia, quià tamen veritas simplex hoc non facit ideò nihil contrà nos.

19 Respondetur secundò: Non entia vt sunt negationes, & priuationes non appræhendi ab intellectu, vt non entia sunt, sed sub ratione entis, & ideò sicut obiectum appetitus non solùm est bonum reale, sed etiam bonum apparens, ità etiam obiectum intellectus ne dùm erit ens, sed etiam id quod apparet ens; Vndè sicuti verum se diffundit ad non entia, ità etiam ens, sed tamen vt apprehensa sub ratione entis. Ità D.Th.p.1. q.16. art.3. ad 2. & q.1. de ver. art.1. & 7.

20 Arguitur secundò. Si verum esset proprietas entis deberet conuerti cum ipso, sed hoc nequit fieri, ergò verum non est proprietas entis. Probatur Minor; si verum conuerteretur cum ente sequeretur eandem rem posse simul esse veram, & falsam, sed hoc est absurdum, ergò nequit verum conuerti cum ente: probatur sequela Maioris, siquidem etiam falsitas reperitur in rebus, ergò cum aliundè veritas in omnibus reperiretur iam sequeretur eamdem rem esse simul veram, & falsam.

21 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego sequelam, ad probationem nego antecedens, & dico quod in rebus nulla reperitur falsitas, cum omnes sint conformes exemplaribus diuinis, in quo veritas entitatiua, & transcendentalis consistit; vndè falsitas solum reperitur in propositionibus, & illa opponitur veritati complexæ, non verò simplici, quæ tantùm est proprietas entis.

22 Arguitur tertiò contrà secundam Conclusionem. Verum conuertitur cum ente, sed ens nullam dicit habitudinem ad intellectum; ergò neque verum. Probatur Minor, dicit enim solùm ordinem ad esse, ergò nullam dicit habitudinem ad intellectum.

23 Respondetur negando consequentiam; siquidem sufficit sola distinctio rationis penes

nes

nès implicitùm, & explicitum ad hoc vt de ente dicatur, quod non importat habitudinem ad intellectum, de vero autem quod illam importet, sicut stante hac distinctione indiuisio prædicatur de vno, non verò de ente.

24 Arguitur quartò contrà tertiam, & quartam Conclusionem: Veritas in essendo definitur quod sit adæquatio rei ad intellectum; veritas verò formalis, quod sit adæquatio intellectus ad rem, sed adæquatio significat principaliter relationem, ergò tàm veritas in essendo, quàm veritas formalis significant principaliter relationem.

25 Respondetur distinguendo Maiorem, adæquatio transcendentalis; concedo Maiorem; prædicamentalis, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Tàm veritas ergò in essendo, quàm veritas formalis significant adæquationem, sed non prædicamentalitèr sumptam; ità quod sit pura relatio rei ad intellectum, vel intellectus ad rem, sed transcendentalitèr sumptam, nimirum, vt dicit rem adæquatam intellectui, vel intellectum adæquatum rei, sicut omnes relationes transcendentales significant absolutum, vt connotans, vel dicens ordinem ad aliud, & ideò semper stat, quod veritas tàm formalis, quàm in essendo significent entitatem primariò, & secundariò relationem.

26 Arguitur vltimò: illud significat principalitèr relationem, & in ea consistit, quod habet proprietates relatiuorum, sed huiusmodi est veritas formalis, ergò veritas formalis significat principalis relationem, & in illa consistit. Probatur Minor, vna ex proprietatibus relatiuorum est, quod vnum mutetur ad mutationem alterius, sed conceptus intellectus mutatur de vero in falsum ad mutationem obiecti, ergò veritas formalis habet proprietates relatiuorum, & consequentèr principaliter relationem significat.

27 Respondetur negando Minorem; ad probationem distinguo Maiorem: quæ tamèn sit proprietas relatiuorum tàm prædicamentalium, quàm transcendentalium, concedo Maiorem, solùm prædicamentalium, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Talis ergò proprietas non solùm competit relatiuis prædicamentalibus, quæ puram relationem significant, sed etiam transcendentalibus, quæ important aliquod absolutum cum respectu, & connotatione alterius, cuiusmodi est conceptus intellectus, qui non respicit obiectum tanquàm purum terminum, sed veluti vt proprium specificatiuum in genere causæ formalis extrinsecæ; quòd autem etiam competat relatiuis transcendentalibus liquet, nam actus moralis ad solam mutationem finis transit de bono in malum, vt patet in dante eleemosinam propter vanam gloriam, & tamèn non est relatiuum prædicamentale, sed transcendentale. Vltrà quam quod non remanet idem actus intellectus numero, sicut nec idem actus moralis, & ideò nihil contrà nos.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm veritas consistat in adæquatione cum intellectu diuino, an verò creato?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò; quod nomine adæquationis non est intelligenda similitudo inter intellectum, & rem, quæ intelligitur in natura, & secundum esse, cum multoties intellectus, qui est spiritualis cognoscat res corporeas, & materiales, sed debet esse similitudo penès speciem expressam, & impressam, quia vtraque est similitudo rei, quam intellectus percipit, quamuis species ex-

expressa sit Maior, vtpoté in actu secundo, quàm species impressa, quæ est tantum similitudo in actu primo.

2 Aduertendum est secundò nomine rerum non intelligendas esse res, quæ quomodocumque obijciuntur intellectui; ità quod illæ res dicantur veræ, quæ ea ratione, qua obijciuntur intellectui sunt illi adæquatæ, sic enim sequeretur quod monstra, & chimeræ dicerentur veræ, ex eo quod, quatenùs obijciuntur intellectui, sunt illi adæquatæ, scilicet conformes conceptibus, quibus repræsentantur, & apprehenduntur. Intelliguntur ergò tantùm res, vel actu, vel aptitudine existentes.

3 Prima sententia tenet veritatem consistere in adæquatione cum intellectu nedùm diuino, verùm etiam creato. Ità Mastrius.

4 Secunda sententia defendit talem adæquationem nullatenus desumendam esse à intellectu diuino. Ità Aureolus, & Vasquez.

5 Tertia sententia docet veritatem consistere solùm in adæquatione cum intellectu diuino. Ità Thomistæ cum Angelico, & plures Scotistæ cum Alensi, & Scoto; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

6 PRima Conclusio. Veritas rerum non consistit in adæquatione cum intellectu creato, sed tantum diuino.

7 Probatur primò ex D Th. p. p. quæst. 16. art. 1. vbi ait. *Res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum nostrum; dicitur enim domus vera, quæ assequitur similitudinem formæ, quæ est in mente artificis, & similiter res naturales dicuntur veræ esse, secundum quod assequuntur similitudinem specierum, quæ sunt in mente diuina; dicitur enim verus lapis, quià assequitur propriam lapidis naturam secundam conceptionem diuini intellectus.* Item quæst. 1. de Verit. art. 2. dicit: *quod naturalis res dicitur vera secundum adæquationem ad intellectum diuinum, in quantum implet hoc, ad quod est ordinata per intellectum diuinum.* Et art. 8. subdit *quod in rebus est veritas secundum quod imitantur intellectum diuinum, qui est rerum mensura, sicut ars est mensura omnium artefactorum*, ergò de mente Cherubici Præceptoris vera Conclusio.

8 Probatur secundò ratione. Illud est constitutiuum alicuius, quod primariò in ipso concipitur, & ad quod cætera consequuntur, sed id, quod primò concipitur in veritate rerum est adæquatio earum cum intellectu diuino, & ex hac sequitur adæquatio cum intellectu creato, ergò veritas rerum constituitur per adæquationem cum intellectu diuino, non verò creato: probatur Minor ex D. Tho. q. 1. de veritate art. 2. quia priùs, & magis per se est veritatem esse in se, quam æstimationem veram in alio causare, hoc enim supponit iam veritatem in se, & sic est aliquod consequutum ad ipsam, non per se primò constituens; sed res per adæquationem cum intellectu diuino sunt in se veræ, per adæquationem verò cum in intellectu creato causant veram æstimationem in illo, ergò id quod primò concipitur &c.

9 Probatur tertiò. Veritas rerum est adæquatio earum cum sua prima, & propria mensura, sed solus intellectus diuinus est propria mensura omnium rerum, ergò veritas rerum non consistit in adæquatione cum intellectu creato, sed tantum diuino. Maior patet: Minor probatur primò; siquidem conceptus, & similitudines, quæ sunt in intellectu creato, vel non sunt mensuræ rerum, sed potiùs mensurantur ab eis, vt conceptus hominis, Leonis, &c. vel si sunt mensuræ, vt sunt ideæ cathedræ, Scamni, Nauigij in mente artificis existentes, non sunt talium rerum primæ mensuræ, sed deriuantur ab illis, quæ sunt in mente diuina, ergò solus intellectus diuinus est propria, & prima mensura omnium rerum. Probatur secundò eadem Minor; primum ens, nimirum Deus ex eo dicitur verum, quia est adæquatum intellectui diuino, ergò cum omnia alia entia

tia ab hoc primo ente deriuentur, ex eo dicentur vera, quià adæquantur eidem.

10 Probatur quartò. Intellectus creatus nequit esse mensura veritatis rerum, ergò earum veritas solùm consistet in adæquatione cum intellectu diuino; antecedens probatur primò: veritas rerum est infallibilis, sed intellectus creatus non est infallibilis, ergò &c. Probatur idem antecedens secundò. Veritates sunt vt in plurimum æternæ, vt hominem esse animal; triangulum habere tres angulos, sed intellectus creatus non fuit ab æterno, ergò nequit esse mensura veritatis rerum.

11 Probatur vltimò. Res practicæ, & artificiales dicuntur veræ per conformitatem ad intellectum practicum, à quo fiunt, non verò per ordinem ad intellectum speculatiuum, à quo solùm cognoscuntur, sed omnes res naturales comparantur ad intellectũ diuinũ, tanquã ad intellectũ practicum, à quo fiunt, ad intellectum verò creatum tamquàm ad intellectum speculatiuum, à quo cognoscuntur, & si aliquæ, scilicet artificiales fiunt, hoc semper est dependenter ab intellectu diuino, ergò &c.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

12 Arguitur primò ex D. Tho. quæst. 1. de Veritate art. 2. vbi ai: *res naturalis inter duos intellectus consti tuta secundùm adæquationem ad vtramque vera dicitur, secundùm verò adæquationem ad intellectum diuinum dicitur vera in quantùm implet hoc, quod est ordinatum per intellectum diuinum; secundùm autem adæquationem ad intellectum humanum dicitur res vera in quantùm nata est de se facere veram æstimationem*. Item art. 6. ait: *res dicitur vera per comparationem ad intellectum diuinum, & humanum*; ergò de mente Angelici Doctoris veritas consistit in adæquatione nedùm cum intellectu diuino, sed etiam creato.

13 Respondetur explicando Sanctissimum Doctorem diuerso modo, concedo antecedens, eodem modo, nego antecedens, & consequentiam. Intendit ergò Angelicus Doctor quod per ordinem ab intellectum diuinum res dicantur veræ primariò, & constitutiuè, in ordine verò ad creatum secundariò, & consequutiuè. Priùs enim, & principaliùs est id quod pertinet ad constituendam rem in se, quàm ad perficiendum aliud. Veritas autem respicit intellectum diuinum vt constituatur in se, & intellectum humanum, vt perficiendum à se; vndè iam supponitur habẽs in se veritatem transcendentalem, & hoc demonstrant tot testimonia D. Th. pro nostra sententia adducta.

14 Instabis primò. D. Tho. quæst. 1. de Verit. art. 1. inquit: *conuenientiam ergò ad appetitum exprimit hoc nomen bonum, conuenientiam verò entis ad intellectum exprimit hoc nomen verum*, sed ibi sumit tùm appetitum, tùm intellectum pro appetitu, & intellectu humano, ergò veritas rerum primò consistit in adæquatione cum intellectu humano.

15 Respondetur negando consequentiam: Siquidem ibi D. Th. non explicat veri atem transcendentalẽ per id, quod primariò illam constituit, sed per aliquod quod illã infallibiliter comitatur, ac consequitur, vt est conformitas cum intellectu nostro per modum causatiui veritatis formalis in illo; ex hoc enim quod aliquod in se verum est per conformitatem cum ideis diuinis natum est causare in intellectu nostro veram sui apprehensionem.

16 Instabis secundò: S. Thomas per conuenientiam entis cum appetitu humano exprimit primariam rationem bonitatis transcendentalis, ergò etiam per conuenientiam entis cum intellectu humano explicabit primariam rationem veritatis transcendentalis; antecedens patet, nam bonum dicit conuenientiam per modum perfectiui, non est autem perfectiuum appetitus diuini, sed tantùm humani, consequentia verò liquet à paritate rationis.

17 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quia bonitas transcendenta-

talis creata constitui debet per ordinem ad illum appetitum, à quo primò potest appeti, cuiusmodi est solus appetitus creatus, cum tantùm illius sit perfectiua; veritas verò transcendentalis consistit in conformitate cum sua prima mensura, qualis est solus intellectus diuinus, & ideò in ordine ad illum debet constitui. Et quidem D. Th. quæst. 1. de Veritate art. 2. postquàm explicauit hanc duplicem adæquationem cum intellectu diuino, & humano subdit, *prima autem ratio veritatis per prius inest rei, quàm secunda, quia prior est comparatio ad intellectum diuinum, quàm humanum; Vndè etiam si intellectus humanus non esset, adhuc res dicerentur vera in ordine ad intellectum diuinum, sed si vterque intellectus, quod est impossibille, intelligeretur auferri nullo modo veritatis ratio remaneret*, Hæc S. Doct.

18 Arguitur secundò; in eo debet consistere veritas transcendentalis quod superaddit ad ens, sed huiusmodi non est adæquatio cum intellectu diuino, ergò non consistit in illa. Maior patet: nam est passio entis, habetque conceptum formalem à conceptu entis distinctum: Minor probatur, id quod superadditur ad ens nequit esse reale, sed rationis tantùm; sed talis adæquatio cum intellectu diuino est realis, ergò non superadditur ad ens.

19 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem: quod superadditur implicitè, concedo Maiorem, explicitè, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo. Itaque ens secundum se implicat huiusmodi adæquationem cum intellectu diuino, quæ deindè magis explicatur per ipsam veritatem transcendentalem, vt pari modo contingit de alijs passionibus entis, quæ cum sint transcendentes oportet, quod mutuò imbibantur in ipsa entitate, & entitas in ipsis.

20 Instabis primò. Veritas transcendentalis non solùm reperitur in rebus creatis, sed etiam in Deo, sed in Deo non addit etiam explicitè adæquationem cum intellectu diuino, ergò neque in rebus creatis, Minor probatur, siquidem veritas, quæ est in Deo dicit omnimodam identitatem cum diuino intellectu, ergò &c.

21 Respondetur distinguendo Maiorem, vt analogicè tamen vna, concedo Maiorem, vniuocè, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Veritas ergò transcendentalis vtique tàm reperitur in rebus creatis, quàm in Deo, sedtamèn solùm proportionaliter vna, quia in Deo veritas nec est mensurata, nec dependens ab intellectu diuino; vndè potiùs constituitur per summam identitatem cum illo; veritas autem creata est mensurata, & est dependens, & ideò est dispar ratio.

22 Instabis secundò. Esto veritas creata sit dependens, & mensurata, tamèn nequit constitui per adæquationem cum intellectu diuino, ergò eadem ratio erit, ac de veritate increata; antecedens probatur, nam talis adæquatio est ordo, & habitudo, quam res dicunt ad intellectum diuinum, sed huiusmodi ordo fundatur in ipsis rebus, easque supponit, ergò &c.

23 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego Minorem; non enim est relatio prædicamentalis, quæ debet habere aliquod fundamentum à se ipsa distinctum, sed est relatio transcendentalis, quæ nil aliud importat, quam ipsam entitatem creatam vt mensuratam, & regulatam ab ideis, seu exemplaribus in mente diuina existentibus.

24 Instabis tertiò. In artefactis non ideò Domus v. g. vera est, quià adæquatur cum intellectu artificis, sed potiùs adæquatur cùm illo, quià vera est, ergò similiter in naturalibus non ideò res creatæ veræ erunt, quià adæquantur cum intellecta diuino, sed potiùs adæquantur, quia sunt veræ, consequentia probatur; nam non minùs intellectus artificis practicè concurrit ad domum construendam, quam intellectus diuinus ad res creatas efformandas, ergò &c.

25 Respondetur distinguendo antecedens: si ly quià dicat rationem à posteriori, concedo antecedens, à priori, nego antecedens, & consequentiam: sub diuersa ergò ratione vtrumq; verificatur, tàm in naturalibus,

ralibus, quàm in artificialibus; à posteriori enim arguitur illas adæquari cum intellectu practicè efformante eas, quià sunt veræ; à priori autem probatur illas esse veras, quia adæquantur cum eodem intellectu.

26 Arguitur tertiò: si veritas esset desumenda ex adæquatione cum intellectu diuino, sequeretur omnes res esse æqualitèr veras, consequens est absurdum, ergò & antecedens: Minor liquet ex Arist. 2. Met. cap. 1. dicente: *quasdam res esse alijs veriores*; Maior etiam patet; nam omnes res ex æquo referuntur ad intellectum diuinum, & cum eo adæquantur, cum adæquatio in indiuisibili consistat.

27 Respondetur distinguendo Maiorem: si res comparentur cum intellectu diuino, concedo Maiorem, si inter se, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam: itaq; res creatæ dupliciter possunt conferri: primò cum exemplaribus existentibus in intellectu diuino; secundò inter se, si primo modo sumantur omnes sunt veræ æqualitèr, cum omnes adæquentur cum suis exemplaribus, ex eo quòd adæquatio in indiuisibili consistat; si verò secundo modo sumantur datur inæqualitas inter illas, quià quædam sunt magis entia, quam aliæ, & quædam magis participant naturam diuinam, quàm aliæ; certum autem est quod quò magis aliquod est ens, magisq; de natura diuina participat eò est verius.

28 Instabis primò: adæquatio, seù conformitas rerum cum intellectu diuino est realis relatio, sed veritas nullam relationem realem significat; ergò non consistit in adæquatione rerum cum intellectu diuino.

29 Respondetur distinguendo Maiorem: est relatio realis prædicamentalis, nego Maiorem, est relatio realis transcendentalis, concedo Maiorem, & eodem modo distincta Minori, nego consequentiam: veritas igitur vt vidimus significat primariò entitatem, sed quià illa est conformis, ac adæquata cū intellectu diuino tanquā primæ sui mensura, ideò secundariò quoque significat habitudinem, seù relationem mensurati ad primam mensuram, quæ habitudo non est prædicamentalis, sic enim esset realitèr distincta ab entitate, sed transcendentalis.

30 Instabis secundò: adæquatio, seù conformitas est relatio æqualitatis, sed intellectus diuinus non est æqualis cum rebus creatis, ergò veritas rerum creatarum nequit consistere in conformitate, & adæquatione cum intellectu diuino.

31 Respond. distinguendo Maiorem: est relatio æqualitatis Geometricæ, concedo Maiorem; Aritmeticæ, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Licèt enim inter intellectum diuinum, & res creatas non detur æqualitas Aritmetica scilicet omnimoda, datur tamen Geometrica scilicet proportionis, qua ratione adæquantur etiam per modum potentiæ, & obiecti; & sicut inter Deum, & Creaturam datur amicitia vtrique excellentiæ, ità potest dari talis commensuratio.

32 Arguitur quartò. Conceptus nostri speculatiui ex eò dicuntur veri, quià adæquātur ipsis rebus conceptis, ergò non omnis veritas desumenda est ex adæquatione cum intellectu diuino; antecedens probatur, nam conceptus Leonis ex eo verus est quià adæquatur Leoni, & conceptus hominis ex eo verus est, quià adæquatur homini, ergò &c.

33 Respondetur primò distinguendo antecedens; proximè, & immediatè, concedo antecedens; remotè, & radicaliter, nego antecedens, & consequentiam; ad probationem respondetur eodem modo. Conceptus ergò nostri ideò dicuntur veri, quia proximè, & immediatè adæquantur cum ipsis rebus; remotè verò, & radicaliter cum exemplaribus diuinis; vndè de primo ad vltimum semper veritas eorum pensanda est ex adæquatione cum intellectu diuino.

34 Respondetur secundò: quod hic est sermo de veritate transcendentali reperta in rebus, non verò de veritate formali, quæ in intellectu inuenitur.

35 Arguitur quintò: si veritas rerum consisteret in adæquatione, & conformitate cum intellectu diuino tanquam prima mensura sequeretur nec Philosophos, nec artifices, rerum naturalium, aut artificialium

T posse

posse veritatem comparare, hoc non est dicendum, ergò neque primum. Sequela Maioris probatur, nam sine prima mensura veritatis nequit veritas comparari, sed exemplaria diuina sunt nobis maximè occulta, ergò &c.

36 Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguo Minorem: In se ipsis, concedo Minorem, in lumine naturali, nego Minorem, & consequentiam. Exemplaria ergò in mente diuina existentia in se ipsis occulta sunt, sed tamen manifestantur nobis in lumine naturali intellectui impresso, quod est quædam participatio luminis diuini, istud autem indifferenter communicatur cuilibet iuxtà illud Psalmi. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; & indè fiat quod Philosophi etiam Gentiles possunt aliquas veritates naturales attingere, licèt non omnes, vt dicitur in materia de Gratia, cum hic status sit status naturæ lapsæ.

37 Arguitur sextò: in ordine ad intellectum diuinum non sumitur falsitas rei, ergò neque veritas; consequentia patet, quià veritas, & falsitas cum sint oppositæ versantur circà idem. Antecedens probatur, tùm quia idea diuina est indeficiens, & infallibilis, tùm quia Deus est causa vniuersalissima totius entis, vndè si ab vna idea aliquod deficit relabitur in aliam, cui conformatur in sua linea, & gradu, ergò &c.

38 Respondetur negãdo consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, circà idem à quo possunt sumi, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Contraria ergò sunt circà idem in eo, in quo contrarietatem habent; falsitas autem non contrariatur veritati respectu idearum diuinarum, à quibus verificantur res, cum propter rationem assignatam in argumento ibi non sit capacitas falsitatis; sed solùm respectu nostri intellectus, in quo talis capacitas reperitur; per ordinem autem ad ideam diuinam nihil dicitur falsum nisi actus peccaminosus quò ad formale malitiæ, cum totaliter deficiet à Deo vt à regula moralitatis, & fine; imò non habeat ideam in Deo.

39 Arguitur vltimò: non minùs bonitas, quàm veritas creata est participatio diuinæ naturæ, sed bonitas non constituitur per ordinem ad Deum, sed per ordinem ad voluntatem à qua appetitur, ergò etiam veritas non constituetur per ordinem ad intellectum diuinum, sed per ordinem ad intellectum creatum, à quo cognoscitur.

40 Respondetur negando consequentiam. Et disparitas est, quià bonitas sequitur ens vt perfectum non solum in ipso esse, & quidditate vt constituente subiectum, sed etiam vt finalizante, & mouente appetitum, cum bonum sit diffusiuum sui; & ideò constituitur per ordinem ad appetitum creatum; at veritas transcendentalis præcipuè consistit in legitimatione ipsius rei, & discretione illius ab eo quod falsum, & fictum est, quod nequit fieri nisi per suam primam mensuram, quæ est intellectus diuinus, & ideò est dispar ratio.

41 Aduerto tamen cum Io: à S. *Tho.* aliud esse quærere per quod cognoscatur veritas rerum, aliud per quod constituatur; vndè v. g. veritas auri benè dignoscitur per accidentia extrinseca nimirùm per pondus, colorem, & soliditatem, imò nec illam cognoscere possumus nisi ex accidentibus, cum nostra cognitio à sensibus dependeat, qui solum accidentia percipiunt; tamèn cum accidentia præsupponant essentiam rei constitutam, præsupponunt & ipsam veritatem transcendentalem, & cum eadem veritas sit definitionis, & definiti vtraque ab aliquo alio desumenda est, quod vtique debet habere rationem primæ mensuræ, qualis est intellectus diuinus.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm veritas in rebus sit formaliter, an solùm fundamentaliter?

§. I.

Quædam præmittuntur.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendū est, quod sicut sanum tripliciter dicitur: primò formaliter, sicut animal dicitur sanum, quià ei inest forma sanitatis. Secundò causaliter, sicut medicina dicitur sana, quià est causa sanitatis in animali, & tertiò significatiuè, sicut vrina dicitur sana quià significat sanitatem. Ità etiam vt insinuauimus suprà verum tripliciter dicitur, primò formaliter, & ità actus intellectus formaliter dicitur verus, aut falsus, secundùm quod conformatur, vel nō conformatur, cum suo obiecto; secundò causaliter, sicut res dicunrur veræ, quià causant veritatem in intellectu humano: tertiò significatiuè, vt sunt propositiones, quæ per hoc dicuntur significare verum, vel falsum; sicut autem medicina est sana tantùm causaliter, vel fundamentaliter, ità quod formaliter non denominetur sana, nisi extrinsecè à sanitate existente in animali, ità consurgit difficultas, an præsupposito quod veritas transcendentalis consistat in conformitate cum ideis diuinis, an inquam, ipsæ res solùm causaliter, & fundamentaliter possint dici veræ; ità quod formaliter non denominentur veræ, nisi extrinsecè à veritate formaliter existente in intellectu illas cognoscente, an verò etiam formaliter, & intrinsecè possint dici veræ, non quidem veritate formali quæ est propria intellectus, sed veritate entitatiua, & transcendentali; sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

2 PRima Conclusio. Veritas in ordine ad intellectum creatum non reperitur in rebus formaliter, & secundum essentiam, sed tantùm causaliter.

3 Probatur primò. Ideò res dicuntur veræ in ordine ad intellectum creatum, quià natæ sunt efficere veram sui apprehensionem in ipso, sed hoc nil aliud est, quam esse causam veritatis in intellectu existentis, & expressæ per ipsā, ergò veritas in ordine ad intellectum creatum est in rebus solùm causaliter, non verò formaliter. Minor patet: Maior est D. Tho. q. 1. de Verit. art. 2. in Corpore.

4 Probatur secundò. Eodem modo se habent res ad intellectum creatum in ratione veri, sicut medicina ad animal in ratione sani, sed medicina in tantùm est sana, quià est causa sanitatis existentis in animali, ergò similiter res in tantùm dicuntur veræ, quià sunt causa veritatis existentis in intellectu.

5 Secunda Conclusio. Veritas transcendentalis quæ est in rebus in ordine ad intellectum diuinum formaliter, & secundum essentiam reperitur in illis.

6 Probatur primò ex D. Tho. q. p. de verit. art. 4. in corp. vbi habet: *Veritas quæ dicitur de rebus in comparatione ad intellectum humanum est rebus quodammodò accidentalis, quia posito, quod intellectus humanus non esset, nec esse posset adhuc res in sua essentia permanerent, sed veritas, quæ dicitur de eis in comparatione ad intellectum diuinum eis inseparabiliter communicatur, non enim subsistere possunt nisi per intellectum diuinum eas producentem in esse*, ergò de men-

mente Sanctissimi Præceptoris vera Concl.

7 Probatur secundò. Veritas transcendentalis nil aliud est, quàm adæquatio rerum cum exemplaribus existentibus in mente diuina, sed huiusmodi adæquatio formalitèr, & secundum essentiam reperitur in rebus, ergò &c.

8 Probatur tertiò. Omnes res creatæ comparantur ad intellectum diuinum, eo modo quo artificiales comparantur ad ipsam artem, sed adæquatio cum arte reperitur in rebus artificialibus formaliter, ergò quoque adæquatio cum intellectu diuino reperitur in rebus creatis formaliter.

9 Probatur vltimò: proprietates competunt suis subiectis, non solùm fundamentalitèr, & radicalitèr, sed etiam formalitèr, sed veritas transcendentalis est proprietas rerum, ergò ipsis competit nedùm radicalitèr, & fundamentalitèr, sed etiam formalitèr.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

10 Arguitur primò contrà secundam Conclusionem ex Sancto Thoma p. p. q. 16. art. 1. ad 3. vbi ait: *quod licèt veritas intellectus nostri à re causetur, non tamen oportet quodin re per priùs inueniatur ratio veritatis; sicut neque in Medicina per priùs inuenitur ratio sanitatis, quàm in animali, virtus enim Medicinæ, non sanitas eius, causat sanitatem, cum non sit agens vniuocum, & similiter esse rei, non veritas eius causat veritatem in intellectu. vndè Philosophus dicit, quod opinio, & oratio vera est ex eo quod res est, non ex eo quod vera est.* Item q. 1. de ver. art. 1. docet, veritatem formalitèr in solo intellectu reperiri; ergò per D. Tho. veritas solùm fundamentalitèr, seù causaliter reperitur in rebus.

11 Respondetur negando consequentiam; D. Th. enim solùm loquitur de veritate formali, quæ consistit in manifestatione, & expressione veritatis transcendentalis, & entitatiuæ. Talis enim manifestatio formalitèr solùm est intellectu, & causaliter in rebus, non autem de veritate transcendentali, & entitatiua, quæ consistit in adæquatione cum ideis diuinis, hanc enim fatetur esse formalitèr, & intrinsecè in ipsis rebus.

12 Instabis primò: Philosophus 1. Met. cap. 3. ait: *bonum, & malum sunt in rebus; verum autem, & falsum in intellectu*, sed bonum, & malum, ità sunt in rebus, vt nullo modo possint esse in appetitu, ergò etiam verum, & falsum, ità erunt in intellectu, vt nullatenùs possint formalitèr esse in rebus.

13 Respondetur negando consequentiam. Bonum enim, & malum non diuiduntur in malum, & bonum entitatiuè, seù transcendentalitèr, & bonum, & malum formalitèr; quià voluntas non trahit ad se obiectum, sed ab obiecto trahitur; vndè non reperitur bonitas formalis in voluntate; sicut in intellectu reperitur veritas formalis, cum ad se obiectum trahat, & ideò vltrà veritatem formalem, quæ formalitèr est tantùm in intellectu, reperitur veritas transcendentalis, quæ formalitèr est in rebus.

14 Instabis secundò: si rebus veritas formalitèr conueniret, etiam falsitas illis competeret, consequens est falsum, ergò & antecedens; Minor patet, nam falsitas formalitèr solùm in intellectu inuenitur, & nullatenùs in rebus, cum omnes adæquentur intellectui diuino, & solùm causatur in intellectu per deceptionem, quandò non concipit rem vt est in se; Maior verò probatur, siquidem vbi inuenitur vnum contrarium etiam & aliud inuenitur, sed verum, & falsum sunt contraria, ergò &c.

15 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo Minorem, prout comparantur ad intellectum creatum, concedo Minorem, prout comparantur ad res, nego Minorem, & consequentiam. Verum enim, quod conuenit rebus non habet falsum pro contrario, vt egregiè inquit, Ferre p. p. tract. 8. q. 1. res enim quæcumque à Deo fiunt non possunt non conformari ideis suis: siquidem primus artifex cum sit prima regula omnium operum non potest in operando deficere, ità quod opus non euadat vnifor-

me

tiæ suæ ideæ; vndè sicut Deus est bonus sinè oppositione malitiæ, & sapiens sinè oppositione ignorantiæ, & erroris, verus sinè oppositione falsitatis, sic & res ab eo productæ sunt veræ sinè oppositione falsitatis; veritate transcendentali. Et licèt dentur aliqua entia spectantia ad speciem humanam, quæ cum idea hominis non conformantur, vt sunt monstra humana, non tamèn dicendum est quod illa falsa sint, quià Deus producens prædicta monstra non intendit illa assimilare ideæ hominis, sed illis ideis, per quas ea operatur, eisque conformia sunt, vnde licèt respectu nostri sint entia à casu, tamen respectu Dei sunt per se intenta.

16 Arguitur secundò: in hoc differunt intellectus, & appetitus, quod appetitus fertur in res vt sunt à parte rei, intellectus verò fertur in res, quatenùs in ipso continentur, sed intellectus fertur in verum tanquam in obiectum; ergò veritas solùm reperitur in intellectu.

17 Respondetur distinguendo Maiorem quatenùs continentur in ipso in sua imagine, concedo Maiorem, in se ipsis, nego Maiorem, & cõcessa Minori nego consequentiam; Intellectus ergò trahit res ad se, & illas continet in se ipso non secundum esse reale, & in se ipsis, sed secundum esse intentionale, & in sua imagine; vndè non sequitur quod verum sit solum in intellectu.

18 Arguitur vltimò: Ideò res creatæ sunt veræ formaliter quia repræsentant veritatem diuinorum exemplarium, sed ex hoc conuincitur tantùm esse veras in significando, ergò res non sunt veræ formaliter.

19 Respondetur distinguendo Maiorem; & etiam quià ea adæquant, concedo Maiorem, præcisè quia repræsentant, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam: Res enim creatæ dicuntur veræ, non solùm quià repræsentant veritatem diuinorum exemplarium, sed etiam quià illa adæquant; vndè secundùm diuersam rationem possunt dici veræ formaliter, & in significando.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Relatio, quam superaddit veritas ad ens sit realis, vel Rationis?

§. I.

Quibusdam præmissis Veritas aperitur.

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod res creatæ quatenùs sunt veræ veritate entitatiua, & transcendentali adæquantur cum intellectu diuino, & quatenùs veram sui existimationem causant in intellectu humano etiam cum illo adæquantur: Vndè sequitur quod ad vtrsique dicant ordinem, seù habitudinem; & hoc ex sua intrinseca ratione superaddit veritas suprà ens. Quæritur ergò an huiusmodi relatio sit realis, vel rationis, & incidentur hoc indagamus etiam in Deo; Vndè sit.

2 Prima Conclusio: Relatio conformitatis naturæ diuinæ cum intellectu diuino, in qua consistit veritas diuina, est relatio rationis.

3 Probatur primò. Ista relatio nequit esse realis, ergò est tantùm rationis: antecedens probatur; inter intellectum, & naturam diuinam non intercedit distinctio realis, ergò neque relatio realis, cum ista semper extrema realiter distincta petat.

4 Probatur secundò. Si huiusmodi conformitas esset relatio realis, sequeretur quod in diuinis præter quatuor relationes; scilicet Paternitatem, Filiationem, Spirationem actiuam, & spirationem passiuam daretur alia relatio realis, sed hoc est contrà omnes Theologos, ergò talis relatio non est realis.

5 Secunda Conclusio. Neque veritas formalis diuina vt respicit creaturas est relatio realis.

6 Pro-

6 Probatur primò: Veritas formalis diuina quatenùs respicit creaturas consistit in conformitate intellectus diuini cum rebus creatis, sed ista nequit esse relatio realis, ergò veritas &c. probatur Minor, si enim esset relatio realis intellectus diuinus dependeret à creaturis, cum illas respiceret tanquã mensuram, & non mensuratum, ergò &c.

7 Probatur secundò. Relatio mensuræ ad mensuratum non est relatio realis, sed rationis, sed conformitas intellectus diuini cum rebus creatis est relatio mensuræ ad mensuratum, ergò non est relatio realis. Maior patet, nam licèt mensuratum referatur realitèr ad mensuram, non tamèn mensura refertur realiter ad mensuratum, vt patet in scibili respectu scientiæ, & scientia respectu scibilis.

8 Tertia Conclusio. Veritas rerum quatenùs respiciunt intellectum diuinum est relatio realis.

9 Probatur primò; nam vt ex D. Th. q. 1. de verit. art. 4. & alibi habetur veritas rerum creatarum est forma intrinseca realiter in ipsis rebus reperta, sed hoc non esset, si non esset relatio realis, sed rationis, ergò veritas rerum quatenùs respiciunt intellectum diuinum, est relatio realis.

10 Probatur secundò. Veritas rerum prout respicit intellectum diuinum est adæquatio rerum cum illo, sed huiusmodi adæquatio est realis, ergò &c. probatur Minor; nam reperitur antecedenter ad opus nostri intellectus, ergò &c.

11 Probatur tertiò. Veritas transcendentalis rerum importat entitatem cum ordine, & respectu ad ideas diuinas, sed hæc est aliquod reale, ergò veritas transcendentalis rerum, vt respicit intellectum diuinum est relatio realis, transcendentalis tamen, cum res ab ideis diuinis pendeant tanquam effectus à sua causa, nec illas vt purum terminum respiciant. Et si esset relatio prædicamentalis, seù secundum esse adhuc esset realis, cum esset relatio mensurati ad suam mensuram, quæ vtique realis est.

12 Quarta Conclusio: Veritas rerum quatenùs respiciunt intellectum humanum est relatio rationis.

13 Probatur primò ex D. Tho. q. 21. de veritate art. 1. vbi ait; *quod verum, & bonum non possunt addere ad ens nisi relationem rationis*, quod vtique est in ordine ad intellectum humanum; qua ratione conciliantur diuersa loca D. Tho. quæ videntur opposita, dum enim ponit relationem realem in veritate loquitur in ordine ad intellectum diuinum, dum autem dicit esse relationem rationis loquitur in ordine ad intellectum humanum.

14 Probatur secundò ratione: licèt relatio perfectibilis ad suum perfectiuum sit relatio realis, tamèn relatio perfectiui ad suum perfectibile est tantùm rationis, sed licèt res intellectum diuinum respiciant, vt proprium perfectiuum, tamèn intellectum humanum respiciunt vt à se ipsis perfectibilem, ergò licèt relatio adæquationis cum intellectu diuino sit realis, tamèn relatio adæquationis cum intellectu humano erit rationis; Et hoc quidem loquendo de intellectu humano speculatiuo, nam secùs est de intellectu practico, cum sit causa effectiua rerum, vt patet in intellectu artificis respectu statuæ. E contrà autem asserendum est de relatione adæquationis intellectus cum ipsis rebus, nam intellectus practicus dicit relationem rationis ad ipsas res, cum sit mensura illarum; intellectus verò speculatiuus dicit relationem realem ad ipsas, cum dicat rationem mensurati.

§. II.

Argumenta soluuntur.

15 Arguitur primò: Si veritas rerum creatarum esset relatio realis eius consideratio spectaret ad Metaphysicam, sed est hoc contrà Aristotelem, ergò non est relatio realis, Maior patet, nam obiectum Metaphysicæ est ens reale latissimè sumptum; probatur Minor, nam 6. Met. tex. 8. Aristoteles excludit verum ab eius consideratione inquiens: *vt verum ens prætermittendum*, ergò &c.

16 Respondetur negando Minorem, ad pro-

probationem explico Aristotelem, ità quòd loquatur de veritate in significando, concedo antecedens, in essendo, nego antecedens, & consequentiam. Itaque Aristoteles non vult excludendam esse à consideratione Metaphysica veritatem entitatiuam, & transcendentalem, cum sit realis, & intrinseca ipsis rebus, sed tantùm illam, quæ in propositionibus reperitur, maximè obiecto non existente; cum enim sit relatio signi ex hominum institutione prouenientis est relatio rationis.

17 Instabis primò. Comment. ibidem subdit: *Ens quod est veridicans non habet causam nisi animam*. Item D. Tho. q. 21. de verit. art. 1. cit. docet quod veritas superaddit solam relationem rationis, sed loquitur de veritate in rebus reperta, ergò etiam illa est relatio rationis.

18 Respondetur Comment. loqui de veritate in significando, & enunciatiua, non verò entitatiua, & transcendentali; ad D. Th. autem patet Responsio ex dictis, sumit enim veritatem comparatiuè ad intellectum humanum, non verò diuinum.

19 Instabis secundò. Relatio rationis est illa, quæ consequitur rem vt habet esse obiectiuè in intellectu, sed veritas etiam transcendentalis consequitur rem vt habet esse obiectiuè in intellectu, ergò veritas etiam transcendentalis est relatio rationis.

20 Resp. distinguendo Maiorem, præcisè, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam; Veritas enim transcendentalis nedùm consequitur rem vt habet esse obiectiuè in intellectu speculatiuo humano, sed sequitur ad rem primariò vt commensuratam intellectui diuino practicè illam efficienti, & veritas formalis nedùm est obiectiuè, sed etiam subiectiuè in intellectu, sicut omnes habitus, qui proinde sunt aliquid reale.

21 Instabis tertiò. Relatio eiusdem ad se ipsum est relatio rationis, & non realis, sed veritas importat relationem eiusdem ad se ipsum; ergò est relatio rationis. Minor probatur, veritas transcendentalis nil aliud est, quàm id, quod est in re adæquetur sibi pro vt est in intellectu, sed hæc est relatio eiusdem ad se ipsum, ergò &c.

22 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego Maiorem; siquidem veritas transcendentalis est conformitas non rei ad se ipsam vt est in intellectu, sed rei ad exemplaria ipsius existentia in intellectu diuino, à quibus cum realiter mensuretur, indè stat dicere relationem realem ad illa.

23 Collige ex dictis cum Iauello 6. Met. q. vlt. Verum transcendentale propriè spectare ad considerationem Metaphysicam, primò quià conuertitur cum ente, vndè si ab eius consideratione non excluditur ens, neque excluditur verum, secundò, quià Metaphysica versatur circà prima principia, & primas causas, quas necesse est esse verissimas, tertiò, quià Metaphysicus considerat omnes quidditates rerum, ergò etiam omnium rerum veritates.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm veritas formalis sit solùm in intellectu componente, & diuidente?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 Pro Resolutione huius difficultatis aduertendum est primò; quod cum operationes intellectus sint tres, scilicet simplex apprehensio, compositio, vel diuisio, & discursus; dubium nequit esse de discursu, cum ille solùm importet sequelam vnius ex alio, vndè difficultas reducitur ad primam, & secundam operationem.

2 Aduert. est secundò cum Io: à S. Thoà p. 1. q. 16. disp. 2. art. 3. quod secunda operatio

ratio intellectus duos actus habet, vnum qui apprehendit, seù format propositiones, alterum verò, qui iudicat, quorum primus vocatur ennunciatio apprehensiua, iudicium verò secundus; vterque autem spectat ad secundam operationem intellectus, quia non fiunt per simplicem terminum, sed per aliquam vnionem, seù copulam, quæ vel ipsa extrema coniungit, vel de ipsis coniunctis iudicat, & sanè cogimur istos actus distinguere, quià priùs est propositionem componi ex subiecto, & prædicato, & posteà iudicare an ità sit, vel non sit in re, vndè enunciatio solùm attendit ad coniunctionē extremorum, iudicium verò ad conuenientiam, & conformitatem talium extremorum sic vnitorum cum eo quod est in re. Clarissimè hæc actuum distinctio apparet ex eò quod sepè formatur enunciatio, & tamèn suspenditur iudicium; sicum cum repræsentatur nobis hunc hominem esse furem, & tamen iudicare non audemus.

3 Aduert. est tertiò cum Masio duobus modis posse sumi veritatem formalem: primò formalitèr, seù in actu signato. Secundò materialitèr, seù in actu exercito. Veritas formaliter, seù in actu signato sumpta est illa quæ actu reflexo cognoscitur vt veritas est, & apprehenditur sub ratione adæquationis ad res cognitas. Veritas materialitèr, seù in actu exercito, est quæcumque cognitio intellectus, quæ adæquatur rebus, vel in qua exercetur adæquatio cum ipsis, quamuis talis adæquatio non sit cognita ab intellectu. Caietanus autem, & cum eo Io: à S. Tho. opposito modo vtramque veritatem explicat, sed differentia est in solis terminis.

4 Prima sententia tenet etiam in simplici apprehensione inueniri veritatem formalem. Ità Capreolus, Ferrariensis, Soncinas, & Arauio.

5 Secunda sententia docet solùm in compositione, & diuisione veritatem formalem reperiri. Ità D. Tho. p. 1. q. 16. art. 2. & alibi, & cum eo alij Thomistæ, cum quibus stante prædicta distinctione etiam fautores primæ sententiæ consentiunt.

§. II.

Veritas aperitur.

6 PRima Conclusio. Veritas formalis materialiter, & in actu exercito sumpta non solùm reperitur in simplici apprehensione intellectus, sed etiam in sensibus.

7 Probatur. Veritas formalis est adæquatio potentiæ cum obiecto, sed non solùm intellectus in simplici apprehensione, sed etiam omnes sensus in suis actibus adæquantur cum suis obiectis, ergò veritas formalis materialiter sumpta, non solùm reperitur in simplici apprehensione intellectus, sed etiam in sensibus. Probatur Minor, siquidem sensus circà propria obiecta nullo modo decipi possunt, ergò &c. Vndè à fortiori liquet quod huiusmodi veritas reperitur etiam in apprehensione enunciatiua, cum ibi quoque reperiatur huiusmodi adæquatio.

8 Secunda Conclusio. Veritas formalis formaliter, & in actu signato sumpta nequit reperiri in simplici apprehensione, neque in apprehensione enunciatiua, sed tantùm in compositione, & diuisione.

9 Probatur primò ex D. Th. p. 1. q. 16. art. 2. & Aristotele de interpretatione cap 1. & 3. vbi ait, *verum, & falsum in compositione, diuisioneque consistere*; D. Th. verò inquit: *quando intellectus rem iudicat ità se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primò cognoscit, & dicit verum, & hoc facit componendo, & diuidendo.* Similiter primò Perhierm. lect. 3. ait; *cognoscere prædictam conformitatis habitudinem nihil aliud est, quam iudicare ità esse, vel non esse in re, quod est componere, & diuidere*, ergò de mente Aristotelis, & D. Tho. vera Conclusio.

10 Probatur secundò ratione. Veritas formaliter est in intellectu per modum cuiusdam mensurationis, qua comparat suum conceptum ad id, quod est in re, sed non fit hoc nisi per actum iudicij, seù compositionem, & diuisionem, ergò veritas formaliter non reperitur, nisi in compositione, & diui-

diuisione. Probatur Minor, quia antequam intellectus affirmet iudicando ità esse, vel non esse quamuis repræsentetur prædicatum in esse subiecto per apprehensionem enunciatiuam, adhuc tamen est indifferens ad verum vel falsum; quando autem applicat vnum alteri, & ità esse vel non esse affirmat illicò consurgit veritas, vel falsitas, quià ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

11 Arguitur primò contrà primam Conclusionem ex Aristotele, & D. Th. pluribus in locis, præcipuè primò Periherm. cap. 1. vbi ait, *quòd verum, & falsum in compositione, & diuisione consistit*; Vbi D.Th. lect. 3. subdit, *quòd in hac secunda operatione intellectus, scilicet, componentis, & diuidentis dicit Aristoteles, quod inuenitur veritas, & falsitas relinquens quod in prima operatione non inuenitur.* Item Philosophus 6. Met. tex. 8. expresè docet, *quod verum, & falsum non est in rebus, sed in mente; circà simplicia verò & quid est, nec etiam in mente*, quod repetit D. Tho. ibidem lect. 4. ergò de mente vtriusq; nulla veritas est in prima operatione intellectus.

12 Respondetur Philosophum, & S. Præceptorem loqui de veritate formali formalitèr, & in actu signato sumpta, non verò materialitèr, & in actu exercito, cum illam fateantur expresè reperiri etiam in intellectu circà simplicia, vt liquet ex Philosopho 3. de Anima cap. 6. vbi ait, *quod intellectus non omnis, sed qui est ipsius quid est ad formam accommodati est verus*; Certum autem est quod quid est attingitur per primam operationem. Itèm D. Tho. lect. 1. subdit *sed licèt ipsum intelligibile incomplexum non sit neque verum, neque falsum, tamèn intellectus intelligendo ipsum, verus est in quantùm adæquatur rei intellectæ*: sic etiam 9. Met. tex. 22. docet quòd *in simplicibus attingere, & dicere verum est, non attingere verò, est ignorare*, vbi D. Thò. subdit lect. 11. *quod attingere mente idipsum simplex, scilicet, vt apprehendatur quod quid est verum, quod est in simplicibus.*

13 Instabis primò. In vocibus simplicibus nulla reperitur veritas, vel falsitas, ergò neque in prima operatione intellectus; consequentia patet, siquidem prima operatio exprimitur per tales voces simplices; antecedens verò est Aristotelis in præfato libro de interpretatione, ergò &c.

14 Respondetur negando antecedens, ad probationem dico Philosophum loqui de veritate composita, & iudicante, quæ affirmat rem esse, vel non esse, ista enim in sola propositione reperitur, qua ratione definitur quòd sit oratio verum, vel falsum significans; non tamen negat vocibus simplicibus veritatem materialitèr, & in actu exercito.

15 Instabis secundò. In simplici rerum apprehẽsione si daretur veritas materialitèr, & in actu exercito in ea quoque daretur falsitas saltem hoc pacto, sed in illa nulla potest reperiri falsitas, ergò neque veritas. Minor est Philosophi 3. de Anima cap. 6. vbi ait, *apprehensionem indiuisibilium in ijs consistere circà quæ falsitas non inest*; Maior verò probatur: quia verum, & falsum sunt contraria, sed contraria versantur circa idem subiectum, ergò &c.

16 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo Maiorem, verum quod est in secunda operatione intellectus, concedo Maiorem, in prima operatione, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Falsum ergo opponitur tantùm verò, quod est in secunda operatione intellectus, non autem in prima, sed illi tantùm opponitur quædam simplex ignorantia rerum, aut nescientia, quia simplicia circà quæ versatur prima operatio intellectus, aut tota sciuntur, aut tota ignorantur, vt docet Aristoteles 5. Met. cap. 12.

17 Arguitur secundò. Si veritas etiam materialitèr reperiretur in simplici apprehensione intellectus sequeretur, quod quoque reperiretur in specie impressa, consequens est absurdum, ergò & antecedens;

V. Mi-

Minor patet, nam veritas est posterior natura intellectione, cum sequatur ex illa; species autem impressa est prior intellectione, cum ad illam producendam concurrat; Maior verò probatur; non minùs enim adæquatur species impressa cum obiecto, cum sit formalis similitudo obiecti, quàm simplex apprehensio, ergò vtrobique erit eadem ratio.

18 Respondetur distinguendo Maiorem, diuerso tamèn modo, concedo Maiorem, eodem modo, nego Maiorem, & distincta pari ratione Minori, nego consequentiam. Itaq; sicut adæquatio est duplex, ità & veritas duplex est; vna in actu primo, seù habitu, altera in actu secundo, seù exercitio. Veritas, & adæquatio, quæ reperitur in simplici apprehensione est in actu secundo. Veritas autem, & adæquatio, quæ reperitur in specie impressa est tantùm in habitu, seù actu primo.

19 Arguitur tertiò contrà secundam conclusionem. Propositio est oratio verum vel falsum significans, sed enunciatio apprehensiua est verè, & propriè propositio, ergò verè, & propriè in actu signato veritas reperitur in illa; probatur Minor, nam in illa reperitur subiectum, prædicatum, & copula, ergò &c.

20 Respondetur distinguendo Maiorem; quandò est formata per iudicium intellectus, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Cum ergò propositio à iudicio intellectus accipiat virtutem ad significandum verum, vel falsum, fit indè quod quatenùs præuenit illud, verum, vel falsum nequaquam significat. Sicut quià habitus accipiunt à charitate rationem virtutis ablata charitate remanent vtique in ratione habitus, non tamèn in ratione virtutis.

21 Arguitur quartò. Si veritas formaliter, & in actu signato solùm esset in compositione, & diuisione sequeretur quod neque in Deo, neq; in Angelis reperiretur, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela Maioris patet, quià in Deo, & Angelis non reperitur compositio, & diuisio, sicut neque discursus; Minor quoque videtur clara, nam veritas perfectiori modo est in Deo, & in Angelis, quam in homine.

22 Respondetur distinguendo Maiorem; si hoc esset vniuersaliter loquendo, concedo Maiorem, tantùm in intellectu humano, nego Maiorem, & concessa minori, distinguo consequens eodem modo. Quando enim dicimus quod veritas formalitèr, & in actu signato solùm est in compositione, & diuisione, hoc est comparatiuè ad intellectum humanum, non verò absolutè, & vniuersaliter; idcò enim respectu intellectus humani veritas in actu signato statuitur solùm in compositione, & diuisione, quia solùm in illis reperitur iudicium. Vndè si iudicium potest esse absque compositione, & diuisione vt in Deo, & in Angelis per simplicem apprehensionem benè poterit etiam esse veritas formalitèr, & in actu signato sumpta.

23 Arguitur vltimò. Intellectus in secunda operatione est capax veritatis formalitèr, & in actu signato, ergò etiam in prima. Antecedens patet, consequentia probatur; nam ideò est capax talis veritatis, quia in secunda operatione est reflexiuus suprà suum actum, sed etiam est reflexiuus in prima, ergò &c.

24 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo Maiorem, attingendo obiectum suprà quod reflectitur sub ratione conformitatis, & adæquationis, concedo Maiorem, per modum cuiusdam rei, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque veritas, seù adæquatio intellectus cum obiecto potest dupliciter cognosci per actum reflexum. Primò vt quædam res est præcisè. Secundò formalissimè in ratione adæquationis; primo modo cognosci potest per primam operationem, secundo modo solùm per compositionem, & diuisionem, quia hoc pacto requiritur comparatio intellectus ad rem, & rei ad intellectum, quæ nequit fieri per primam operationem intellectus.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum dentur propositiones Æternæ Veritatis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est quæstionem non procedere de propositionibus contingentibus, quales sunt istæ homo est albus, Leo mouetur, & similes; certum enim est illas non esse ab æterno veras; vndè solùm difficultas deuoluitur ad propositiones necessarias, in quibus prædicatum est de essentia subiecti, sicut sunt istæ, homo est animal, circulus est figura.

2 Prima sententia sustinet nullam dari propositionem æternæ veritatis. Ità Diuus Bonau. in 3. dist. 22. q. 1. Gabriel ibidem quæst. vnic. Zumel p. p.q. 10. a. 3.concl.2. & ex modernis Ioannes Monlorius in disp. de reb. vniu. cap. vlt. & Vincentius Montanesius in com. porphyr. qu. 13. censentes esse veras solùm quandò subiectum existit.

3 Secunda sententia docet propositiones, in quibus prædicatum est de essentia subiecti esse æternæ veritatis, & siuè subiectum existat, siuè non semper esse veras. Ità communitèr Doctores, maximè Thomistæ cum Angelico Præceptore; Vndè sit,

§. II.

Veritas aperitur.

4 PRima Conclusio. Propositiones, in quibus prædicatum est de essentia subiecti sunt æternæ veritatis.

5 Probatur primò ex D. Augustino lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. vbi docet hanc propositionem ria, & septem sunt decem semper fuisse, & futuram esse veram. Item lib. 4. de genere ad litteram cap. 2. fatetur *senarium esse numerum suis partibus absolutum, etiam si mundus nunquam esset futurus;* & inquit *multo faciliùs posse Cælum, & terram perire, quam senarium non esse numerum suis partibus absolutum*, tandem lib. 2. Soliloq. cap. 5. asserit dari quasdam propositiones ità veras, vt etiam si totum vniuersum concideret ipsæ semper permanerent veræ, vt hæc propositio, veritas est; sic etiam D. Anselmus in Dialogo de veritate, & in Monologio cap. 18. inquit, *hanc propositionem veritas est esse ità constantem, & perpetuam, vt neque initium aliquod, neque finem sit vnquam habitura.* His accedit S. Tho. p. 1. q. 10. art. 3. ad 3. vbi ait: *vera, & necessaria sunt æterna, quia sunt in intellectu æterno, qui est intellectus diuinus*, quod idem repetit q. 1. de ver. art. 5. quodlib. 8. art. 1. & pluribus alijs in locis.

6 Probatur secundò ratione. Istæ propositiones homo est animal, bis tria sunt sex vel ab æterno sunt veræ, vel non, si primum, habetur intentum, si secundum, iam verum erit has propositiones esse falsas, & ità aliqua propositio vera dabitur ab æterno. Et cum eadem ratio sit de omnibus necessarijs iam stat illas esse ab æterno veras.

7 Probatur tertiò. Ex duabus propositionibus contradictorijs siuè res existat, siuè non semper vna erit vera, & altera falsa, sed istæ sunt propositiones contradictoriæ: omnis homo est animal, aliquis homo non est animal, ergò aliqua illarum ab æterno erit vera.

8 Probatur quartò. In hoc distinguuntur propositiones necessariæ à contingentibus, quod secundæ aliquandò possunt esse veræ, & aliquandò falsæ, primæ autem semper sunt veræ, sed propositiones, in quibus prædicatum est de essentia subiecti sunt necessariæ, ergò semper sunt veræ, ac ideò ab æterno veræ.

9 Secunda conclusio. Istæ propositiones sunt

sunt æternæ veritatis quatenùs sunt in intellectu diuino.

10 Probatur. Istæ propositiones sunt æternæ veritatis in ordine ad illum intellectum, qui est ab æterno, sed solus intellectus diuinus est ab æterno, ergò sunt æternæ veritatis quatenùs sunt in intellectu diuino, vt de facto docet D. Th. locis suprà citatis.

§. III.

Argumenta soluuntur.

11 Arguitur primò contrà primam conclusionem: Ex eo quod res est, vel non est dicitur propositio vera, vel falsa, sed ab æterno neque est homo v. g. neque animal, ergò ista propositio, homo est animal non est æternæ veritatis, Minor patet, omnia enim fuerunt creata in tempore, Maior verò est Philosophi in cap. de substantia.

12 Respondetur distinguendo Minorem, quò ad existentiam, concedo Minorem, quò ad essentiam, nego Minorem, & consequentiam; nam licèt tùm homo, tùm animal non sit ab æterno quò ad existentiam; tamen sunt quò ad essentiam.

13 Instabis primò. Essentiæ rerum ab æterno, vel sunt productæ, vel improductæ, neutrum est dicendum, ergò non dantur essentiæ rerum ab æterno. Maior patet, non enim datur medium. Probatur Minor, & primò quò ad primam partem, nam hoc pacto ab æterno erunt nedùm secūdū esse essentię, verum etiam secundùm esse existentię, cū terminus creationis sit esse existentiæ; quò ad secundam partem quoque probatur, nam secùs daretur aliquod independens, & improductum à Deo, ergò &c.

14 Respondetur negando Maiorem, & dico quod in se ipsis, nec sunt productæ, nec improductæ, non enim sunt ab æterno in se ipsis, sed in creatrice essentia; vndè nec dicuntur improductæ, nec productæ, sed potiùs producibiles, quià actu, non sunt in se ipsis, sed tantùm in potentia, actu autem sunt in creatrice essentia potente illas producere, & ità in hac propositione, homo est animal verbum est significat essentiam hominis non extrà, sed intrà Deum vt est ab æterno; in se ipsis autem erunt veræ solùm negatiuè, quatenùs non sunt falsificabiles.

15 Instabis secundò. Si essentiæ rerum essent ab æterno sequeretur nihil posse propriè creari à Deo in tempore, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela Maioris probatur; nam creatio est productio totius entis ex nihilo, sed si essentiæ rerum essent ab æterno quandò aliquid produceretur non fieret totum, cum essentia iam esset producta, ergò &c.

16 Respondetur distinguendo Maiorem, si essent in se ipsis, concedo Maiorem, in creatrice essentia, nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam. Benè ergò Deus dicitur creare in tempore, quia producit tùm essentiam, tùm existentiam rerum in se ipsis ex nihilo.

17 Arguitur secundò. Res significatæ per propositiones necessarias non sunt ab æterno actu, sed solùm in potentia, ergò similiter propositiones non erunt veræ ab æterno actū, sed solum in potentia; antecedens patet, nam sunt factæ in tempore, consequentia verò probatur, nam ab eo quod res est, vel non est dicitur propositio vera, vel falsa, ergò &c.

18 Respondetur primò: distinguendo antecedens, in se ipsis, concedo antecedens, in essentia diuina, nego antecedens, & consequentiam: in se ipsis enim sunt vtique in potentia, sed in essentia diuina sunt actu, vtràquamquod ad veritatem signi sufficit, quod res significata sit futura.

19 Respondetur secundò cum Caietano negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, significati complexi orationis, concedo antecedens, significati incomplexi, nego antecedens, & consequentiam. Oratio ergò, seù propositio dicitur vera, vel falsa ab eo quod res est, vel non est significati complexi illius, ità vt includat hoc totum, homo est animal, non verò significati incomplexi, nempè hominis tantùm, & licèt implicet existere complexum sine incomple-

plexis, hoc tamen verum est quò ad existentiam extrà Deum, non autem intrà intellectum diuinum, cum cognoscat etiam non entia.

21 Arguitur tertiò: Verbum debet esse indicatiui modi, & temporis præsentis in omnibus propositionibus, ergò etiam in hac propositione homo est animal rationale verbum *Est* debet denotare tempus præsens, sed quod significat tempus præsens nequit esse ab æterno, ergò ista propositio homo est animal rationale nequit esse vera ab æterno.

21 Respondetur distinguendo antecedens, in propositionibus contingentibus, concedo antecedens, necessarijs, nego antecedens, & consequentiam. Inquit ergò Soto quod in propositionibus necessarijs Verbum, *Est* non significat cum tempore, sed abstrahit ab omni differentia temporis, & solùm designat intrinsecam, & inseparabilem connexionem, quæ intercedit inter subiectum, & prædicatum.

22 Arguitur quartò; hæc propositio Christus est homo est essentialis, sed ista non est æternæ veritatis, ergò non omnis propositio essentialis est æternæ veritatis; Minor probatur, nam in triduo mortis erat falsa, cum Christus non esset homo, ergò &c.

23 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego antecedens, ad probationem distinguo antecedens, Physicè, concedo antecedens, Metaphysicè, nego antecedens, & consequentiam: licèt ergò in triduo mortis Christus non fuerit homo Physicè, idest coniuncta anima rationalis eius corpori, fuit tamen homo Metaphysicè quantùm ad connexionem prædicati cum subiecto, quæ etiam adest mortuo subiecto.

24 Instabis; Verbum factum est homo in tempore, ergò talis propositio non erat vera ab æterno, sed hoc non obstante est propositio necessaria, ergò propositiones necessariæ non sunt æternæ veritatis.

25 Resp. distinguendo Minorem subsumptam, ex suppositione, concedo Minorem, absolutè, nego Minorem, & consequentiam. Non ergò huiusmodi propositio est necessaria absolutè, sed ex suppositione, quod verbum terminauit naturam humanam, quàm de facto in tempore assumpsit; ab æterno tamen fuit verùm dicere, quod verbum vt subsistens in natura humana est homo.

26 Arguitur vltimò contrà secundam Conclusionem: si propositiones necessariæ essent veræ ab æterno quià sunt in intellectu diuino, etiam propositiones de futuro contingenti esset veræ ab æterno, sed hoc nequit dici, ergò neque primum, sequela Maioris probatur, nam etiam istæ sunt ab æterno in intellectu diuino, ergò &c.

27 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem distinguo antecedens, diuerso modo, concedo antecedens, eodem modo, nego antecedens, & consequentiam. Sunt ergò vtique omnes in intellectu diuino, sed necessariæ vt dicentes intrinsecam connexionem prædicati cum subiecto, vndè habent duplicem veritatem, intrinsecam vnam, quæ attenditur penès illam connexionem, & extrinsecam aliam, quæ habetur per hoc, quod est in intellectu diuino. Propositiones autem contingentes non dicunt intrinsecam connexionem prædicati cum subiecto, & habent tantùm vnam veritatem, scilicet extrinsecam ex eo quod sunt in intellectu diuino, supposito decreto de talium contingentium futuritione.

ARTI-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm propositiones contradictoriæ de futuris contingentibus antè decretum diuinum sint determinatè veræ, aut falsæ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, propositiones contradictorias in materia necessaria esse ab æterno determinatè veras, vel falsas, etiam pro priori ad decretum diuinum, quo statuit futura necessaria producere; præterea in materia contingenti præterita, vel præsentia, certum est alteram ex contradictorijs esse determinatè veram, & aliam determinatè falsam; euentus enim contingens ex suppositione, quod sit præteritus, vel præsens est determinatus ad vnam, vel alteram partem; vndè solùm difficultas deuoluitur ad propositiones contradictorias de futuro contingenti.

2 Aduertendum est secundò; istas propositiones posse dupliciter considerari. Primò post decretum diuinum, quo Deus ab æterno cuncta decreuit futura, mala quidem decreto permissiuo, bona verò decreto positiuo. Secundò abstrahendo ab omni decreto diuino, vel in signo præueniente tale decretum; quærimus hoc secundo modo.

3 Prima sententia est affirmatiua, & hanc tenent Iesuitæ, vt sibi viam aperiant ad stabiliendam scientiam mediam in Theologia.

4 Secunda sententia est negatiua, & hanc docent omnes Thomistæ cum alijs extrà scholam D. Tho. vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

5 COnclusio. Propositiones contradictoriæ de futuro contingenti antè decretum diuinum non sunt determinatæ veræ, aut falsæ.

6 Probatur primò ex Philosopho 1. Periherm: cap. 8. vbi postquam dixit, *ex duabus contradictorijs de præterito, vel præsenti alteram esse veram, alteram falsam*, de futuris loquens ait; *licèt necessè sit alteram esse veram, vel falsam, non tamen hanc, vel illam distinctè*: & S. Doct. subdit, *licèt ex duabus illis propositionibus alterutra sit vera, non tamen hæc, vel illa determinatè.*

7 Probatur secundò ratione: propositio de futuro contingenti non est determinatè vera, vel falsa quamdiù eius obiectum non est determinatè futurum; sed antè decretum diuinum nihil est determinatè futurum, ergò antè decretum diuinum propositiones de futuro contingenti non sunt determinatè veræ, vel falsæ; Maior patet, nam propositio desumit suam veritatem, vel falsitatem ab obiecto; vndè stante indifferentia obiecti ad futuritionem, vel non futuritionem propositio erit indifferens ad veritatem, vel falsitatem. Probatur Minor primò ex D. Augustino tract. 68. in Ioan. dicente *Deus facit futura ea prædestinando*. Secundò ex D. Th. p. p. quæst. 16. art. 7. ad 3. nam futurum est quod habet determinationem in sua causa ad essendum, sed antè decretum diuinum res non habent determinationem in suis causis ad essendum; cum prima ex qua cæteræ dependent adhuc non intelligatur determinata, ergò &c. Tertiò, nam si antè decretum diuinum res essent determinatè veræ, vel falsæ, vel hoc haberent à se ipsis, vel ab alia causa; non primum, sicut enim nequeunt sibi dare vt sint, ità neque vt futuræ sint; nec secundum, quia antè decretum diuinum nulla causa est determinata ad agendum, ergò semper antè decretum diuinum nihil est determinatè futurum.

8 Respondent contrarij antè decretum diuinum res esse futuras determinatè à se ipsis,

ipsis, non quidem absolutè, sed ex suppositione quòd aliquandò ponetur euentus; ex eò enim quòd aliquandò Antichristus existet semper fuit verum Antichristum esse futurum, sicut ex eò quòd Adam fuit, semper verum erit Adam fuisse.

9 Sed contrà, nam antè decretum diuinum talis euentus non potest supponi potiùs futurus, quàm non futurus, ergò res non sunt antè decretum futuræ ex suppositione quòd aliquandò ponetur euentus: antecedens probatur: nam antè decretum diuinum euentus est indifferens ad futuritionem, & non futuritionem, cum nihil sit determinans ipsum ad futuritionem, ergò non potest supponi potiùs futurus, quàm non futurus.

10 Respondent contrarij, quòd licèt talis euentus non sit determinatus pro illo priori potiùs ad futuritionem, quàm non futuritionem, est tamen determinandus in sequenti signo.

11 Sed contrà primò: nam pro illo signo euentus est indifferens, quo non est determinatus, sed pro illo priori ad decretum diuinum euentus non est determinatus, ergò erit indifferens pro illo priori.

12 Contrà secundò: tale decretum est liberum, ergò est indifferens ad determinandum, & non determinandum etiam in sequenti signo, ac ideò nisi supponatur iam factum nequit desumi ab eo determinatio euentus.

13 Respondent alij res esse determinatè futuras, & ideò propositiones determinatè veras, vel falsas ex vi contradictionis, quæ cum exercitè sit etiam in signo præcedente decretum, indè stat etiam in eo signo res esse determinatè futuras.

14 Sed contrà: siquidem contradictio non magis determinat vnam partem, quàm aliam, cum æqualiter respicit vtramq; propositionem, affirmatiuam scilicet, & negatiuam, ergò neque ex vi contradictionis illam habent determinationem.

15 Probatur tertiò. In illo priori signo rationis futura contingentia non habent determinatam entitatem, neq; in se ipsis, neque in suis causis, ergò nullam habent determinatam veritatem enuntiatiuam, & transcendentalem, ac ideò neque propositiones illam habebunt. Antecedens probatur, & primò quò ad p.p. nam in se ipsis non intelliguntur existere etiam in æternitate, cum talis existentia intrinsecè dependeat ex decreto diuinæ voluntatis; iuxtà illud Apoc. 4. *propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Et iterum quomodò aliquid esset, nisi tu voluisses?* Quò ad secundam partem probatur: quià pro illo priori nondùm intelligitur determinata prima causa ad productionem alicuius futuri, ergò neque aliæ; vndè non habebunt, neque in se ipsis, neque in alijs causis determinatam entitatem.

16 Probatur quartò. Antè diuinum decretum nihil dicit ordinem ad existentiam, sed omnia remanent in statu puræ possibilitatis, ergò etiam propositiones de futuris contingentibus non sunt determinatè veræ, aut falsæ. Antecedens probatur, nam antè decretum non reperitur nisi omnipotentia diuina, sed ista ex se non respicit nisi possibilia, ergò &c.

17 Probatur vltimò. Si antè decretum diuinum futura contingentia essent determinata ad futuritionem non essent in libera Dei dispositione, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela Maioris probatur: Illud enim non est in libera Dei dispositione, quod est determinatum antequam Deus de illo disponat, sed futura contingentia essent determinata antequam Deus de illis disponeret, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

18 Arguitur primò. Futura semper habent aliquam determinationem ad essendum, ergò propositiones de illis formatæ sunt semper determinatè veræ, aut falsæ; antecedens probatur; nam vt ait D. Augustinus lib. 26. contrà Faustum cap. 4. *tàm non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita.* Et D. Anselmus lib. de Con-

cor-

cordia præscientiæ cum libertate ait: *rem futuram necessè est esse futuram, quoniam futura esse nequit, & non futura*, ergò futura semper habent certam determinationem ad essendum.

19 Respondetur distinguendo antecedens, supposito diuino decreto, concedo antecedens, antè decretum, nego antecedens, & consequentiam, & eodem modo respondeo ad prædictas, & quascumque alias auctoritates, sicut enim res non sunt futuræ nisi ex vi decreti diuini, ità neque habent determinationem nisi ex illo, ac ideò solùm post decretum Dei, tàm res determinatè sunt futuræ, quàm propositiones determinatè veræ, vel falsæ.

20 Instabis primò. Res formalitèr intelliguntur futuræ per hoc quod modò non habeant existentiam, & illam sint habituræ pro aliquo instanti sequenti, sed in hoc non includitur, seù non intelligitur inclusio decreti diuini, ergò diuinum decretum non requiritur ad rerum determinatam futuritionem, nec ad determinationem veritatis propositionum. Maior patet, Minor probatur, nam res non dicitur præsens per decretum, sed per propriam existentiam, similiter non dicitur carere existentia per ipsum decretum, sed potiùs per negationem decreti, ergò &c.

21 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens quò ad p.p. ità tamèn quod decretum diuinum præ-requiratur ad rei præsentiam, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaq; licèt decretum non constituat formaliter præsentiam rei, tamèn indispensabiliter prærequiritur ad illam, quià cum rei non possit competere ordo ad existentiam ex se, debet ei conuenire ex determinatione causæ primæ, & ità ad futuritionem rei determinatam infallibiliter prærequiritur diuinum decretum.

22 Instabis secundò. Cum Deus decreuit Antichristum futurum in instanti aliquo sequenti, vel decreuit id, quod decreturus erat, vel quod decreturus non erat; si primum, ergò decreuit fore id quod iam erat futurum, & ità decretum non prærequiritur ad rei futuritionem, si secundum, ergò iam mutatur diuina voluntas, cum decernat id quod decretura non erat, ergò dicendum est, quod antè decretum res erant determinatæ futuræ, & ità propositiones contradictoriæ determinatè veræ.

23 Respondetur negando Maiorem, non enim decreuit id, quod pro priori antecedenti decreturus erat, sed solùm id, quod pro signo antecedenti possibile erat, siquidem decretum diuinum non fuit priùs futurum, & posteà præsens cum fuerit ab æterno, sed pro signo antecedenti intelligitur diuinam voluntatem indifferentem fuisse ad decernendam, vel non decernendam Antichristi futuritionem, vndè in signo rationis subsequenti determinauerit se ad eius futuritionem.

24 Instabis tertiò: peccatum Antichristi erat peccatum futurum, & tamen nec fuit, nec potuit esse decretum diuinum de illius existentia in tempore; ergò decretum diuinum non prærequiritur ad rei futuritionem; Maior patet, Minor probatur, Deus enim non decernit mala, cum ea non decernat, quæ non vult fieri, Deus autem non vult fieri mala, ergò &c.

25 Respondetur distinguendo Minorem: decretum effectiuum, concedo Minorem, permissiuum, nego Minorem, & consequentiam; eodem modo respondetur ad probationem. Itaq; decretum de futuritione rei, debet assignari iuxtà qualitatem, & conditionem rerum, sunt autem res, quæ pro formali, & materiali veri effectus sunt per verum influxum causæ primæ in re ponendi, & de his est decretum effectiuum quò ad vtrumque; sunt quoq; res, quæ licèt pro materiali veri effectus sint, tamèn pro formali effectus non sunt, sed potiùs defectus, & his pro materiali assignatur decretum verè effectiuum, & pro formali decretum solùm permissiuum, & in hoc secundo ordine est peccatum Antichristi, vndè illi pro formali assignatur decretum permissiuum, licèt pro materiali habeat effectiuum.

26 Instabis quartò. Decretum permissi-uum

uum nequit dare futuritionem rei, ergò de existentia peccati Antichristi Deus nullum potuit habere decretum. Antecedens probatur; futuritio fit per realem influxum causæ determinantis futuritionem, sed decretum permissiuum non est realiter influxiuum, ergò &c.

27 Respondetur negando antecedens: ad probationem distinguo Maiorem, futuritio Physica, concedo Maiorem, Logica, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Futuritio ergò duplex est. Physica per realem influxum, secunda autem solùm petit esse per infallibilem sequelam; modò licèt per decretum permissiuum nequeat haberi futuritio Physica poterit tamèn haberi Logica, & ità poterit esse permissiuum decretum de peccato Antichristi pro formali.

28 Instabis quintò: decreto permissiuo nequit haberi futuritio etiam Logica, ergò nulla solutio; antecedens probatur, futuritio Logica est determinatio rei ad essendum cum Logica infallibilitate, sed hæc nequit haberi mediante decreto permissiuo, ergò &c. Probatur Minor, nam si haberetur mediante decreto permissiuo sequeretur Deum esse primum determinans ad peccatum, sed hoc est absurdum, ergò &c. Probatur Minor, siquidem non stat Deum primò determinarè etiam Logicè ad peccandum cum necessariò odio ipsius peccati, sed Deus necessariò odio habet peccatum, ergò nequit esse primum determinans ad peccandum, Minor probatur, quia Deus comprehensiuè amat suam diuinam bonitatem, ergò necessariò debet odio habere omne destructiuum illius, sed huiusmodi est peccatum, ergò &c.

29 Respond. primò cum Ferre de Futuris cont. negando antecedens, ad probationem, nego Minorem, ad probationem, transeat Maior, & nego Minorem, ad probationem distinguo consequens: omne destructiuum quò ad effectum, concedo consequentiam, quò ad affectum, nego consequentiam, & distincta pari modo Minori subsumpta, nego consequentiam. Ex eò ergò quòd Deus necessariò amat suam bonitatem solùm sequitur quod debeat odio habere omne destructiuum quò ad effectum illius, non verò quò ad affectum, cum autem peccatum sit destructiuum diuinæ bonitatis solùm quò ad affectum, indè stat, quod non debet illud necessariò odio habere.

30 Hæc Responsio in quibusdam doctis Thomistis aliquandò excitauit stuporem, sed quidem immeritò, illam namque ex sapientissimo viro de verbo ad verbum allatam hac roboraui doctrina. Quià obiectum esse [illegible] simplicitèr, & quod sit vndequaque malum, sicut obiectum necessitans amorem diuinum absolutè debet esse bonum infinitum simplicitèr, & quòd sit vndequaque bonum; certum autem est, quod peccatum non est malum infinitum simplicitèr, nec vndequaque malum, cum sub ratione entitatis sit bonum; vndè nequit necessitare Deum ad illud odio habendum, sed tantùm liberè odio habet.

31 Resp. secundò, quod adhuc stante odio necessario peccati non tollitur à Deo ratio primi determinantis, cum vnicum tantùm sit primum principium, & id faciat vt prouisor generalis, vel ad ostensionem diuinæ iustitiæ puniendo, vel misericordiæ parcendo; imò determinando per se entitatem peccati, quæ est bona solùm per accidens determinet eius malitiam (non quidem influendo, sed solùm permittendo) ob necessariam connexionem, quàm malitia habet cum entitate, eo modo quo dicitur animam esse causam motus tibiæ, non eius curuitatis.

32 Instabis sextò. Deus non permittit ea, quæ prohibet, sed Deus prohibet peccatum, ergò neq; decreto permissiuo illud determinat.

33 Resp. distinguendo Maiorem, permissione legali, concedo Maiorem, causali, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Permissio ergò duplex est legalis vna, qua aliquid subditorum arbitrio relinquitur tamquam licitū, causalis alia qua non impeditur aliquid à causa potente impedire, Deus autem tamquam legislator Sanctissimus nullum permittit malum vt lici-

tum, sed vt causa vniuersalissima, & transcendens in causando plura mala non impedit, quæ posset impedire, & hoc ob maius bonum, cum dicente Augustino tàm bonus sit, vt ex malo eliciat bonum.

33 Arguitur secundo. Lex contradictoriarum est, quod vna sit determinatè vera, & altera falsa, sed istæ duæ propositiones etiam antè decretum diuinum sunt contradictoriæ, ergò vna est determinatè vera, & altera falsa.

materia necessaria, distinguo Maiorem, in materia contingenti, subdistinguo Maiorem, de præterito, vel præsenti, concedo Maiorem, de futuro, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Contradictorias enim futuras in materia contingenti ab hac regula expressè eximit Aristoteles, cum non habeant obiectum determinatum, sicut habent contradictoriæ de præterito, vel præsenti.

35 Instabis primò. Etiam in contradictorijs de futuro vna est determinatè vera, & altera falsa, ergò nulla solutio. Antecedens probatur; ista disiunctiua, Antichristus erit, vel non erit est determinatè vera, ergò necessè est alteram partem esse determinatè veram. Consequentia probatur, non enim propositio disiunctiua est vera nisi ratione, vel vnius, vel alterius partis, ergò &c.

36 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, indeterminatè, concedo antecedens, determinatè, nego antecedens, & consequentiam; Ad veritatem ergò determinatam disiunctiuæ sufficit vel quod vna, vel altera pars indeterminatè sit vera, sicut ad hoc vt ista propositio sit vera, oculus requiritur ad videndum sufficit, vel quod dexter, vel sinister indeterminatè sit necessarius.

37 Instabis secundò. Illa propositio de futuro est determinatè vera, quæ enunciat rem sicuti est, sed ex ijs duabus Antichristus erit, Antichristus non erit, vna enunciat rem sicuti est, ergò vna est determinatè vera.

38 Respondetur distinguendo Maiorem, pro eo statu, in quo est determinata, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam; propositio enim sequitur conditionem obiecti tamquàm mensuram suæ veritatis; vndè pro eo statu quo obiectum est indifferens ad essendum, vel non essendum, sicut est antè decretum nulla propositio potest esse determinatè vera.

39 Arguitur tertiò. Intèr duas contradictorias non datur medium, sed si vna earum ergò etiam determinatè vera daretur medium, turo contingenti vna debet esse determinatè vera: Maior est Philosophi primò posteriorum lect. 5. Minor quoque videtur clara, cum nec vna, nec altera esset determinatè vera.

40 Respond. distinguendo Maiorem per modum propositionis mediatis intèr vtramque, concedo Maiorem, per modum suspensionis, & interminationis, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Differunt ergò propositiones contrariæ à contradictorijs, quià inter duas contrarias potest media propositio dari, quæ sit vera, vt inter istas ambo falsas, omnis homo est doctus, nullus homo est doctus mediat ista vera, aliquis homo est doctus, inter autem duas contradictorias nulla datur media, vt inter istas Petrus currit, Petrus non currit; cum quo tamèn stat posse dari aliquod medium per modum indeterminationis vtriusque extremi pro eo statu, quo neutra est determinata, sicut est antè decretum diuinum.

41 Instabis primò. Intèr esse, & non esse nihil mediat etiam per modum suspensionis vtriusque extremi, ergò etiam inter futurum, & non futurum, ergò duæ contradictoriæ de futuro contingenti vna, vel altera determinatè veræ erunt.

42 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, nam obiectum præsens, vel præteritum est determinatum, cum sit extrà suas causas, sed obiectum futurum non est determinatum, cum adhuc causa non intel-

intelligatùr determinata ad illud producendum, ficut eft antè decretum, fecùs autem eft, fi fit determinata, ficut eft poft decretum; vndè licèt intèr futurum, & non futurum priuatiuè, ideft pro eo ftatu, quo petit effe futurus euentus non detur medium, tamen intèr futurum, & non futurum præcifiuè, ideft pro eo ftatu, quo non petit effe futurus datur medium fcilicet abftrahere ab vtroque, eo modo quo natura fecundum fe præfcindit ab hoc quod fit vna, vel plures, non autem in fingularibus, vel in intellectu.

43 Inftabis fecundò. Nequeunt duæ contradictoriæ effe, nec fimul veræ, nec fimul falfæ, fed iftæ duæ propofitiones funt contradictoriæ Antichriftus eft determinatè futurus, Antichriftus non eft determinatè futurus etiam antè decretum, ergò etiam antè decretum vna debet effe vera, & altera falfa.

44 Refpondetur diftinguo confequens, determinatè, nego confequentiam, indeterminatè, concedo confequentiam; nihil enim aliud requirit lex contradictoriarum nifi quod vna fit vera, & altera falfa, quod autem fint determinatè veræ, vel falfæ hoc habent ex determinatione fuorum obiectorum, quæ non datur antecedenter ad Dei decretum.

45 Inftabis tertiò. Ifta propofitio Antichriftus eft futurus antè decretum determinatè eft falfa, ergò ifta contradictoria Antichriftus non eft futurus antè decretum determinatè eft vera, ac ideò ex duabus contradictorijs de futuro contingenti &c. Antecedens probatur, fiquidem adhuc prima caufa non intelligitur determinata ad eius futuritionem, ergò &c.

46 Refpondetur negando antecedens: nam talis propofitio potiùs eft de fubiecto non fupponente, cum ly Antichriftus pro priori ad decretum non fupponat, cum non verificetur iuxtà exigentiam Copulæ, quæ vult eum futurum, cum non fit determinatus ad effendum, vndè illa propofitio pro priori ad decretum neque eft vera, neque eft falfa, fed attendenda eft determinatio diuini decreti ad hoc vt verificetur, vel falfificetur.

47 Inftabis quartò. Quæuis propofitio de fubiecto non fupponente eft falfa, ergò fi talis propofitio eft de fubiecto non fupponente erit falfa, antecedens probatur, nam denotat prædicatum conuenire fubiecto, cum ei non conueniat, quià non eft, ergò &c.

48 Refpondetur diftinguēdo antecedens; negatiuè, concedo antecedens, pofitiuè, nego antecedens, & confequentiam. Eft ergò falfa negatiuè, quatenùs non eft vera, non tamèn pofitiuè, ità quod non folùm præfcindat, fed etiam excludat veritatem, hoc enim propofitio habet quando fubiectum non eft determinatum vel ad effe, vel ad non effe, fed indifferens eft ad vtrumque.

49 Inftabis quintò. Quando denotatur prædicatum conuenire fubiecto pro eo figno, quo ei non conuenit propofitio eft falfa pofitiuè, fed dicendo Antichriftus eft futurus antè decretum denotatur prædicatum conuenire fubiecto pro eo figno quo ei non conuenit, ergò &c. Maior probatur, nam dicendo modò, Antichriftus eft, propofitio eft falfa pofitiuè, quià denotatur exiftentiam conuenire Antichrifto pro eo tempore, quo ei non conuenit, ergò &c.

50 Refpondetur diftinguendo Maiorem, fi oppofitum fit determinatum, concedo Maiorem, fecùs, nego Maiorē, & diftincta eodem modo Minori, nego confequentiam; ad probationem refpondetur eodem modo; tunc ergò propofitio eft falfa pofitiuè, quando denotatur prædicatum conuenire fubiecto pro eo figno, vel tempore, quo ei non conuenit, ità tamèn, quod oppofitum ex diuina determinatione ei conueniat. Cæterum fi fit in ftatu indifferentiæ, vt eft in cafu noftro eft falfa folùm negatiuè, quatenùs non eft vera, fed abftrahit à vera, & falfa, & ità eft difparitas intèr propofitiones de Antichrifto de præfenti, cum pro hoc tempore fit determinata eius non exiftentia, fed fola futuritio, & propofitionem de Antichrifto de futuro antè decretum, cum non fit determinata eius futuritio, nec futuritio.

51 Arguitur quartò. Deus antè decretum cognofcit omnes euentus futuros, ergò funt determinatè futuri, ergò propofitiones

affirmatiuæ determinatè veræ, & negatiuæ determinatè falsæ, antecedens probatur primò, nam secùs daretur maxima imperfectio in Deo, cum daretur ignorantia; secundò, qui perfectè comprehendit causas cognoscit omnes earum effectus, sed Deus etiam antè decretum perfectè cognoscit omnes causas euentuum futurorum, ergò &c.

52 Respondetur negando suppositum antecedentis, & ipsum antecedens, scientia enim diuina pro priori ad decretum solùm fertur in possibilia, cum nequaquam futura sint antecedentèr ad illud, sed potiùs sint, quià ab eo decernuntur; ad primam probationem, nego antecedens, quià talis nescientia non est priuatiua, quæ solùm dicit imperfectionem, sed negatiua, cum pro eo signo futura non sint, ac ideò non sint cognoscibilia. Sicut non est imperfectio in Verbo quod non generet, aut in Spiritu Sancto, quod alium non spiret amorem, quià non sibi debetur, vndè cum cognitio futurorum antè decretum non debeatur intellectui diuino ex eo, quòd est impossibilis, inde fit eius carentiam negatiuam esse, & nullam in eo importare imperfectionem; ad secundam distinguo Maiorem, eo modo, quo sunt in causis, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Qui comprehendit ergò causas cognoscit earum effectus, eo modo quo sunt in causis, effectus autem non sunt determinati in suis causis antè decretum, & ideò Deus antè decretum non cognoscit eos vt determinatè futuros, sed tantùm vt possibiles.

53 Arguitur vltimò. Determinatæ essentiæ debent competere determinatæ proprietates, sed veritas, & falsitas sunt proprietates propositionis, ergò determinatæ propositionis debet competere determinata veritas, vel falsitas; tunc sic, sed propositiones etiam antè decretum habent determinatam naturam propositionis, ergò debent quoque habere determinatam veritatem, vel falsitatem.

54 Respondetur distinguendo Maiorem, si sint absolutæ, concedo Maiorem, si sint respectiuæ, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Veritas, ergò, & falsitas sunt proprietates respectiuè dependentes ab aliquo extrinseco scilicet à determinatione obiecti, vndè nequeunt determinatè competere propositioni, quamdiù obiectum est indeterminatum, vltra quàm quod non sunt proprietates propositionis veritas, & falsitas actualis, sed aptitudinalis, vt dicit capacitatem suscipiendi verum, vel falsum.

55 Ex dictis collige pari modo loquendum esse de propositionibus contradictorijs de futuro contingenti conditionato, sicut sunt istæ, si prædicabitur Euangelium Mauris conuertentur, si prædicantur Euangelium Mauris non conuertentur; istæ ergò propositiones antè decretum quoq; nec sunt determinatè veræ, nec determinatè falsæ, cum habeant obiectum indeterminatum, siquidem cum omnes euentus à voluntate Dei dependeant impossibile est, quod sint futuri etiam conditionatè quamdiù diuina voluntas manet circa illos suspensa, vt est antè decretum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO OCTAVA
DE BONITATE.

AD Vltimam accedimus entis proprietatem, quæ est bonitas, vt finem coronemus de transcendentibus; Bonum enim est, quod omnia appetunt teste Phil. primò Eth. cap. primo, & asserente Platone omne pulcrum est bonum, & omne turpe malum. Vt igitur illius explicetur natura sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ratio boni consistat in entitate absoluta, vel relatiua?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod cum in ratione boni reperiatur perfectio, & aliundè dicat etiam conuenientiam, & appetibilitatem, indè exortum est dissidium constituentium illam in aliquo absoluto, vel ralatiuo.

2 Prima sententia rationem boni in absoluto constituit; Ità Herueus quodlib. 3. q. 2. Machin 1.p.q.5. disp.11. Molina ibid. disp. vnic.

3 Secunda sententia in relatione illam collocat. Ità Durandus in 2. dist. 34.q. 1. Capreolus in 1. dist. 3. q. 3. art. 1. quibus adhæret Suarez in Met. disp.10. sect.1. licèt velit potiùs esse connotationem, seù connexionem, quam veram relationem.

4 Tertia sententia docet rationem boni primò, & per se consistere in aliqua natura absoluta, secundariò verò, & ex consequenti dicere relationem ad appetitum. Ità Caietanus 1. p. q.5.art.1. Ferrar. 1. cont. gent. cap. 37. Bannez 1. p. q.5.art.1. Zumel ibid. Masius de transf. lib. 5. cap. 4. & Fonseca 4. Met. cap. 2. q.7. sect.5. vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

5 PRima Conclusio. Ratio boni non significat naturam purè absoluram.

6 Probatur primò: ex D.Th. q.1. de ver. art. 1. in corp. vbi ait: *Conuenientiam ergò entis ad appetitum exprimit hoc nomen bonum*; Et hoc idem docet q. 21. art. 1. vbi inquit, *quod verum, & bonum suprà ens non possunt addere nisi relationem, quæ sit rationis tantùm*, ergò bonum nequit significare naturam purè absolutam.

7 Probatur secundò ratione. Eodem modo se habet appetibile ad appetitum, quo visibile ad visum, & verum ad intellectum, sed visibile, & verum non significat naturam purè absolutam, sed habitudinem quamdam etiam ad visum, & intellectum, ergò etiam appetibile, in quo consistit bonum non significabit naturam purè absolutam, sed etiam habitudinem ad appetitum.

8 Secunda conclusio. Ratio boni non significat primariò Relationem, & habitudinem.

9 Probatur primò. Natura boni maximam indicat perfectionem, sed relatio, qua talis

ealis nullam dicit perfectionem, ergò non significat primariò relationem, seu habitudinem.

10 Probatur secundò: Omnis motus fertur in bonum, sed ad relationem non datur per se motus, ergò bonum non significat principaliter relationem. Minor patet ex dictis in Physica, Relatio enim resultat ad fundamenti, & termini positionem; Maior verò probatur, quia omnis motus tendit in suum finem; finis autem, & bonum sunt idem: ergò &c.

11 Probatur tertiò: Eadem est analogicè bonitas in Deo, & in creaturis, sed in Deo non significat principaliter aliquam relationem, ergò neque in creaturis; Minor probatur, nam si significaret aliquam relationem, vel illa esset relatio realis, vel rationis, neutrum est dicendum, ergò &c. probatur Minor quò ad p. p. aliàs daretur in diuinis quinta relatio: probatur quò ad secundam partem, nam esse bonum in Deo non est formalitèr ens rationis, sed ens reale, ergò &c.

12 Probatur quartò. Bonum transcendentale est commune omnibus prædicamentis, sed relatio constituit vnum speciale prædicamentum, ergò nequit in illa bonum transcendentale consistere.

13 Tertia conclusio. Ratio boni primò, & per se significat aliquam naturam absolutam, secundariò verò, & ex consequenti relationem ad appetitum.

14 Probatur primò: Bonum significat aliquam naturam, sed non purè absolutam, nec purè relatiuam, vt constat ex dictis, ergò principaliter absolutam, & secundariò relatiuam.

15 Probatur secundò. Eodem modo se habet bonum ad appetitum, ac obiecta aliarum potentiarum ad suas potentias, sed obiecta aliarum potentiarum principaliter significant rem absolutam, & secundariò habitudinem ad suas potentias, ergò similitèr bonum; probatur Minor, nam coloratum v. g. quod est obiectum visus denotat qualitatem absolutam cum habitudine ad visum, quem habet perficere, ergò vera Minor.

16 Quarta conclusio. Huiusmodi relatio non est relatio realis, sed rationis.

17 Probatur primò ex D. Tho. quæst. 21. de verit. art. 1. vbi id expresse fatetur docens tàm verum, quàm bonum addere talem relationem rationis suprà ens, ergò &c.

18 Probatur secundò rationem. Relatio mensuræ ad mensuratum non est relatio realis, sed tantùm rationis, sed huiusmodi est relatio, quam bonum dicit ad appetitum in rationem appetibilis, ergò huiusmodi relatio non est realis, sed rationis; Maior patet, Minor probatur, nam bonum est specificatiuum, appetitus verò est potentia ab ipso specificata, ergò relatio, quam dicit bonum ad appetitum est huiusmodi.

§. III.

Argumenta soluuntur;

19 Arguitur primò contrà secundam Conclusionem. Appetibile significat relationem ad appetitum, sed bonum constituitur per rationem appetibilis, ergò bonum significat formalitèr naturam relatiuam; Minor probatur ex D. Th. p. 1. q. 5. art. 1. vbi ait *ratio bonis consistit in hoc, quod sit appetibile*, ergò &c.

20 Respondetur distinguendo Maiorem, formaliter sumptum, concedo Maiorem, radicalitèr, seù fundamentalitèr sumptum, nego Maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; ad probationem respondetur similiter. Itaque appetibile duplicitèr sumi potest; primò formalitèr, & hoc modo dicit habitudinem, & relationem ad appetitum. Secundò radicalitèr, seù fundamentalitèr, & hoc modo significat perfectionem rei, vt fundantem conuenientiam ad appetitum, quæ quidem perfectio est aliquod absolutum.

21 Arguitur secundò. Bonum, & malum sunt priuatiuè opposita, sed malum significat relationem disconuenientiæ, ergò bonum significabit relationem conuenientiæ.

22 Respondetur distinguendo Minorem, secundariò, concedo Minorem, primariò, nego Minorem, & consequentiam; Itaquè ma-

malum primò, & per se dicit priuationem perfectionis rei, secundariò verò disconuenientiam respectu alterius, & ideò bonum eodem modo non significabit relationem conuenientiæ primò, & per se, sed perfectionem naturæ, & ex consequenti solùm relationem.

23 Arguitur tertiò. Vna, & eadem res est bona, & mala respectu diuersorum, ergò bonum primò, & per se consistit in aliquo relatiuo, antecedens patet, nam calor est bonus respectu ignis, & malus respectu aquæ; consequentia probatur, nam proprietas relatiuorum est, quod respectu vnius se habeant vno modo, & respectu alterius alio modo; vt album respectu alterius albi est simile, respectu verò nigri est dissimile, ergò &c.

24 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, in secundo modo, concedo antecedens, in quarto modo, nego antecedens, & consequentiam. Talis ergò proprietas non est in quarto modo, sed in secundo; cum vtique competat omnibus relatiuis, sed non solis, cum competat etiam absolutis, nam magnum, & paruum sunt res absolutæ, & tamen vna, & eadem res est magna respectu vnius, & parua respectu alterius, vt Leo respectu Formicæ est magnus, respectu verò montis est paruus.

25 Arguitur quartò contrà tertiam conclusionem. Relatio nullam denotat perfectionem, sed bonum significat maximam perfectionem, ergò bonum neque secundariò significat relationem; probatur Minor, nam bonum, & perfectum sunt idem, ergò &c.

26 Respondetur negando consequentiam; ad hoc enim vt bonum dicat maximam perfectionem sufficit quod importet aliquod absolutum quantum ad principale significatum, sicut etiam vnum dicit maximam perfectionem ratione entis positiui, quod principalitèr significat, licèt secundariò, & in obliquo connotet negationem, quæ potiùs dicit imperfectionem.

27 Arguitur vltimò: illud quod conuertitur cum ente, & de omnibus prædicatur nequit significare relationem etiam secundariò, sed bonum conuertitur cum ente, & de omnibus prædicatur, ergò &c. probatur Maior, nam secùs omnes res essent relatiuæ, ergò &c.

28 Respondetur distinguendo Maiorem; quæ sit realis relatio, transeat Maior, quæ sit rationis, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo eodem modo consequens; Cum enim talis relatio non sit realis, sed rationis non inconuenit quod ab intellectu attribuatur omnibus rebus eo ipso quod fundant conuenientiam ad aliud.

29 Collige ex dictis, quod sicut vnum addit ad ens aliquod positiuum absolutum reduplicatiuè vt fundat negationem diuisionis, ità verum, & bonum addunt ad ens aliquod absolutum positiuum reduplicatiuè vt fundans relationem rationis ad intellectum, & appetitum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum bonum sit vera proprietas entis?

§. I.

Quibusdam præmissis Veritas aperitur.

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod est idem omninò quærere an bonum sit proprietas entis, & an sit conuertibile cum illo: Certum enim est quod quælibet proprietas conuertitur cum sua essentia, vt v. g. omne quod est rationale est risibile, & omne quod est risibile est rationale; sit ergò,

2 Conclusio: Bonum est vera, & legitima proprietas entis,

3 Pro-

3 Probatur. Illud quod competit omni enti, & fluit à natura ipsius est illius vera proprietas, sed bonum est huiusmodi, ergò est vera proprietas entis; probatur Minor, primò, quià ens, vel est Deus, vel creatura, sed Deus est maximè bonus, creatura quoque dicitur valdè bona iuxtà illud Genesis 1. *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, ergò &c. Secundò probatur illa Minor, omne ens est appetibile, cum vel sit actus, vel dicat ordinem ad actum, sed quidquid est appetibile est bonum, ergò omne ens est bonum.

§. II.

Argumenta soluuntur.

4 ARguitur primò. Nullum membrum diuidens potest conuerti cum diuiso, & esse proprietas illius, sed bonum est membrum diuidens ens; ergò nequit esse proprietas entis: Probatur Minor, nam ens diuiditur in bonum, & malum: ergò &c.

5 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego antecedens, nam malum vt malum non est ens, sed veluti nihil, & priuatio entis, vt cæcitas est priuatio visus, & tenebræ priuatio lucis, & ità malum non poterit esse membrum diuidens ens, vt quoque docet D. Thom. p. 1. q. 5. art. 2. ad 2. vbi inquit, *nullum ens dicitur malum in quantùm est ens, sed in quantùm caret quodam esse, sicut homo dicitur malus, in quantùm caret esse virtutis, & oculus dicitur malus, in quantùm caret acumine visus.*

6 Instabis primò. Ens diuiditur in verum, & bonum tanquam in duas rationes positiuas, ergò bonum non conuertitur cum ente. Consequentia probatur, nam membrum diuidens positiuè contentum sub diuiso nequit conuerti cum illo, ergò &c.

7 Respondetur distinguendo antecedens, transcendentales, concedo antecedens, particulares, nego antecedens & consequentiam. Ad probationem respondetur eodem modo. Transcendentia enim ad inuicem conuertuntur, & se se mutuò in suo conceptu formali includunt, licèt non explicent.

8 Instabis secundò. Ex eò, quòd animal diuidatur in rationale, & irrationale tanquam in duas rationes positiuas nequit rationale, aut irrationale conuerti cum animali; ergò similiter si ens diuiditur in verum, & bonum nequit aliquod illorum conuerti cum ente.

9 Respondetur eodem modo distinguendo antecedens, tanquam in rationes particulares, concedo antecedens, in rationes transcendentales, nego antecedens, & consequentiam. Diuisio enim animalis in rationale, & irrationale est in duas differentias specificas constituentes naturas inter se realiter diuersas, ens verò diuiditur in verum, & bonum tanquam in duas formalitates se ad inuicem tantùm non explicantes, licèt identicè sint idem, quià omne verum est bonum, & omne bonum est verum.

10 Instabis tertiò. Ens diuiditur in substantiam, & accidens tanquam quid transcendens, & tamen substantia non conuertitur, sicut nec accidens cum ente, ergò esto ens diuidatur in verum, & bonum tanquam in rationes transcendentales, tamen neutrum conuertetur cum ente.

11 Respondetur distinguendo Maiorem, ità quod substantia, & accidens non sint transcendentia, sicut est ens, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori nego consequentiam. Licèt enim ens sit transcendens, tamen substantia, & accidens non sunt modi transcendentales respectu entis, sed particulares, verum autem, & bonum sunt modi transcendentales, & de facto enumerantur inter transcendentia, inter quæ non numerantur substantia, & accidens.

12 Instabis quartò. De facto substantia in communi est transcendens, sicut & accidens in communi, ergò diuisio vtrobique est transcendentis in transcendentia.

13 Resp. distinguēdo antecedens, secundùm quid, concedo antecedens, simpliciter, nego antecedens, & consequentiam. Substantia ergò, & accidens abstrahens à completo, & incompleto est transcendens, ad differentiam

sub-

substantiæ, & accidentis completi, sed tamèn solùm secundùm quid, nempè solùm respectu omnis substantiæ, vel accidentis; verum autem, & bonum sunt transcendentia simplicitèr, nempè respectu cuiuscumque entis, siuè sit substantia, siuè accidens.

14 Arguitur secundò: Res Mathematicę sunt vera entia, sed istæ non sunt bonæ, ergò bonum non conuertitur cum ente, ac ideò non est proprietas illius. Minor est Philosophi 3. Met. cap. 2. ergò &c.

15 Resp. primò negando Minorem, ad probationem dico cum Zimara Philosophum locutum fuisse tantum disputatiuè, & probabilitèr, vel non in propria, sed aliorum sententia.

16 Respondetur secundò Bonum posse sumi duplicitèr. Primò vt est diuisum contrà malum, secundò vt dicit finem, vel vtilitatem in ordine ad finem; Mathematicalia ergò non sunt bona secundo modo, benè verò primo.

17 Respondetur tertiò cum D. Tho. 1. p. q. 5. art. 3. ad 4. & q. 21. de verit. art. 2. ad 4. Mathematicalia posse sumi duplicitèr, vel vt sunt à parte rei vnita cum rebus naturalibus, vel vt subsunt abstractioni ab omni materia sensibili. Si primo modo sumantur sunt bona, secùs verò secundo modo, quo pacto Philosophus loquitur, sic enim abstrahunt ab omni causa efficienti, & finali, & consequenter à ratione boni, quia finis, & bonum sunt vnum, & idem, vt docet D. Tho. 1. p. q. 5. art. 4.

18 Arguitur tertiò: Materia prima est ens, & tamèn non est bona, ergò ens, & bonum non conuertuntur, ac ideò non est proprietas illius: probatur Minor primò; omne bonum est appetibile, materia prima non est appetibilis, sed tantùm appetens, vt docet S. Tho. 1. p. q. 5. art. 3. ad 3. ergò non est bona. Secundò, vnumquodque est bonum in quantùm est perfectum, sed materia prima non est perfecta, cum non sit in actu; ergò &c.

19 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Minorem per modum formæ, & actus, concedo Minorem, secùs, nego Minorem, & consequentiam. D. Tho. ergò intelligendus est, quod materia prima non sit appetibilis per modum formæ, & actus, non tamen negat, quod non sit appetibilis per modum partis subiectiuæ compositiuæ, & constitutiuæ totius, licèt minùs principalitèr appetatur à composito, quàm ipsa forma. Ad secundam probationem distinguo Minorem, perfectione strictè sumpta, concedo minorem, latè sumpta, negò Minorem, & consequentiam. Quando ergò dicitur quod bonum vt sic dicitur perfectum non sumitur perfectio strictè in ratione actus, sed largè quatenùs dicit conuenientiam, vt docet D. Tho. quæst. 1. de malo art. 4. vbi ait *bonum importat quandam perfectionem, & vtimur largè nomine perfectionis secundùm quod in se comprehendit rationem conuenientiæ*, cum autem materia prima sit conueniens formæ, & composito in se perfecta erit perfectione largè dicta.

20 Instabis, D. Tho. 1. p. q. 5. art. 3. & q. 21. de veritate art. 2. ad 3. docet Materiam primam esse bonam solùm potestate, ergò non sentit esse actu bonam.

21 Respondetur explicando S. Doct. præciso ordine ad formam, concedo antecedens, sumpte cum habitudine ad formam, nego antecedens, & consequentiam; quando ergò D. Tho. inquit Materiam primam esse bonam solùm potestate loquitur de illa præcisò ordine ad formam; cæterum loquendo de illa cum habitudine ad formam expressè fatetur esse actu bonam vt facit 3. cont. gent. cap. 2. vbi ait: *Materia est bona ratione ordinis ad bonum, non autem ratione actualitatis in se*; & hic ad 3. p. 1. q. & ar. cit. habet *quod Materia prima participat aliquid de bono, scilicet ipsum ordinem, vel aptitudinem ad bonum.* Hoc idem docet D. Augustinus in lib. de Natura boni aduersus Manicheos cap. 18. Tomo 6. inquiens, *Materiam primam ex eo esse bonam, quod ordinatur ad formas suscipiendas, quarum omnium est commune subiectum.* Vndè in his inferioribus tres constituendi sunt gradus bonitatis. Primus formæ, secundus compositi, tertius materiæ primæ. Forma enim est bona secundum es-

sen-

sentiam, in sua tamen linea, quia est actus simplex, perfectio, & absolutio rei; bonitas compositi deriuatur à bonitate formæ, tamq; à parte intrinseca, & essentiali; Bonitas tandem materiæ primæ dicitur talis quatenùs ordinatur ad formas suscipiendas.

22 Arguitur quartò. Relatio est ens, & tamen non est bona, ergò non omne ens est bonum, ac ideò eius proprietas non est; Minor probatur, nam bonum, & perfectum dicunt habitudinem ad subiectum, quod habent perficere, relatio autem dicit habitudinem ad terminum, ergò &c.

23 Respondetur distinguendo Minorem, secundùm conceptum *Ad*, transeat Minor, secundùm conceptum *In*, nego Minorem, & consequentiam. Relatio enim habet duplicem conceptum vnum *In*, secundùm quem est verum accidens inhærens, & perficiens subiectum, alium verò *Ad*, & secundùm istum non explicat perfectionem, licèt illam implicet, est tamen sententia valdè probabilis etiam apud Thomistas, relationem etiam secundum conceptum *Ad* explicare perfectionem.

24 Arguitur vltimò: Creaturæ possibiles sunt entia, & tamen non sunt bonæ, ergò non omne ens est bonum, Minor probatur, non enim amantur à Deo, ergò non sunt bonæ.

25 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem primò nego consequentiam, siquidem amabilitas, & appetibilitas proxima non sequitur ad bonitatem transcendentalem, sed ad formalem, quià sequitur tantùm ad conuenientiam, quæ nequit haberi sine esse, vel saltem sine ordine ad illud, & hoc expresse docet D. Tho. 1. p. q. 19. art. 6. vbi docet *quod Deus cognoscit omne verum, & tamen non vult omne bonum*, vndè licèt creaturæ possibiles sint bonæ, non tamen amantur à Deo. Secundò, nego antecedens, est enim sententia probabilis quod amantur à Deo amore simplicis complacentiæ, quam sententiam sustinet Serra, & M. Iouanettus in suis Manuscriptis.

26 Respondetur secundò, quod in alia sententia creaturæ possibiles sicut in se non sunt ens, sed tantùm in creatrice essentia, ità neque sunt bonæ in se ipsis, sed tantùm in creatrice essentia.

27 Collige ex dictis bonitatem simplicitèr conuenire tantùm enti participiali, bonitatem verò secundùm quid quatenùs dicit integritatem essentiæ, cui nihil desit de prædicatis essentialibus competere etiam enti nominali.

28 PRO CORONIDE QVÆSTIONIS QVÆRES Quotuplex sit bonum?

29 Respond. esse triplex, vtile, honestum, & delectabile. Ità Diuus Thomas 1. p. quæst. 5. artic. 6. & communitèr Doctores.

30 Probatur. Bonum Physicum vel appetitur propter se, vel propter aliud, vel propter quietem, si primum, est bonum honestum, si secundum, est vtile, si tertium, est delectabile: Vndè bonum vtile erit illud quod non habet in se, vndè sit desiderabile, sed desideratur tantùm vt conducit ad alterum, & hoc modo medicina est bonum vtile; Bonum honestum est illud, quod per se appetitur abstrahendo ab hoc, quod quietet, vel non quietet appetitum, & hoc modo virtus est bonum, bonum delectabile tandem est illud, quod per se appetitur, & causat quietem, vt beatitudo.

31 Arguitur primò. Bonum per Philosophum primò Eth. diuiditur per decem prædicamenta, sed honestum, vtile, & delectabile inueniri possunt in vno prædicamento, ergò non benè in ista diuiditur bonum.

32 Respondetur distinguendo Maiorem, sub ratione entis, concedo Maiorem, sub ratione boni, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam: Bonum ergò vt inquit D. Tho. hic ad primum in quantùm est idem cum ente, diuiditur per decem prædicamenta, sed secundam propriam rationem competit sibi diuisio in honestum, vtile, & delectabile.

33 Arguitur secundò. Omnis diuisio, quæ est bona fit per opposita, sed hæc tria non videntur esse opposita, nam idem quod est honestum est delectabile, & nullum inhone-

honestum est vtile, ergò ista diuisio non est bona.

34 Respondetur distinguendo Maiorem, vel secundùm rem, vel secundùm rationem concedo Maiorem, semper secundùm rem, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Opponuntur ergò penès suas rationes formales, licèt in eadem entitate conincidant; Vndè honestum quà tale non est delectabile, nec delectabile quà tale est vtile, cum ex diuersa ratione sumantur.

35 Arguitur tertiò. Vbi vnum est propter alterum, ibi vnum tantùm est, sed vtile non est bonum nisi proptèr delectabile, vel honestum; ergò non debet vtile diuidi contrà delectabile, & honestum.

36 Respondetur distinguendo Maiorem, si sit diuisio vniuoci in vniuocata, concedo Maiorem, analogi in sua analogata, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam: Bonum enim diuiditur in ista tria sicut analogum, quod prædicatur secundùm priùs, & posteriùs; per priùs enim prædicatur de honesto, & secundariò de delectabili, tertiò de vtili, vt hic inquit D. Tho. ad 3.

QVÆSTIO NONA

De Principio Indiuiduationis substantiæ materialis.

VNiuersalissima est hæc Quæstio, tùm materialia, tùm spiritualia, tàm substantias, quàm accidentia complectens; cùm enim indiuiduum sit ens indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio, in omnibus quærenda est causa, à qua hoc proueniat; Cæterum à substantijs materialibus incipiendo, cum à diuersis Doctoribus huiusmodi causa refundatur in formam, in materiam, in quantitatem, vel tandèm in hæcceitatem; Videndum est quænam ex istis sit verum indiuiduationis principium. Vndè sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum forma substantialis se ipsa sit indiuidua, & primum principium indiuiduationis totius compositi?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod principium indiuiduationis substantiæ materialis duplex est; totale, & adæquatum vnum, comprehendens omnia essentialitèr, & in recto concurrentia ad constitutionē indiuidui materialis; Radicale, & primordiale aliud, quod sit prima radix, ad quam vltimatè reduca-

ducatur indiuiduatio. Non est in præsenti sermo de primo, sed de secundo.

2 Aduertendum est secundò, quod principium radicale indiuiduationis rursus duplex est, Physicum vnum, Metaphysicum aliud. Metaphysicum est differentia indiuidualis, seù hæcceitas, quæ sicut constituit aliquod sub specie, ità quoque distinguit ab omni alio quod prædictã speciem participat. Physicum est illud, à quo Metaphysicum desumitur tamquam ex sua ratione fundamentali. Non est quæstio in præsenti de principio indiuiduationis Metaphysico, sed Physico: Vndè vt egregiè ponderant Salmaticenses 1. p. q. 1. disput. 1. dubio 1, nec Scotus, nec Fonseca ponentes pro principio indiuiduationis hæcceitatem punctum difficultatis attigerunt, cum quærendum sit principium indiuiduationis Physicum, à quo huiusmodi differentia indiuidualis desumatur, sicut solet dici, quod genus desumitur à materia, & differentia specifica à forma.

3 Aduertendum est tertiò, quod principium Indiuiduationis Physicum adhuc duplex est, intrinsecum vnum, extrinsecum aliud; principium extrinsecum est causa efficiens, & præcipuè Deus, qui extrinsecè ad quamcumque creaturam producendam per modum principij agentis concurrit. Principium indiuiduationis intrinsecum dicitur esse aliquod intrinsecè componens ipsam substantiam materialem, quod quidem erit, vel materia, vel forma, vel aliquod accidens ipsam intrinsecè afficiens. In præsenti non quærimus de primo, sed de secundo.

4 Prima sententia affirmat formam substantialem ex se ipsa esse indiuiduam, & esse primum, seù radicale indiuiduationis principium. Ità Auicenna 6. Met. p. 1. Aueroes 1. de Ani. cap. 7. Niphus 5. Met. disp. 5. Zimara Theor. 97. Suarez disp. 5. Met. sect. 4. & alij.

5 Secunda sententia est negatiua, & hanc docent Philosophus, & D. Tho. cum suis discipulis, & pluribus ex exteris. Sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

6 CONclusio. Forma substantialis non est se ipsa indiuidua, nec primum, & radicale principium compositi materialis.

7 Probatur primò ex Philosopho 5. Met. cap. 6. vbi docet *distinctionem indiuiduorum intra eamdem speciem prouenire ex diuisibilitate materiæ*, ergò cum ab eodem capite proueniat distinctio indiuidualis, ac indiuiduatio, hæc non proueniet à forma. Item lib. 12. cap. 8. ait *quod ea quæ sunt multa numero habent materiam*, ex quo concludit primum motorem esse vnum numero, quia materiam non habet, hoc autem falsum esset si forma esset principium indiuiduationis. Tandem 10. Met. textu 25. inquit *formam esse primum principium vnitatis, & distinctionis specificæ, Materiam verò vnitatis, & distinctionis indiuidualis*; quod quoque confirmat D. Tho. ibidem lect. 2. qui perpetuus, & constans est in hac sententia; nam 2. contrà gent. cap. 93. ait *quæcumque sunt idem specie, differentia autem numero habent materiam; differentia autem, quæ ex forma procedit inducit diuersitatem speciei, quæ autem ex materia inducit diuersitatem secundùm numerum*; idem docet de ente, & essentia cap. 6. in 2. dist. 3. q. 1. art. 4. & p. 1. q. 50. art. 4. vbi ex immaterialitate Angelorum tamquam ex firmissimo fundamento deducit eorum immultiplicabilitatem purè numericam etiam attenta potentia Dei absoluta; pariter p. 1. quæst. 3. artic. 2. ad tertium ait: *formæ quæ sunt receptibiles in materia indiuiduantur per materiam*, ergò sentit non esse se ipsis indiuiduas, nec primum indiuiduationis principium: Tandem 3. de Anima lect. 8. id egregiè ostendit dicens *Natura speciei indiuiduatur per materiam, vndè principia indiuiduantia, & accidentia indiuidua sunt præter essentiam speciei, & ideo contingit sub vna specie inueniri plura indiuidua, quæ licèt non differant in naturæ speciei, differunt tamèn secundùm principia* indi-

indiuiduantia, & propter hoc in omnibus habentibus formam in materia non est omninò idem & res, & quod quid est eius; Socrates enim non est sua humanitas; in ijs verò quæ non habent formam in materia, sicut sunt formæ simplices nihil potest esse præter essentiam speciei, quia ipsa forma est tota essentia, & ideò in talibus non possunt esse plura indiuidua vnius speciei, nec potest in eis differre res, & quodquid, est eius, ergò de mente Philosophi, & D. Tho. vera Conclusio.

8 Probatur secundò ratione deducta ex vltimis verbis D. Tho. Forma per se subsistens, & omninò separata à materia habet in se plenitudinem totius speciei, nec potest esse nisi vna numero, aut in illa assignari aliquod, quod sit radix distinctionis purè indiuidualis ab alia, ergò si aliqua forma poterit solo numero multiplicari, & esse principium indiuiduationis, hoc debet oriri ex eo quòd illa non sit penitùs separata à materia, ac per consequens materia, & non forma erit radicale principium indiuiduationis, & multiplicationis purè numericæ; antecedens liquet in Angelis, & in exemplo albedinis adducto à Sanctissimo Præceptore p. p. q. 50. art. 4. quæ si esset separata à subiecto tàm actu, quàm aptitudine, ità vt nullum ordinem ad illud diceret, non posset esse nisi vna numero, consequentia probatur; nam quoties negatio est causa adæquata negationis, toties affirmatio est causa adæquata affirmationis, ergò si negatio materiæ in forma per se subsistenti causat negationem multiplicationis purè numericæ, pariter affirmatio materiæ in forma, vel in recto, vel in obliquo importatæ debet causare affirmationem talis multiplicationis purè numericæ, vt sic comprehendantur tàm formæ materiales, quàm anima rationalis, quæ vtpotè incompleta, dicit ordinem ad materiam, & omnes indiuiduantur per illam.

9 Probatur tertiò. Vnitas, & distinctio prouenniens à forma est specifica, & essentialis, ergò vnitas, & distinctio indiuidualis, & veluti accidentalis nequit prouenire ab illa, sed à materia, consequentia patet, nam à diuerso principio petit emanare distinctio, & vnitas specifica, ac purè indiuidualis; antecedens quoque liquet, nam est vnitas, & distinctio formalis, ergò est specifica.

10 Probatur quartò. Idem est principium constitutionis, ac distinctionis, sed forma substantialis nequit esse principium distinctionis purè indiuidualis, ergò neque potest esse principium constituendi vnitatem purè indiuidualem; Maior patet, Minor probatur, nam indiuidua non distinguuntur formalitèr intrà eandem speciem, sed stante vnitate formali differunt solùm materialitèr, ergò &c.

11 Probatur vltimò. Forma ex se ipsa fundat actualitatem specificam, & illimitatam, sed ratio indiuidua est limitata, imò est limitatio rationis specificæ, ergò ratio indiuidua nequit desumi à forma; Minor patet, Maior quoque videtur clara, nam actus non habet limitare, sed hoc tantùm facit potentia.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

12 ARguitur primò. Primum, & radicale principium indiuiduationis, & distinctionis compositi materialis debet esse illi intrinsecum, & maximè proprium vt est hoc, & indiuiduum, sed hæc omnia competunt formæ substantiali, & nulli alteri, ergò tantùm forma substantialis est primum, & radicale principium indiuiduationis: Maior patet, Minor probatur, & primò quò ad primam partem; nam forma substantialis est intrinseca composito, & illi maximè propria; quò ad secundam quoq; probatur: siquidem accidentia nequeunt esse intrinseca composito vt est hoc, aliàs esset ens per accidens, & non ens per se; Materia autem prima, licèt sit intrinseca composito, tamèn non est propria alicui, sed cuilibet composito substantiali communis, ergò &c.

13 Respondetur distinguo Maiorem, & maximè proprium per se, & ratione sui, concedo Maiorem, per accidens, & ratione alterius, nego Maiorem, & distincta eodem mo-

modo Minori, nego consequentiam. Forma enim substantialis non est propria composito per se, & ratione sui, cum ex se non sit *Hæc*, sed tantummodò quià recipitur in hac, vel illa materia; vndè sola materia per se, & ratione sui est maximè composito propria; cum autem aliundè sit intrinseca ipsi composito erit primum, & radicale principium indiuiduationis, & distinctionis illius ab omni alio. Ad probationem in contrarium distinguo antecedens; si sumatur vt est vna negatiuè, concedo antecedens, vt est vna positiuè, nego antecedens, & consequentiam: Materia ergò potest dupliciter sumi primò secundùm se, & ità est vna numero negatiuè, & est cuilibet composito substantiali communis; secundò potest sumi vt est signata quantitate, & hoc pacto est vna numero positiuè, & est propria huic, vel illi determinato composito substantiali.

14 Instabis primò: eadem ratione, qua excluditur forma substantialis à primo, & radicali principio indiuiduationis excluditur quoque materia prima, etgò si non conuincit pro materia prima, neque conuincet pro exclusione formæ substantialis; antecedens probatur, nam ideò forma substantialis excluditur à tali principio, quià non est *Hæc*, & propria composito, nisi ratione materiæ primæ, in qua recipitur, sed etiam materia prima non est *Hæc*, & propria composito, nisi ratione quantitatis, qua signatur, ergò &c.

15 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Minorem: nisi ratione quantitatis radicalis, concedo Minorem, actualis, nego Minorem, & consequentiam; non est ergò materia prima *Hæc*, & propria composito ratione alteriùs, quià hoc non habet ratione quantitatis actualis, quæ vtiq; realitèr ab illa distinguitur, cum illa sit substantia, hæc verò accidens, sed est *Hæc*, & propria composito ratione quantitatis radicalis, seù ordinis, quem dicit ad quantitatem actualem, qui ordo vtpotè transcendentalis est identificatus cum ipsa; vndè argumentum solùm excludit à principio indiuiduationis materiam nudè sumptam, non verò materiam signatam quantitate.

16 Instabis secundò: illud est primum, & radicale principium indiuiduationis compositi, quod est primum principium essendi respectu illius, sed forma est huiusmodi, & non materia adhuc vt signata quantitate radicali; ergò forma erit primum, & radicale principium indiuiduationis, & distinctionis numericæ. Maior patet: nam D. Th. quæst. vnica de Anima art. 1. ad 2. ait: *Vnumquodq; secundum idem habere esse, & indiuiduationem*; Minor quoque videtur clara, nam existentia emanat à forma, & non à materia, etiam vt signata quantitate radicali.

17 Respondetur primò negando Maiorem, ad probationem explico D. Th. formalitèr, concedo antecedens, radicalitèr, nego antecedens, & consequentiam: sentit ergò D. Tho. quod idem est quod præstat esse, & indiuiduationem formalitèr, non tamèn radicalitèr, sicut enim forma est *Hæc*, quià recipitur in hac numero materia, vt dictum est ex eodem p. p. q. 3. art. 2. ità præbet composito indiuiduationem dependentèr ab illa.

18 Respondetur secundò cum Salmaticensibus: quod verba Sanctissimi Præceptoris intelligenda sunt in sensu materiali, nō formali, ità quod idem vtriq; sit subiectum susceptiuum indiuiduationis, & existentiæ, sed non ità quod ab vno, & eodem fonte vtraque emanet, nam existentia vtpotè actus secundus est valdè perfecta, & ideò debet conuenire composito ratione formæ; indiuiduatio verò, cum dicat limitationem, potiùs dicit imperfectionem, & ideò debet illi conuenire ratione materiæ.

19 Instabis tertiò. Primum principium indiuiduationis debet vltimò distinguere vnam substantiam ab alia in linea substantiali, sed sola forma hoc potest facere, ergò forma, & non materia est primum principium indiuiduationis, Maior patet, Minor probatur, nàm solus actus est qui distinguit, vt docet Philosophus 7. Metaph. tex. 48. ergò &c.

20 Resp. distinguendo Maiorē, materia-

litèr, concedo Maiorem, formalitèr, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Ad probationem explicatur Philosophus eodem modo. Actus enim habet distinguere formalitèr, & essentialitèr, non verò materialitèr, & indiuidualitèr, & ideò principium indiuiduationis nequit prouenire à forma, sed à materia, vt tamèn connotat quantitatem, quæ cum sit actus, sempèr saluatur adhùc, quod actus est, qui distinguit.

21 Instabis quartò. Indiniduum est incommunicabile in linea substantiæ, ergò quod erit propinquiùs subsistentiæ, quæ reddit substantiam vltimò incommunicabilem erit potiori iure principium indiuiduationis, sed hoc pacto se habet forma, & non materia, ergò potiùs forma, quàm materia erit principium indiuiduationis.

22 Resp. distinguendo antecedens per modum subiecti, concedo antecedens, per modum termini, nego antecedens, & consequentiam; subsistentia enim reddit naturam incommunicabilem per modum termini, non autèm per modum subiecti, & ideò non sequitur, quod quià forma est propinquior subsistentiæ potiori iure sit principium indiuiduationis, cum materia prima habeat rationem primi subiecti, & ratione signationis quantitatis sit alteri incommunicabilis. Imò argumentum probat, quod ipsa subsistentia, & non forma sit primum principium indiuiduationis, & tamèn certum est subsistentiam aduenire naturæ indiuiduæ.

23 Instabis quintò. Quod est in actu principium indiuiduationis debet esse ens in actu, sed sola forma est ens in actu, & non materia, ergò forma, & non materia est principium indiuiduationis, Minor patet, Maior quoque videtur clara, nàm sicùt esse vtcumque principium alicuius supponit entitatem principij, ità esse principium in actu supponit ens esse in actu.

24 Resp. distinguendo Maiorem, quod est in actu principium, idest per modum actus, concedo Maiorem, in actu, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Aliud enim est esse principium indiuiduationis per modum actus, aliud actu, primum est falsum, cum sonet in se actualitatem habere, secundum autem est verum, quià facit sensum reuera esse indiuiduationis principium.

25 Arguitur secundò. Variata materia cum suis dimensionibus, & non variata forma manet idem numero indiuiduum, ergò signum euidens est formam, & non materiam esse primum principium indiuiduationis, antecedens probatur, etiàm si per nutritionem, & augmentationem, & continuam actionem caloris naturalis in humidum radicale deperdantur omnes partes materiæ, & aliæ de nouo succedant, tamèn quià manet eadem numero forma, manet idem numero indiuiduum, ergò &c.

26 Resp. negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, & aliàs tales partes materiæ variantur solùm materialitèr, concedo antecedens, formalitèr, nego antecedens, & consequentiam. Toto ergò tempore vitæ manet idem numero indiuiduum, quià licèt varientur partes materiæ materialitèr, & quantùm ad puram entitatem cum suis dimensionibus, manent tamèn omnes eædem formalitèr, nimirùm sub eodem situ, figura, & dispositione, & ex hoc saluatur vnitas numerica indiuidui; sicùt arbor defixa in flumio manet semper in eodem numero loco formalitèr, quià licèt varientur superficies aquæ entitatiuè, & materialitèr, tamèn sunt eædem formalitèr prout dicunt eandem numero distantiam ad polos Mundi, & centrum Terræ. Imò in animalibus imperfectis, quæ habent animas diuisibiles etiam variantur partes formæ, vndè argumentum in istis adhùc non concluderet.

27 Instabis primò. In Resurrectione vniuersali idem indiuiduum numero resurgèt, dicente Iob cap. 19. *quem visurus sum ego ipse, & non alius*, & tamèn non resurget cum eisdem partibus materiæ etiam formalitèr sumptis, sed bene cum eadem numero anima rationali, ergò forma, & non materia quomodocumque sumatur est primum prin-

principium indiuiduationis, probatur Minor, nàm omnes Pueri, & Infantes resurgent cùm corpore virili, & perfecto ætati virili correspondente, ergò non erunt eædem partes materiæ, etiam formalitèr sumptæ, scilicet sub eadem figûra, situ, & dispositione.

28 Resp. negando Minorem, ad probationem, negando consequentiam. Tunc enim solùm materialitèr, non formalitèr mutabitur corpus, quià remanente eadem materia seminali, quàm priùs in generatione habuerunt, Deus aliam de nouo superaddet, vt sic cum corpore perfecto, & ad debitam mensuram redacto resurgere valeant: vndè licèt non erit eadem figura, situs, & dispositio materialitèr, erit tamèn eadem formalitèr, quià spectabit ad consistentiam eiusdem materiæ, quàm in generatione habuerunt.

29 Instabis secundò. Demus casum, quod vir, & fœmina toto tempore vitæ humana carne vescantur, & generent filium, qui nutriatur lacte Matris ex carne humana confecto, & ipse quoque toto tempore vitæ humana carne vescatur, in tali casu non poterit resurgere cum aliqua parte materiæ, quàm priùs habuit, & tamèn stante eadem anima rationali idem numero resurget, ergò nullatenùs materia, sed forma &c. Minor patet, Maior probatur, quià quælibet pars materiæ erat caro aliena, ergò cæteri homines resurgent cum sua propria, ac ideò talis filius non poterit resurgere cum aliqua parte materiæ, quam priùs habuit.

30 Resp. quod casus est valdè Metaphysicus, & ad diuinam prouidentiam spectat impedire, ne contingat. Cæterùm admisso casu, nego Maiorem, ad probationem distinguo antecedens, facta tamèn propria, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam; itaque dico cum D. Th. 4. contr. Gent. cap. 81. ad 1. quod talis Filius resurget cum materia seminali estò aliena aliam superaddente Deo, sicùt costa Adæ resurget in Eua, non verò in Adamo, cuius ratio est, quià magis spectat ad perfectionem Euæ, quàm Adæ: & similitèr cæteri homines resurgent cum propria materia seminali, aliam superaddente Deo, vt ad debitam mensuram pertingant, sicùt addidit ad materiam costæ, ex qua Eua formata fuit.

31 Arguitur tertiò. Primum, & radicale principium vnitatis specificæ est sola forma, ergò etiam indiuiduationis, probatur consequentia, nàm ideò primum, quià licèt vnitas specifica nequeat dari sinè materia, tamèn præsupponitur vt quid potentiale, & indifferens, & forma tollit prædictam indifferentiam, ac tribuit vltimum complementum essentiale, & specificum, sed etiam forma tribuit vltimum complementum composito vt huic, & in ratione indiuidui, ergò eadem ratio est de vtraque, Maior patet, Minor probatur ex Philosopho 1. de Anima cap. 1. vbi inquit, *forma est quæ constituit hoc aliquid*, ergò &c.

32 Resp. negando consequentiam, ad probationem distinguo Maiorem, & etiam, quià primò tribuit prædictam vnitatem specificam, concedo Maiorem, præcisè per hoc, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque forma est prima radix vnitatis specificæ, quià non solùm complet, sed etiam primò tribuit talem speciem, ex eo, quod materia, vt præ-intellecta ad formam est indifferens, & tantùm vna negatiuè in ordine ad specificationem compositi. Cæterùm forma, non habet tribuere primò indiuiduationem, tàm materię, quàm composito, quià materia vt hæc, scilicet vt signata tali, vel tali quantitate, præsupponitur vt radix tàm determinatæ formæ, quàm determinati compositi substantialis, & ideò est dispar ratio. Vndè indiuiduatio, vtporè materialis, debet prouenire à materia, specificatio verò, vtporè formalis à sola forma, nec Philosophus contrarium loco citato docuit, vult enim formam constituere hoc aliquid formalitèr, non verò radicalitèr.

33 Arguitur quartò. Hæc determinata forma, non respicit hanc determinatam materiam, vt solùm in illa queat recipi. Ergò non est indiuidua ratione materiæ, sed ratione sui, ac ideò erit primum, & radicale principium indiuiduationis. Probatur antecedens, siquidem eadem materia, qua est sub for-

forma embrionis, est etiam sub forma animalis, ergò similitèr hæc determinata forma non respicit hanc determinatam materiam, vt solùm in illa queat recipi; probatur consequentia: nam forma, & materia debent sibi mutuò correspondere.

34 Resp. negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, eadem negatiuè, concedo antecedens, positiuè, nego antecedens, & consequentiam. Est enim eadem materia in embrione, & in animali, si sumatur secundùm se, & negatiuè, non verò positiuè, & vt signata quantitate. Et ideò potiùs retorquetur argumentum contrà aduersarios, sicùt enim materia vt hæc, limitatur ad hanc formam, ità forma vt hæc limitabitur ad hanc materiam, ità vt non valeat diuersas informare.

35 Instabis. Sicùt materia limitat formam, ità forma limitat materiam, sed hoc non obstante, forma non est principium indiuiduationis materiæ, ergò neque materia erit principium indiuiduationis formæ, ac ideò seipsa erit indiuidua.

36 Resp. distinguo Maiorem, diuerso modo, concedo Maiorem, eodem modo, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Materia enim limitat formam quò ad gradum indiuidualem, forma autem limitat materiam, quò ad gradum specificum, & ideò illa benè poterit esse principium indiuiduationis istius, non verò ista illius.

37 Arguitur quintò. Potest Deus, eandem numero animam, modò vnire huic corpori, modò illi, ergò forma non indiuiduatur per materiam.

38 Resp. distinguendo antecedens, in ratione mouentis, concedo antecedens, in ratione formæ, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò Deus possit vnire animam alteri corpori ab eo, cui primò fuit vnita, hoc tamèn nequit facere in ratione formæ, sed tantùm in ratione mouentis, sicùt nauta mouet nauem, & intelligentiæ cælum; & hoc ideò, quià anima habet indiuiduationem essentialitèr ab vno numero corpore: Vnde implicat transmigratio animarum à Pythagoricis ficta.

39 Instabis. Potest Deus creare plures animas materiales separatas à materia, de potentia absoluta numero tantùm distinctas Ergò in tali casu illæ non indiuiduabuntur per materiam, ac ideò seipsis; antecedens videtur clarum, nulla enim adest implicantia, sicùt de materia prima in ordine ad formam, cùm habeant rationem actus.

40 Resp. distinguendo antecedens, cum ordine tamèn ad sua corpora, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Cùm enim tales animæ, vt supponitur sint formæ essentialitèr incompletæ, imò & materiales, essentialitèr dicunt ordinem ad corpus, & ideò indiuiduabuntur semper per ordinem ad illud ex suppositione, quòd sint separatæ, si enim hoc habent animæ rationales, quæ sunt spirituales, à fortiori id continget in formis materialibus.

41 Arguitur vltimò ex Trombetta, & Mastrio. Famosissima Vniuersitas Parisiensis duobus articulis damnauit opinionem, quæ docet materiam esse principium indiuiduationis. Primus est, si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sinè materia, errat. Altèr est. Qui dixerit formam non recipere diuisionem sinè materia, errat.

42 Nec valet respondere, quod illi articuli sint solùm damnati Parisijs, non verò vbique. Nam primò, Vniuersitas Parisiensis intèr omnes meritò obtinet Principatum. Secundò. Quià sententia damnata per famosam Vniuersitatem, vbique est damnata, aut suspecta de hæresi, vt patet *extrà de hæresi, capite ad abolendam* &c.

43 Resp. celeberrimam, & famosissimam Vniuersitatem Parisiensem cæcinisse Palinodiam, & maturo consilio retractasse sententiam, quam inconsultò in D. Thomam protulerat, vt euidentissimè constat ex epistola eiusdem Vniuersitatis nomine à Stephano Parisiensi Episcopo edita Anno Domini M. CCC. XXXV. quam Bergomensis, Marletta, & Piccinardus de verbo ad verbum iterùm prælo dederunt, vbi non solùm prædicta Vniuersitas fatetur Confessorem Sanctum, ac Doctorem egregium, nil sen-

fisse, docuisse, seù scripsisse, quòd sanæ fidei, & bonis moribus aduersetur, sed magnis encomijs D. Thomam commendat, eum vocans vniuersalis Ecclesiæ lumen perlucidum, Gemmam radiantem Clericorum, Fontem Doctorum, & Vniuersitatis Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne, & lucens. Videant ergò Trõbetta, & Mastrius an buccinare debeant tuba, & canere antè victoriam triumphum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Materia secundùm se, & præcisè sumpta, an potiùs vt signata quantitatè sit primum, & radicale principium indiuiduationis compositi substantialis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo Resolutione huius difficultatis aduertendum est, quòd sicut ex præcedenti articulo constat, cùm materia, & non forma, sit primum, & radicale principium indiuiduationis compositi substantialis, videndum remanet, an materia secundum se sumpta, an verò vt signata quantitate, habeat rationem prædicti principij, præscindendo pro nunc, quid nomine signationis quantitatis intelligatur, de quo erit sermo in sequenti articulo.

2 Prima sententia sustinet materiam secundum se sumptam esse primum, & radicale indiuiduationis principium. Itá B. Albertus Magnus, cui adhæret Suarez, & alij.

3 Secunda docet materiam, non quidem secundùm se sumptam, sed vt signatam quantitate esse primum indiuiduationis principium. Itá Philosophus, D. Tho. & omnes eius discipuli; vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COncl. Materia vt signata quantitate, & non secundùm se sumpta, est primum, & radicale principium indiuiduationis compositi, & formæ substantialis.

5 Probatur 1. ex Philosopho, & D. Tho. nam Philosophus 5. Met. tex. 17. inquit, *Amplius autem alia secundùm numerum sunt vnum, alia secundùm speciem, alia secundùm genus, alia secundùm analogiam, numere quidem, quorum materia vna.* Quæ verba S. D. lect. 8. explicat hoc modo. *Ponit aliam diuisionem vnius, quòd quædam sunt vnum numere, quædam specie, quædam genere, quædam analogia; numero quidem sunt, quorum materia est vna, materia enim secundùm quod stat sub dimensionibus signatis, est principium indiuiduationis formæ, & propter hoc ex materia habet singulare, quòd sit vnum numero ab alijs diuisum.* Item super Boetium de Trinitate q. 4. a. 2. ad 1. eodem modo prædictum Philosophi testimonium exponit. *Cùm Philosophus dicit, numero sunt vnum, quorum materia est vna, intelligendum est de materia signata, quæ subest dimensionibus, aliàs oporteret dicere, quod omnia generabilia, & corruptibilia, sunt vnum numere, cùm eorum sit materia vna*, sic etiam de ente, & essentia, cap. 2. inquit. *Et ideò sciendum est, quod materia non quomodolibet accepta, est principium indiuiduationis, sed solùm materia signata, & dico materiam signatam, quæ sub certis dimensionibus consideratur. Hæc autem materia in definitione hominis inquantùm homo non ponitur, sed poneretur in definitione Socratis, si Socrates definitionem haberet: in definitione autem hominis ponitur materia non signata, non enim in definitione hominis ponitur hoc os, hæc caro, sed os, & caro absolutè,*

latè, quæ sunt materia hominis non signata. Tandem p. p. q. 50. a. 4. & alibi docet expressè, *quod etsi Angeli componerentur ex materia spirituali, adhuc non esset indiuidua eorum forma per materiam, nec materia esset principium vnitatis, aut pluralitatis indiuiduæ, sed solùm vnitatis genericæ, quia materia præcisa à quantitate corporea, non est principium indiuiduationis.* Et quidem innumera loca adducunt ex D. S. Salmaticenses, vt meritò Bannez dicat hanc sententiam ab omnibus, qui se D. Thomæ discipulos profitentur esse acceptandam.

6 Probatur 2. ratione. Illud, quod est commune cuilibet composito substantiali, nequit esse primum, & radicale principium indiuiduationis alicuius particularis, sed materia secundùm se accepta est huiusmodi, non autem vt signata quantitate, ergò &c. Maior patet, Minor probatur, nam materia secundùm se, & præcisè accepta est vna negatiuè, fit autem hæc, & vna numero positiuè, quatenùs sigillatur per quantitatem, ergò materia &c.

7 Probatur tertiò. Illud est prima radix indiuiduationis compositi substantialis, quo posito primò ponitur indiuiduatio, sed posita materia signata quantitate primò ponitur indiuiduatio totius compositi, ergò materia sign-ta quantitate &c. Maior patet, Minor probatur, nam eo ipso, quòd materia signatur hac numero quantitate determinatur potiùs ad hanc formam, & compositum, quàm ad illud, ergò posita materia &c.

8 Probatur quartò. Primæ substantiæ materiales habent à ma eria signata quantitate, tanquam à prima radice, quod sint tales, ergò materia signata quantitate, erit prima radix indiuiduationis illarum. Consequentia patet, nam primæ substantiæ materiales sunt substantiæ singulares, & indiuiduæ. Antecedens probatur, nam primæ substantiæ materiales constituuntur in ratione primarum per hoc, quod nec sint in subiecto, nec de subiecto dicantur, sed hoc nascitur tanquam ex prima radice ex materia signata quantitate, ergò &c. Probatur Minor, nam materia secundùm se sumpta est id, cui primò conuenit non esse in subiecto, cùm sit primum subiectum, quatenùs autem signatur quantitate ei competit non dici de aliquo subiecto, cùm non sit communis, sed propria huic determinato composito, ex eo quòd per quantitatem ab alijs diuiditur, ergò &c.

9 Probatur quintò. Quod non est de ratione essentiali, & quidditatiua alicuius, sed extrà eius conceptum, debet desumi ab aliquo extrinseco, sed ratio indiuidualis respectu materiæ, & formæ est huiusmodi, ergò debet desumi ab aliquo extrinseco, quod primò ipsas afficiat, cuiusmodi est quantitas; probatur Minor, nam licèt humanitas physicè sumpta non possit concipi sinè ossibus, & carnibus potest tamen concipi sinè his ossibus, & sinè his carnibus, sed hæc spectant ad rationem indiuidualem, ergò &c.

10 Probatur vltimò ratione D. Tho. 3. p. q. 77. a. 2. in corp. De ratione indiuidui sunt duo, scilicet, quod sit indiuisum, seù incommunicabile in se, & diuisum à quocumque alio; sed materia prima secundùm se, licèt sit principium incommunicabilitatis, tamèn nequit esse principium diuisionis vnius indiuidui ab alio, nisi ratione quantitatis, ergò materia se sola non est principium adæquatum indiuiduationis, sed vt signata quantitate. Maior patet, Minor probatur, nam principium diuidendi est sola quantitas, & diuisio accidit substantiæ ratione quantitatis, vt Philosoph. inquit 1. Phys. ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

11 Arguitur primò ex D. Thom. qui pluribus in locis affirmat materiam primam esse primum principium indiuiduationis compositi substantialis, nulla facta mentione quantitatis, ergò materia, se sola est principium indiuiduationis. Probatur antecedens, nam opusc. de Principio indiuiduationis inquit. *Illud ergò quod est primum subiectum omnium in via Generationis, &* in-

incompletum, quod de nullo illius generis prædicatur, materia scilicet necessariò erit primum principium esse incommunicabilis, quod est proprium indiuidui, ergò &c.

12 Nec valet resp. D. Tho. non excludere quantitatem; nam in eodem opusculo subdit: *materia enim sola est principium indiuiduationis, quò ad illud, in quo saluatur ratio primi*. Item p. p. quæst. 29. art. 1. ait. *Substantia indiuiduatur per seipsam, sed accidentia indiuiduantur per subiectum, quod est substantia, dicitur enim hæc albedo, inquantum est in hoc subiecto*, Quod idem asserit q. 9. de potentia a. 1. ad 8. *Accidentia non indiuiduantur nisi ex suis subiectis, sola autem substantia per seipsam indiuiduatur*; sed si concurreret quantitas, discrimen à D. Th. assignatum esset nullum, nam sicut accidentia indiuiduantur per substantiam, ità substantia indiuiduaretur per accidens. Ergò sentit D. Tho. materiam se sola esse principium indiuiduationis.

13 Resp. negando antecedens, ad probationem stat in suo robore resp. vt liquet ex tot testimonijs ex D. Tho. adductis pro probatione conclusionis. Et ad aliam authoritatem dico D. Thomam solùm excludere quantitatem actualem, quæ cùm sit accidens est alia à materia, non verò quantitatem radicalem, quæ vtpotè dicens ordinem transcendentalem ipsius ad quantitatem actualem est identificata cum ipsa materia; vel dico D. Th. loqui de principio indiuiduationis inadæquato, & quò ad esse incommunicabile, seù in recto sumpto, non verò de principio indiuiduationis adæquato, vt includit tàm principium incommunicabilitatis, quàm diuisionis, seù prout comprehendit omnia, quæ in recto, & in obliquo concurrũt ad indiuiduationem. Ad aliàs authorit. pariter resp. substantiam non indiuiduari per quantitatem actualem, sed radicalem, quæ non est accidens, sed substantia, seù potiùs per materiam vt præhabentem, & radicantem quantitatem, & ità esse discrimen intèr accidentia, & substantias, quod illa non indiuiduantur se ipsis, sed per aliquid diuersi generis, istæ autem indiuiduantur se ipsis, scilicet per aliquid eiusdem generis; Potest etiam dici discrimen esse, quod accidentia adæquatè, & totalitèr indiuiduantur per subiecta, substantiæ autem inadæquatè solùm, & partialitèr per quantitatem, principalitèr concurrente materia ad principium indiuiduationis illarum &c.

14 Arguitur secundò. Materia secundùm se, & præcisè sumpta est prima pars, & prima radix compositi substantialis, ergò secundùm se, & præcisè sumpta erit prima radix indiuiduationis illius. Antecedens patet, nam facta collatione intèr materiam, & formam, quæ sunt partes compositi substantialis, prior est materia, quàm forma, cùm hæc educatur de potentia illius, consequentia verò probatur, quià vnumquodque sicut est ens, ità est vnum, & indiuisum in se, ergò si materia &c.

15 Resp. distinguendo antecedens, secundùm suam speciem, & in communi consideratì, concedo antecedens, vt est hoc, & indiuiduum, nego antecedens, & consequentiam, ad probationem distinguo antecedens sicut est ens tale, & in particulari, ità est vnum, & indiuiduum, concedo antecedens, sicut est ens in communi, & vt sic, ità est vnum, & indiuiduum, nego antecedens, & consequentiam. Sicùt ergò materia secundùm se est prima radix compositi substantialis secundùm speciem, ità vt hæc est prima radix compositi substantialis in indiuiduò, non sit autem hæc per seipsam, cùm sit indifferens, sed tantùm per signationem quantitatis, & ità solùm vt signata quantitate est principium indiuiduationis.

16 Instabis primò. Sicùt specificatio desumitur à forma, ità indiuiduatio desumitur à materia, sed specificatio desumitur à forma secundùm se, & præcisè accepta, ergò etiam indiuiduatio desumetur à materia secundùm se, & præcisè accepta.

17 Resp. negando consequentiam, & disparitas est, quià forma ex se determinata est ad tribuendam hanc potiùs specificationem, quàm aliam, cùm vnicam tantùm tribuere possit, cæterùm materia ex se non est determinata ad tribuendam potiùs hanc, vel illam in-

indiuiduationem, cùm ex se, & præcisè sumpta sit vna numero negatiuè, & possit reperiri in pluribus indiuiduis; vndè ad hoc vt sit radix, & principium huius potiùs indiuiduationis, quàm illius, oportet, quòd signetur, & determinetur per quantitatem.

18 Instabis secundò. Vnitas materialis debet desumi à materia nudè sumpta, sicut vnitas formalis à forma, sed vnitas indiuidualis est vnitas materialis, ergò debet desumi à materia nudè sumpta, sicut vnitas formalis à forma; Minor patet, Maior probatur, nam ideò vnitas generica desumitur à materia nudè sumpta, quia est vnitas materialis, ergò &c.

19 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo antecedens, & quià est vnitas potentiæ Methaphisicæ indifferentis, concedo antecedens, præcisè per hoc, nego antecedens, & consequentiam. Itaque disparitas est inter vnitatem genericam, & indiuidualem, estò vtraque sit materialis, nam vnitas generica, est vnitas potentiæ Methaphisicæ indifferentis ad hoc vt contrahatur, & determinetur potiùs per hanc differentiam specificam, quàm per aliam, & ità benè potest desumi à materia nudè sumpta, & non determinata per quantitatem; At vnitas indiuidualis est vnitas rei materialis vltimò determinatæ, & diuisæ vltima diuisione, vndè petit pro principio materiam, non nudè sumptam, sed determinatam per quantitatem.

20 Instabis tertiò. Esto vnitas indiuidualis sit vnitas rei materialialis vltimò determinatæ, tamen non sequitur, quòd à sola materia nudè sumpta sumi non valeat, sicut sumitur vnitas generica, ergò semper curret paritas. Antecedens probatur, nam materia de se, & nudè sumpta est incommunicabilis, ergò ab ea nudè sumpta poterit desumi vnitas indiuidualis; antecedens patet, quia de se, & nudè sumpta est irreceptibilis in aliquo alio, cùm sit primum subiectum, consequentia verò probatur, siquidem indiuiduum dicit esse incommunicabile, ergò si &c.

21 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, negatiuè, concedo antecedens, positiuè, nego antecedens, & consequentiam, ad probationem respondetur eodem modo. Itaque materia de se nudè accepta, sicut est vna numero tantùm negatiuè, ità est incommunicabilis solùm negatiuè, vndè se sola nequit esse principium indiuiduationis, cùm indiuiduum sicut est vnum positiuè, ità sit incommunicabile positiuè; hoc autem habebit signata quantitate, cùm hoc pacto sit vna numero, & incommunicabilis positiuè.

22 Instabis quartò. Materia de se nudè sumpta est incommunicabilis positiuè, ergò nulla solutio; antecedens probatur, siquidem antequam recipiat potiùs hanc, quàm illam quantitatem, debet præintelligi hæc, singularis, & indiuidua, ergò &c. probatur antecedens, nam hæc potiùs, quàm illa quantitas nequit recipi, nisi in materia singulari, non verò communi, quæ est indifferens, ergò &c.

23 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego conquentiam; nam licèt antequam materia recipiat hanc potiùs, quàm illam quantitatem, debeat præintelligi hæc, singularis, & indiuidua, tamen non sequitur, quod de se, & nudè sumpta sit incommunicabilis positiuè, quià hoc habet per ordinem, quem dicit ad ipsam quantitatem, seù per radicationem, & præcontinentiam ipsius quantitatis; vndè dicimus materiam esse principium indiuiduationis, non quatenùs afficitur quantitate actuali, sed quatenùs signatur quantitate radicali.

24 Instabis quintò. Materia nequit dicere ordinem ad hanc potiùs, quàm illam quantitatem, seù præhabere, & radicare illam, nisi sit singularis, & indiuidua, ergò semper de se, & nudè sumpta erit incommunicabilis positiuè, ac ideò principium indiuiduationis. Antecedens probatur, nam materia communis est indifferens ad præhabendam, & radicandam omnem quantitatem, ergò &c.

25 Respondetur distinguendo antecedens,

dens, ità quod fiat singularis, & indiuidua per talem ordinem, seù radicationem concedo antecedens, ità quod præsupponatur singularis, & indiuidua antecedenter ad talem ordinem, seù radicationem, nego antecedens, & consequentiam. Itaque verum est, quod tàm hæc quantitas actualis exercitè nequit recipi, nisi in materia singulari, & indiuidua, quàm talis ordo, & radicatio particularis quantitatis, sed diuersimodè, nam quantitas actualis præsupponit ipsam materiam singularem, & indiuiduam, factam talem per ordinem, & radicationem ipsius quantitatis. Ordo autem, & radicatio esset vtique in materia singulari, & indiuidua, non verò communi, quæ est indifferens, sed ità quod non præsupponat, sed faciat ipsam singularem, & indiuiduam, cùm primum in linea diuidendi sit ipsa quantitas, & primum in vnoquoque genere sit mensura sui, & cæterorum.

26 Instabis sextò. Quilibet ordo præsupponit id, cuius est ordo, ergò si talis ordo materiæ ad quantitatem perticularem est ordo materiæ singularis, & indiuiduæ, præsupponet ipsam materiam singularem, & indiuiduam, antecedens probatur, nàm fundatur suprà illud, ergò &c.

27 Respondetur distinguendo antecedens, si sit prædicamentalis, concedo antecedens, transcendentalis, nego antecedens, & consequentiam. Itaque ordo prædicamentalis præsupponit id, cuius est ordo, cùm fundetur in illo; Cæterùm ordo transcendentalis hoc non facit, cùm sit identificatus cum ipsa re, & nil aliud dicat, quàm aliquid absolutum, vt connotans, seù habens connexionem cum alio.

28 Arguitur tertiò. Priùs intelligitur materiam esse sub hac forma, quàm sub hac quantitate, sed stante materia sub hac forma, intelligitur indiuiduum iam constitutum, ergò materia non est principium indiuiduationis, quatenùs est signata quantitate; Minor patet; Maior probatur, siquidem priùs debet esse in materia actus primus, & substantialis, quàm secundus, & accidentalis, sed forma est actus primus, & substantialis, quantitas secundus, & accidentalis, ergò &c.

29 Respondetur distinguendo Maiorem, loquendo de quantitate actuali, concedo Maiorem, radicali, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo. Ad probationem respondetur eodem modo. Verùm est ergò, quod priùs intelligitur materia sub hac forma, quàm sub hac quantitate actuali, cùm illa sit actus primus, & substantialis, hæc verò actus secundus, & accidentalis. Cæterùm prius intelligitur materia sub hac quantitate radicali, quàm sub hac forma, cùm quantitas radicalis sit ordo transcendentalis ipsius materiæ identificatus cum illa.

30 Instabis primò. Priùs intelligitur materiam dicere ordinem ad hanc numero formam, quàm ad hanc numero quantitatem, sed intellecta materia cum ordine ad hanc numero formam, intelligitur constitutum indiuiduum, ergò materia non est principium indiuiduationis vt signata quantitate etiam radicali; probatur Maior, nam priùs intelligitur materiam dicere ordinem ad actum primum, & substantialem, quàm ad actum secundum, & accidentalem, ergò &c.

31 Respondetur distinguendo Maiorem, in genere causæ formalis, & ordine intentionis, concedo Maiorem, in genere causæ materialis, & ordine executionis, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Priùs ergò materia respicit hanc formam, quàm hanc quantitatem in genere causæ formalis, & ordine intentionis. Cæterum ordine executionis, & in genere causæ dispositiuæ, & materialis, priùs respicit hanc quantitatem, quia nisi intelligatur quantitas diuidens, & sigillans materiam, nunquam poterit fieri hæc, nec respicere hanc numero formam.

32 Instabis secundò D. Thom. p. 1. q. 76. art. 6. in corp. & alibi docet, *quod ad hoc vt materia recipiat formam secundùm primum gradum essendi, non requiritur etiam per modum dispositionis aliquod accidens, vel ipsa quantitas, licèt hæc disponat ad formam,*

mam ſecundùm gradum corporis, & qualitates diſponant ad illam ſecundùm alios gradus, ſed ſtante forma in materia ſecundùm gradum eſſendi, reſultat indiuiduum entis, ergò materia eſt ſemper principium indiuiduationis vt non ſignata quantitate.

33 Reſpondetur explicando D.S. ſecundùm dimenſiones terminatas, concedo Maiorem, interminatas, nego Maiorem, & conceſſa Minori, nego conſequentiam. Itaque D. Th. opuſc. 70. q 4. art. 2. in corp. inquit, *quod dimenſiones poſſunt dupliciter conſiderari, vno modo ſecundùm earum terminationem, quatenus terminantur ſecundùm determinatam figuram, & menſuram. Alio modo conſiderari poſſunt ſinè iſta determinatione, in natura dimenſionis tantum, quamuis nunquam ſine tali determinatione eſſe poſſint, eo modo quo natura coloris nequit reperiri ſinè determinatione albi, & nigri*. Primæ ergò cùm ſint accidentia completa, vt ad 5. D. Thom. reſp. ſubſequuntur ad formam, ſecundæ autem præintelliguntur antè ipſam formam abſolutè ſumptam in materia, & ſinè his nequit intelligi indiuiduum etiam entis, vndè materia illis ſignata eſt principium indiuiduationis.

34 Arguitur vltimò. Indiuiduatio compoſiti ſubſtantialis, ſicut & diſtinctio vnius ab alijs, eſt aliquid ſubſtantiale, ergò non eſt deſumenda à materia, vt dicente ordinem ad quantitatem, quæ eſt aliquod accidens. Probatur conſequentia, ſiquidem ſubſtantia totum ſuum eſſe habet independenter ab accidente, cùm per hoc diſtinguatur ab illo.

35 Reſpondetur negando conſequentiam, ad probationem diſtinguo antecedens, ità quod excludat accidens à ratione principij ſuæ indiuiduationis, concedo antecedens, ità quod excludat illud à ratione conditionis ſinè qua non, nego antecedens, & conſequentiam. Accidens ergò indiuiduatur à ſubſtantia, tanquam à principio, & cauſa, à qua dependet in eſſe. Subſtantia verò materialis indiuiduatur, non quidem à quantitate, ſed à materia vt ſtat, aut dicit ordinem ad dimenſiones, ità quod illæ concurrant ſolùm per modum conditionis ſinè qua non; Vndè non ſequitur quod ſubſtantia habeat eſſe dependens ab accidente.

36 Inſtabis. Poſteriùs, neque vt conditio ſinè qua non, concurrit ad indiuiduationem, & diſtinctionem prioris, ſed quantitas eſt quid poſterius ad ſubſtantiam, ergò neque vt cōditio ſinè qua non concurrit ad indiuiduationem ipſius. Minor patet, nam eſt accidens. Maior probatur, nam poſteriùs ſupponit priùs iam conſtitutum, ergò &c.

37 Reſpondetur diſtinguendo Minorem, ſecundùm ſe ſumptam, concedo Minorem, vt diuiſam ab alia, nego Minorem, & conſequentiam. Itaque quantitas in obliquo connotatur à ſubſtantia, non ad conſtituendam illam in eſſe, ſed ad diuidendam ipſam ab alia. Cùm enim quantitas ſit prima in linea diuiſionis, conſequenter materia non poteſt eſſe hæc, & diuiſa ab alia, ac ideò præſtare vnitatem numericam compoſito ſubſtantiali, niſi dicat ordinem ad hanc quantitatem, & non ad aliam.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Materia sit principium indiuiduationis, prout dicit compositum quoddam ex materia, & quantitate actu inhærente?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod nomine materiæ signatæ quantitate tria possunt intelligi. Primò compositum accidentale consurgens ex materia, & quantitate actu inhærente. Secundò ipsa materia, vt dicit modum quemdam eidem materiæ superadditum, ratione cuius determinatur, & signatur hac quantitate, & non alia. Tertiò quatenùs dicit materiam purè, & nudè sumptam, vt præhabentem per modum radicis hanc quantitatem, & non aliam; seù vt dicit ordinem, & habitudinem ad determinatam quantitatem. Quærimus in præsenti, an primo modo materia sit principium indiuiduationis, & quidem lis est inter solos Thomistas.

2 Prima sententia est affirmatiua, eamque defendunt Ferrariensis 1. contrà gent. cap. 21. Soncinas 7. Met. q. 34. & Nazarius p. 1. q. 3. art. 2. cont. vnica; vndè distinguentes in indiuiduo esse incommunicabile, & esse diuisum ab alio, primum aiunt oriri à materia, secundum à quantitate actu inhærente.

3 Secunda sententia est negatiua; & hanc docent Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. Caietanus 1. p. q. 29. art. 1. Flandrensis 3. Met. q. 29. art. 4. Iauellus 5. Met. q. 15. Zumel p. 1. q. 3. art. 2. Bannez ibidem, Gonzalez p. 1. q. 11. ar. 1. disp. 23. Salmaticẽses de Prin. Ind. disp. 1. dub. 3. Io: à S. Th. de gen. & cor. q. 9. Marletta p. 1. q. 3. art. 2. cont. 4. Lerma lib. 1. de gen. & cor. q. 40. & alij; imò Caietanus inuehitur in sententiam oppositam dicens: chimæricum esse separare secundùm rem hos actus; constituendi indiuiduum, & distinguendi illud ab alijs; sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Compositum accidentale consurgens ex materia, & quantitate actu inhærente, non est principium indiuiduationis.

5 Probatur primò ex Philosopho, & Diuo Thoma, nam Philosophus in prædicamentis primam substantiam, seù indiuiduum conferens cum secundis substantijs, eam appellat maximè substantiam, hoc autem non esset verum, si includeret quantitatem, vt actu inhærentem materiæ, cùm secundæ substantiæ non includant in suo conceptu aliquod accidens, quod in hac sententia includeret prima. Diuus Thomas autem opusc. 70. q. 4. art. 2. ad 4. cùm sibi obiecisset ex Philosopho 4. Met. *quod idem est rebus causa substantiæ, & vnitatis, sed accidentia non sunt indiuiduo causa substantiæ, ergò neque vnitatis, ac pluralitatis secundum numerum*; Respondet his verbis. *Ad secundum dicendum. Quod dimensiones, cùm sint accidentia, per se non possunt esse principium vnitatis indiuiduæ substantiæ; sed materia prout talibus dimensionibus subest, intelligitur esse principium talis vnitatis, & multitudinis*, si autem principium indiuiduationis esset hoc compositum accidentale, iam dimensiones essent principium vnitatis indiuiduæ substantiæ, quod negat Sanctus Doctor, ergò &c.

6 Probatur secundò ratione. Prima substantia materialis, & indiuidua est vnum per

per se possibile in prædicamento substantiæ, ergò nequit constitui per compositum accidentale consurgens ex materia, & quantitate actu inhærente; antecedens patet, consequentia probatur, nam alloquin prima substantia esset ens per accidens, cùm constaret ex rebus diuersorum prædicamentorum, scilicèt ex substantia, & quantitate, vt actu inhærente, ergò si &c.

7 Probatur tertiò. Id quod pertinet ad aliquam lineam, maximè si sit fundamentum cæterorum illius lineæ, nequit constitui per aliquid extrà prædictam lineam, sed prima substantia materialis, & indiuidua pertinet ad lineam substantiæ, vt fundamentum totius lineæ substantialis, ergò nequit constitui per aliquid extrà propriam lineam, scilicet per quantitatem actu inhærentem. Minor patet, Maior quoque videtur clara, alioquin esset, & non esset extra talem lineam, &c.

8 Respondet Ferrariensis, duo pertinere ad vnitatem indiuidualem, scilicet esse incommunicabile, & esse diuisum à quocunque alio. Et pertinere primum tantùm ad eius essentiam, secundum verò esse eius proprietatem; vndè benè posse indiuiduum esse vnum ens per se, & non constitui per aliquid extra lineam substantiæ.

9 Sed contrà primò. Eo ipso, quòd esse incommunicabile spectat ad essentiam indiuidui, spectare etiam debet ad eandem esse diuisum à quocunque alio. Ergò si hoc secundum præstat quantitas actu inhærens, spectabit ad essentiam indiuidui, & ità non erit vnum ens per se, & constituetur per aliquid extrà lineam substantiæ. Antecedens probatur. Nàm idem est formaliter constitutiuum, ac distinctiuum alicuius ab omni alio, rationale enim, quod constituit formalitèr hominem, formalitèr distinguit ipsum ab alijs animalibus.

10 Contrà secundò. Id quod distinguit specie vnum ab alio, constituit quoque illud in determinata specie, ergò id quod distinguit vnum numero ab alio, constituet quoque illud in sua vnitate numerica, ac ideò si quantitas actu inhærens distinguit vnum indiuiduum ab alijs, constituet quoque illud.

11 Contrà tertiò. Adhuc dato, quòd esse diuisum se haberet per modum proprietatis, & peteret prouenire ab aliquo alio principio realiter distincto, adhuc non posset prouenire à quantitate, vt actu inhærente, ergò &c. Antecedens probatur, nam indiuidua substantialia nedùm materialitèr, sed etiam formalitèr substantialitèr distinguuntur, sed distinctio formalis substantialis, nequit prouenire à quantitate actu inhærente, cùm hoc pacto illam causaret per modum causæ formalis intrinsecæ, quæ non causat, nisi per sui communicationem, ac ideò si ipsa est forma accidentalis, nequit tribuere nisi esse accidentale, ergò &c.

12 Respondet Nazarius, illud axioma idem esse constitutiuum, ac distinctiuum, intelligendum esse de principio formali, non verò radicali, sicut est quantitas.

13 Sed contrà primò. Eo ipso, quòd principium radicale, ità constituit aliquid, vt quidpiam aliud nequeat constituere, non potest non distinguere illud ab omni alio, quod à tali principio constitui non valet. Ergò tale axioma tenet, tùm in principio formali, tùm radicali. Antecedens probatur, nam quæuis res creata finita, & limitata est, ergò &c.

14 Contrà secundò. Nam si materia constituit indiuiduum incommunicabile, & quantitas actu inhærens distinguit, iam non assignatur principium substantiale, à quo distinctio formalis substantialis indiuiduorum proueniat, ergò ista vt actu inhærens nequit distinguere.

15 Respondent contrarij, repugnare quidem enti per se dicere aliquid extrà se in recto, non tamen in obliquo; vndè si compositum sumatur, vt dicit in recto quantitatem actu inhærentem erit quidem ens per accidens, secùs si illam dicat tantùm in obliquo.

16 Sed contrà primò. Nam licèt non tollat vnitatem per se dicere aliquid extrà se in obliquo, tamen illam tollit, si illud afferat tanquam obliquum, & connotatum

intrinsecum, sed quantitas actu inhærens, dato, quod importaretur in obliquo, hoc tamen esset intrinsecè, ergò tolleret vnitatem per se, Minor patet, Maior probatur, nam accidens in abstracto est vnum per se, quia subiectum solùm importat in obliquo extrinsecè, accidens autem in concreto est vnum per accidens, quia subiectum importat vt obliquum, & connotatum intrinsecum, ergò &c.

17 Contrà secundò. Quia id, quod inuoluit duas essentias integras, & completas spectantes ad diuersa prædicamenta, non potest esse vnum per se, siuè vtramque afferat in recto, siuè vnam in recto, & aliam in obliquo, semper enim sunt duæ essentiæ integræ, & completæ in actu, & ex duobus entibus in actu, nequit fieri vnum per se.

18 Contrà tertiò. Si quantitas actu inhærens per modum obliqui intrinseci præstare potest diuisionem, multò meliùs eam præstare poterit per modum obliqui extrinseci, & per solum ordinem materiæ ad ipsam, cùm priùs sit, quod materia dicat ordinem ad hanc determinatam quantitatem, quàm quod eam recipiat, & stante ordine ad talem determinatam quantitatem, iam materia sic indiuidua est principium indiuiduationis compositi.

19 Probatur vltimò. In illo priori, in quo materia præsupponitur ad receptionem formæ substantialis, & quantitatis actualis, materia debet esse singularis, & indiuidua, ergò non habet esse hanc, & radicem indiuiduationis, quatenùs afficitur quantitate actuali, consequentia patet, quia id quod competit alicui ratione alterius, non potest ei conuenire antecedenter ad illud. Antecedens probatur, nam forma substantialis, & quantitas actualis, non recipiuntur in materia communi, sed singulari, ergò &c.

20 Respondent contrarij, quod causæ sunt sibi adinuicem causæ, vndè licèt in genere causæ materialis præsupponatur materia singularis, & indiuidua, antequàm recipiat quantitatem actualem, in genere tamen causæ formalis, præsupponitur quantitas reddens illam hanc, eamque disponens ad receptionem huius formæ, & non illius.

21 Sed contrà primò. Quià saltem supernaturaliter potest indiuiduum separari à quantitate actuali, & in rerum natura existere, ergò poterit dari distinctio indiuiduorum absque quantitate actu inhærente per solum ordinem ad illam.

22 Contrà secundò. Nam materia prout recipit potiùs hanc, quàm illam formam est simpliciter, & absolutè prior quantitate actuali, ergò hæc nequit præcedere in genere causæ formalis materiam vt hanc, & indiuiduam, illique præbere indiuiduationem.

§. III.

Argumenta soluuntur.

23 Arguitur primò. Diuus Thomas nomine materiæ signatæ quantitate, intelligit materiam, vt stat sub certis dimensionibus, & subiacet illis, sed hoc pacto importatur quantitas, vt actu inhærens materiæ. Ergò compositum accidentale ex materia, & quantitate actu inhærente erit principium indiuiduationis. Maior patet ex tot testimonijs in præcedenti articulo citatis, Minor etiam videtur clara, alioquin non diceretur materiam dimensionibus subesse.

24 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, non diceretur sub esse actualitèr, concedo antecedens, radicalitèr, nego antecedens, & consequentiam. Diuus ergò Thomas in illis locis, & omnibus alijs loquitur de materia, vt stat sub certis dimensionibus radicalitèr, seù vt dicit ordinem ad illas, alioquin vt vidimus in probatione conclusionis, si quantitas actu inhæreret, non esset indiuiduum ens per se, sed per accidens. Imò materia intelligitur hæc, & indiuidua, antequàm quantitatem actualem recipiat.

25 Instabis primò. Diuus Thomas 3. p. q. 77. art. 1. ait, *quod cùm duo sint de ratione indiuidui, scilicet esse incommunicabile, & distinctio ab alijs, primum præstat materia, secundum verò quantitas*, sed materia præstat

stat esse in communicabile, vt actu communicata composito substantiali. Ergò etiam quantitas præbebit distinctionem, vt actu communicata materiæ.

26 Respondetur negando consequentiam. Disparitas est, nam ex primo non sequitur indiuiduum esse ens per accidens, benè verò ex secundo, & ità solùm in obliquo, & de connotato importata quantitas, potest esse principium distinctionis. Vltrà quàm quod distinctio est de genere mali, & ideò ad eam causandam, sufficit solus ordo ad quantitatem; Indiuisio autem, & incommunicabilitas ex se est de genere boni, & ideò ad eam præstandam, requiritur actualis communicatio materiæ.

27 Instabis secundò. Diu. Thom. opusc. de principio indiuiduationis, & opusc. 32. cap. 3. ait, *quid illud, in quo saluatur ratio primi, seu indiuidui materialis in genere substantiæ, nequit reperiri sinè quantitate*; vndè propter hanc rationem quodlib. 7. art. 10. de albedine, & alijs qualitatibus materialibus ait, *eas esse inseparabiles à quantitate*, sed si quantitas non præberet rationem distinctionis, vt actu inhærens, iam indiuiduum materiale posset reperiri sine quantitate, ergò quantitas vt actu inhærens, præbet munus distinctionis, sicut materia vt actu communicata, præbet munus incommunicabilitatis. Minor probatur, solus ordo ad quantitatem sufficeret ad reddendum aliquod indiuiduum materiale, ergò &c.

28 Respondetur primò explicando Doct. Sanctum, vel in recto, vel in obliquo, concedo Maiorem, semper in recto, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Quando ergò Diu. Tho. dicit, tùm indiuiduum materiale, tùm qualitates materiales, non posse reperiri sinè quantitate, loquitur de quantitate, vel in recto, vel in obliquo importata, ità quòd imprescindibilis sit ordo ad quantitatem; vndè non est necessè quod actu communicetur materiæ, sicut materia actu communicatur composito substantiali.

29 Respondetur secundò cum Capreolo in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. explicando S. Doct. quò ad extrinseca suæ indiuiduationis, concedo Maiorem, quò ad intrinseca, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Igitur in indiuiduatione tùm substantiæ materialis, tùm qualitatum materialium duo possunt considerari, primò intrinseca, & indispensabilia indiuiduationis, & hæc Diuus Thomas inquit posse esse sinè quantitate actu inhærente, non tamen sinè ordine ad illam, ait enim, *quòd posset fieri diuino miraculo, vt natura albedinis subsisteret absque omni quantitate*, id autem quod subsistit, iuxtà omnes Philosophos singulare est. Secundò extrinseca indiuiduationis, scilicet ratio sensibilis, seu sensu externo perceptibilis, & hoc modo ait, non posse esse sinè quantitate actu inhærente, cùm subdat. *Illa tamèn albedo, non esset sicut hæc albedo sensibilis.*

30 Instabis tertiò. Diuus Thomas post talia verba statim addidit, *quod albedo sic separata esset forma quædam intelligibilis, admodum formarum separatarum, quas Plato posuit*, ergò sentit rationem indiuidui esse inseparabilem à quantitate actuali.

31 Respondetur explicando antecedens; quò ad aliqua, concedo antecedens, quò ad omnia, nego antecedens, & consequentiam. Tantùm ergò æquiparauit albedinem sic separatam, cum prædictis ideis, quò ad hoc, quod non esset forma sensibilis, & abstraheret à materia sensibili, non tamèn vult habere intrinsecam indiuiduationem, vt ex eius verbis liquet, dum sentit ipsam posse diuinitùs subsistere absque omni quantitate.

32 Arguitur secundò. Quando dicitur, quòd materia signata quantitate est principium indiuiduationis, vel vltrà materiam importatur quantitas actu inhærens, vel non, si primum, habetur intentum, si secundum, ergò sicut materia secundùm se non est principium indiuiduationis, neque erit vt signata quantitate, probatur consequentia, signatio hoc pacto sumpta, nihil addit materiæ, nec illam immutat. Ergò si secundum se non est principium, &c.

33 Respondetur, quod vltrà materiam non importatur quantitas actu inhærens,

sed solùm in obliquo connotata, ad probationem distinguo antecedens, in recto, concedo antecedens, in obliquo, nego antecedens, & consequentiam. Licèt enim non addat talis signatio suprà materiam aliquid in recto, addit tamèn in obliquo, cùm ei addat ordinem, & connotationem quantitatis, quod sufficit ad hoc vt materia sit principium indiuiduationis.

34 Instabis primò. Nulla potentia limitatur, & appropriatur, nisi per aliquem actum illam informantem, sed materia ex se est potentia indifferens, ergò non limitatur, & appropriatur alicui, nisi per aliquem actum illam informantem, ac ideò compositum ex materia, & quantitate actu inhærente erit principium indiuiduationis, Minor patet, Maior quoque videtur clara, nam quousque potentia non informatur per aliquem actum, est indifferens ad omnes; actus enim est, qui distinguit, vt ait Philosophus.

35 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo antecedens, si non connotet etiam in obliquo talem actum, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Ad hoc enim vt materia censeatur limitata, & appropriata huic composito potiùs, quàm illi, sufficit ordo ad quantitatem determinatam. Siquidem quando Philosophus ait, quod actus est, qui distinguit, intelligitur de actu, vel ordine ad actum, & sicut potentiæ limitantur per ordinem ad sua obiecta, ità materia limitatur per ordinem ad quantitatem.

36 Instabis secundò. Materia indifferens est ad dicendum ordinem ad hanc potiùs, quàm illam quantitatem, eamque præhabendam, ergò aliquid superaddendum est ei, ad hoc vt limitetur, & approprietur, quod non erit nisi quantitas actualis.

37 Respondetur distinguendo antecedens, secundum se sumpta, concedo, vt subiecta potiùs huic quàm illi agenti, nego antecedens, & consequentiam. Licèt enim secundùm se respiciat tantùm quantitatem vt sic, tamen ex subiectione determinati agentis illam transmutantis, dicit ordinem ad determinatam quantitatem.

38 Instabis tertiò. Ex hac solutione sequitur, quod non materia signata quantitate, sed actio agentis sit primum, & radicale principium indiuiduationis, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela maioris probatur, nam ratione ipsius materia dicit ordinem potiùs ad hanc, quàm illam quantitatem. Ergò &c.

39 Respondetur distinguendo Maiorem, loquendo de principio indiuiduationis extrinseco, concedo Maiorem, intrinseco, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Nos enim loquimur de primo, & radicali principio indiuiduationis, sed intrinseco, non verò extrinseco, quale est agens.

40 Arguitur tertiò. Quantitas ex se, & ex proprijs meritis, saltem in linea diuisionis est primò indiuidua, ergò nequit materia esse principium radicale indiuiduationis, nisi vt actu affecta quantitate, consequentia probatur, nam quod est primum in linea aliqua petit, quòd sit tale solùm quidquid illud actu participat, ergò si quantitas, &c.

41 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, vel in recto, vel in obliquo, concedo antecedens, semper in recto, nego antecedens, & consequentiam. Sufficit ergò, quod ad hoc, vt materia dicatur diuisa ab alia, hoc habeat, quatenùs dicit ordinem ad quantitatem, sicque saluatur, quòd sit diuisa, vt participat de quantitate, saltem in obliquo.

42 Instabis primò. Quia ignis est primum in linea calidi sequitur, quod solùm id, quod in recto, & in actu participat de igne sit calidum, ergò quia quantitas est primum in linea diuisionis, solùm quod in recto, & actu participat illam, erit ab alio diuisum, & consequenter ad hoc vt materia dicatur diuisa, debet quantitatem actu recipere.

43 Respondetur distinguendo antecedens, vel formalitèr, vel virtualitèr, concedo antecedens, semper formalitèr, nego antecedens, & consequentiam. Et retorqueo argumentum, sicut enim ad hoc vt aliquid

sit

sit formalitèr calidum, non est necesse, quod participet de igne formalitèr, vt patet in vino, & pipere, quæ tantùm virtualitèr participant de igne; ità ad hoc vt aliquid sit formalitèr diuisum ab alio, non est necesse, quod formalitèr participet quantitatem, sed sufficit, quòd virtualitèr illam præhabeat.

44 Instabis secundò. Indiuiduum non est virtualitèr, sed formalitèr diuisum ab alio, ergò causa talis effectus, non solùm virtualitèr, sed etiam formalitèr debet esse diuisa, sed materia cum solo ordine ad quantitatem, non est formalitèr diuisa, ergò debet vlteriùs actuari quantitate, Minor subsumpta probatur, aliàs superflueret quantitas actualis, ergò &c.

45 Respondetur distinguendo Minorem subsumptam, diuisione accidentali, & integrali, concedo Minorem, diuisione subiectiua, & substantiali, nego Minorem, & consequentiam. Est ergò materia formalitèr diuisa antè quantitatem actualem diuisione subiectiua, & substantiali, cùm ad hanc præstandam solus ordo ad quantitatem sufficiat, non tamèn diuisione accidentali, & integrali, quæ est effectus formalis secundarius quantitatis actualis, ac ideò ad eam præstandam requiritur ipsa quãtitas actualis.

46 Instabis tertiò. Licèt id, quod solùm virtualitèr participat de igne, possit esse formalitèr calidum, tamèn id, quod solùm virtualiter participat de quantitate, nequit esse formalitèr diuisum quomodocumque. Ergò si materia est formalitèr diuisa, diuisione substantiali, hoc debet habere per quantitatem actualem. Antecedens probatur. Ignis effectiuè producit calorem, quantitas autem dat esse diuisum in genere causæ formalis, ergò &c. Consequentia probatur, nam hæc est differentia intèr causam efficientem, & formalem, quod illa virtualitèr continet effectum, hæc verò formalitèr, cùm causet per sui communicationem; vndè quià homo est formalitèr vegetatiuus, anima rationalis, quæ est causa formalis, est formalitèr vegetatiua, ergò &c.

47 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, vel actualis, vel radicalis, concedo antecedens, semper actualis, nego antecedens, & consequentiam. Itaque dico, quòd in genere causæ formalis, quantitas actualis præbet diuisionem accidentalem, & integralem, & in eodem genere ordo ad quantitatem, seu quantitas radicalis præbet diuisionem subiectiuam, & substantialem; vndè sicùt ad præstandam primam diuisionem requiritur actu quantitas actualis, ità ad præstandam secundam, requiritur in materia actu quantitas radicalis, quæ substantia est, cum nil aliud dicat, quàm materiam, vt connotantem quantitatem.

48 Instabis quartò. Sicùt esse album est effectus formalis albedinis, ità diuisio est effectus formalis quantitatis, sed nequit esse aliquid album, per solum ordinem ad albedinem, sed requiritur albedo actu informans, ergò neque materia potest esse formalitèr diuisa per solum ordinem ad quantitatem, sed requiretur quantitas actu inhærens.

49 Respondetur distinguendo Maiorem eodem modo, diuisio accidentalis, & integralis, concedo Maiorem, substantialis, & subiectiua, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Sicùt ergò aliquid non est album, nisi per albedinem actu habitam, ità nec est formalitèr diuisum diuisione integrali, & accidentali, quæ dicit extensionem & ordinem partium, nisi per quantitatem actu habitam. Cæterùm ad diuisionem subiectiuam, & substantialem solus ordo ad quantitatem est sufficiens, sicùt solus ordo potentiarum ad diuersa obiecta, vnam ab alia distinguit.

50 Instabis quintò. Substantia antè quantitatem actualem, per solùm ordinem ad illam non habet partes substantialitèr distinctas, ergò neque habebit duo indiuidua totalitèr distincta; antecedens est sententia, quam Complutenses dicunt teneri à D. Thoma, & omnibus antiquioribus Thomistis; consequentia probatur, nam in plus se habet distinctio substantialis totalis, quàm partialis, ergò &c.

51 Respondetur primò negando antecedens,

dens, ad probationem dico sententiam oppositam esse probabiliorem, & defendi ab antiquioribus Thomistis,& dum Caietanus, Ferrariensis, & Soncinas citati à Complutensibus in lib. de Gener. & Corruptione, ponunt indiuisibilitatem in substantia cum Philosopho, & D. Thoma, loquuntur de substantia secundùm se, vt excludit etiam ordinem ad quantitatem, & hanc sententiam acriter defendi in Philosophia, & ad mentem esse Diui Thomæ ostendi.

52 Respondetur secundò cum Complutensibus, negando consequentiam, nam ideò substantia totalis indiuiduatur, & distinguitur ab alia substantia totali per ordinem ad quantitatem, quia sola quantitas habet partes eiusdem ordinis, seù solo numero distinctas, ac proindè se sola est indiuidua, & substantia est talis dependenter ab ipsa. Si autem substantia ex se haberet partes eiusdem rationis, seù nùmero distinctas, etiam ipsa indiuiduaretur se sola, & non per ordinem ad quantitatem.

53 Arguitur vltimò. Quantitas, sicùt & quodlibet aliud accidens existens in potentia, & causalitate materiæ, est ibi confusè, & indistinctè, ergò vt præcisè contenta in causalitate materiæ, non est proportionata, vt causet distinctionem indiuidualem, & sic requiretur quantitas actualis.

54 Resp. distinguendo antecedens, si materia spectetur secundùm se, concedo antecedens, vt determinata ab agente, nego antecedens, & consequentiam. Itaque licèt materia secundùm se contineat confusè, & indistinctè omnem quantitatem, sicùt & quodlibet aliud accidens materiale, tamèn quatenùs ab agente, mediantibus dispositionibus determinatur, distinctè continet hanc potiùs, quàm illam quantitatem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm materia sit principium indiuiduationis, vt dicit modum quemdam substantialem eam determinantem potiùs ad hanc quantitatem, quàm ad illam?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 Pro resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod ad clariùs explicandam mentem Sancti Doctoris circà signationem quantitatis, non parùm conducet, quòd priùs discutiatur, an per prædictam signationem intelligatur materia, vt per aliquem modum substantialem ex natura rei diuersum ab illa determinatur ad habendam potiùs hanc, quàm illam quantitatem, vt hoc etiam excluso, faciliùs constet intelligendam esse materiam, vt præhabet quantitatem, & dicit ordinem ad illam.

2 Prima sententia est affirmatiua. Hanc tuentur aliqui, quos refert Suarez tom. 1. Met. disp. 5. sect. 3.

3 Secunda sententia est negatiua. Hanc docent omnes Doctores, supracitati pro secunda sententia in antecedenti articulo; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 Concl. Materia non est principium indiuiduationis, vt dicit modum quemdam substantialem, eam determinantem potiùs ad hanc, quàm illam quantitatem.

5 Probatur primò ratione D. Tho. opusc. de natura materiæ, cap. 3. Nam materia habet esse primum, & radicale principium indiuiduationis compositi substantialis, quatenùs habet rationem primi subiecti, non recepti, nec receptibilis in alio, sed hoc esset falsum, si esset principium indiuiduationis,

vt

vt dicit modum quemdam substantialem eam determinantem, potiùs ad hanc quantitatem, quàm ad illam, ergò non est hoc pacto principium indiuiduationis. Probatur Minor, nam de ratione prædicti modi esset, quòd actuaret materiam, & in illa reciperetur, non enim talis modus esset materia, ergò actus, non per se subsistens, ergò receptus in materia, ergò si materia esset principium indiuiduationis, vt dicit talem modum, non esset principium indiuiduationis, vt dicit rationem primi subiecti. Vndè D. Thomas, vt optimè aduertunt Salmaticenses ibidem concludit hac ratione, quantitatem secundùm suum esse formale sumptam, quatenùs habet rationem formæ inhærentis, non posse esse primum principium indiuiduationis, cùm sit in alio tanquam in subiecto.

6 Probatur secundò. Iste modus non posset non esse modus singularis, & physicus, ergò non posset recipi nisi in materia singulari, & præsupponere illam indiuiduam, ac ideò materia ratione illius, non posset esse primum principium indiuiduationis; probatur consequentia, nam hæc est differentia intèr actum Metaphysicum, & Physicum, quod actus Metaphysicus non supponit potentiam Metaphysicam singularem, sed eam actuando reddit talem, actus verò physicus, cùm secundùm suum esse recipiatur in materia, debet supponere illam singularem, ergò &c.

7 Respondere possunt contrarij, quòd iste modus est entitatiuè indistinctus ab entitate materiæ, & per consequens nequit physicè actuare, & informare materiam, & recipi in illa.

8 Sed contrà primò. Nam licèt iste modus realitèr entitatiuè non distinguatur à materia, tamèn realitèr formalitèr, seù ad minùs ex natura rei, & antè opus intellectus ab illa distinguitur, ergò licèt identicè sumptus non recipiatur, tamèn formalitèr ex natura rei, & secluso quouis opere intellectus, habebit quod recipiatur in materia, ac ideò supponit illam iam singularem.

9 Contrà secundò, Siquidem si talis modus est entitatiuè, & realitèr indistinctus ab entitate materiæ, nil aliud dicit, quàm materiam, vt est radix potiùs huius, quàm illius quantitatis, & sic hæc sententia coincidet cum communi Thomistarum.

10 Probatur vltimò. Iste modus substantialis nequit dari in materia. Ergò ratione illius, nequit esse principium indiuiduationis; probatur antecedens, nam si aliquis modus posset dari, vel haberet rationem puræ potentiæ, vel actus, si primum, nihil aliud esset, quàm ipsa materia prima, si secundum, vel esset forma, vel aliquid subsequens ad formam, ergò &c.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

11 Arguitur primò. Materia, quatenùs est principium indiuiduationis, non est actus purus, sed potiùs pura potentia, ergò ad hoc vt in exercitio sit principium indiuiduationis, debet ei superaddi aliquis modus ipsam determinans ad actum secundum, & exercitium, sed iste modus nequit esse accidentalis, ergò substantialis; consequentia patet, nam si aliquid non superaddetur remanebit sicùt priùs, ergò &c.

12 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, si non detur extrinseca connotatio agentis, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Sola ergò extrinseca connotatio agentis, quæ sufficit ad immutandam materiam, ad hoc vt recipiat formam determinatam, quàm ex se recipere non poscebat, determinat etiam materiam potiùs ad hanc quantitatem, quàm illam, & ità sufficit ad constituendam illam in actu secundo, & in exercitio primum principium indiduationis.

13 Instabis primò. Agens creatum indiget aliquo modo ipsi intrinsecè superaddito ad producendum suum effectum, ergò etiam materia egebit modo realitèr ipsi intrinsecè superaddito ad producendum suum effectum, scilicet indiuiduationem compositi substantialis; antecedens liquet, nam indi-

get actione, quæ realitèr ab ipso distinguitur, cùm ex se sit tantùm in actu primo constitutum; consequentia videtur clara à paritate rationis.

14 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quià agens est causa efficiens extrinseca, quæ per realem influxum causat effectum sibi extrinsecum, materia autem est causa intrinseca, quæ causat indiuiduationem compositi substantialis per sui communicationem, & ideò illud indiget actione intrinsecè superaddita, secùs verò ista modo substantiali.

15 Instabis secundò. Esto materia sit causa intrinseca, tamèn non est actus purus, sed pura potentia, ergò materia prima, vt in actu secundo causet effectum indiuiduationis compositi substantialis, indigebit modo intrinsecè superaddito; probatur consequentia, esto materia, & forma sint causæ intrinsecę, tamèn in sententia probabili, ideò materia indiget modo vnionis intrinsecè superaddito ad recipiendam formam, & rursùs forma ad actuandam materiam, nec sufficit agens extrinsecè connotatum, quià non sunt actus purus, sed vel pura potentia, vt est materia, vel actus admixtus potentiæ, vt est forma, ergò si &c.

16 Respondetur primò esse probabiliorem sententiam, nec materiam, nec formam, propter rationem causæ intrinsecæ hoc modo intrinseco vnionis superaddito indigere, sed seipsis immediatè vniri, præsupposita sola extrinseca connotatione agentis, & hanc tenui in physica, vndè ea stante, potiùs retorquetur argumentum contrà aduersarios.

17 Respondetur secundò in alia sententia distinguendo antecedens, per hoc, & aliquid aliud, concedo antecedens, præcisè per hoc, nego antecedens, & consequentiam. Itaq; est dispar ratio de vnione, & de determinatione materiæ ad hanc quantitatem; nam actualis causatio materiæ est de suo genere actus secundus, & ideò cum materia sit pura potentia, ad hoc vt transeat ad actum secundum, indiget aliquo superaddito intrinsecè, quod est modus vnionis, & licèt forma sit actus, tamèn est actus primus, quem excedit in perfectione actus secundus, & ideò etiam illa, ad hoc vt transeat ad actum secundum actuandi materiam, requirit modum vnionis intrinsecè superadditum; cæterùm esse in exercitio radicem indiuiduationis substantiæ materialis in genere suo, & in recto, non est actus secundus, sed potiùs dicit rationem puræ potentiæ omninò irreceptibilis, licèt in obliquo sit connexum cum actu primo, & secùndo, & ideò ad hoc, vt materia in exercitio sit principium indiuiduationis non petit, quod ei aliquid intrinsecè, & in recto superaddatur.

18 Arguitur secundò. Per materiam signatam quantitate, non intelligitur materia, vt à quantitate actualitèr informata, ad hoc vt sit principium indiuiduationis, ergò debet intelligi materia cum aliquo modo substantiali superaddito, ratione cuius determinetur potiùs ad hanc quantitatem, quàm ad aliam; probatur consequentia, nam si nomine materiæ signatæ quantitate, non intelligitur materia, vt à quantitate actualiter informata, iam debet intelligi materia, vt petens potiùs hanc, quàm illam quantitatem, sed hoc nequit facere sinè aliquo sibi intrinsecè superaddito, cùm secundùm se sit indifferens ad omnem quantitatem, ergò si per &c.

19 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, nego Minorem, sufficit enim extrinseca connotatio agentis, sicùt ad hoc vt transeant materia, & forma de vno contradictorio ad aliud, scilicet de non actu recipere, & actuare, ad actu recipere, & actuare, non est necesse, quod immutetur per aliquid intrinsecè superadditum, sed sufficit extrinseca connotatio agentis, vt dictum est in physicis de causalitate materiæ, & formæ, & ità est similis ratio in casu nostro.

20 Arguitur vltimò. Nequit aduenire de nouo aliqua denominatio intrinseca sinè aliquo intrinsecè superaddito, sed materia denominatur intrinsecè principium indiuiduationis compositi substantialis, ergò hoc debet habere saltem ratione modi substantialis intrinsecè superadditi, Minor patet,

Ma-

Maior quoque videtur clara, hac enim ratione relatio aliquam entitatem intrinsecam superaddit fundamento, quia ponit nouam denominationem intrinsecam, ergò &c.

21 Respondetur negando absolutè Maiorem, ad probationem distinguo antecedens, quæ denominatio sit diuersi generis, concedo antecedens, eiusdem generis, nego antecedens, & consequentiam. Denominatio ergò diuersi generis aliquid intrinsecum superaddit, vt liquet in relatione, cuius denominatio diuersi generis est, cùm fundamentum sit in linea absoluta, & hæc in linea relatiua. Cæterùm denominatio eiusdem generis, non superaddit nisi aliquid extrinsecè connotatum, vt patet in denominatione Patris, respectu secundi Filij, quæ non ponit nouam relationem, sed solùm extrinsecam connotationem agentis, & secundi geniti, aliàs duo accidentia solo numero distincta essent in eodem subiecto. Et etiam liquet in denominatione vniti substantialiter respectu materiæ, & formæ, quæ denominatio non ponit nouam entitatem, cùm tàm vnio, quàm forma ad eandem lineam substantialem pertineant, cùm autem tàm materia, quàm ratio principij indiuiduationis spectent ad lineam substantiæ, benè poterit materia denominari principium indiuiduationis absque modo intrinsecè superaddito.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm materia sit primum principium indiuiduationis prout radicaliter præhabet, & dicit ordinem ad hanc potiùs, quam illam quantitatem?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 Pro resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod illius decisio ex dictis in præcedentibus articulis facillimè colligitur, si enim primum indiuiduationis principium, non est forma, sed materia, & non materia secundùm se sumpta, neque vt affecta quantitate actuali, nec cum aliquo modo substantiali, qui illi intrinsecè superaddatur, clarum remanet esse materiam prout radicalitèr præhabet, & dicit ordinem ad determinatam quantitatem, quia tamèn ad Maiorem explicationem, opus est vt aliqua addantur, ideò sigillatim illam excitamus.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc vltrà citatos Doctores defendit Suarez tom. 2. Met. sect. 5. & quamplures alij extrà scholam D. Thomæ.

3 Secunda sententia est affirmatiua, eamque docent prædicti Doctores in nostrum fauorem supracitati; vndè cohærenter ad hucusque dicta sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 Conclusio. Materia est primum principium indiuiduationis, quatenùs præhabet, & radicat hanc potiùs, quàm illam quantitatem, & dicit ordinem ad illam.

5 Probatur primò ex Philosopho, & D. Thoma, qui in omnibus locis suprà adductis, vt exposuimus, loquuntur de materia, vt radicaliter præhabet ipsam quantitatem, alioquin indiuiduum non esset ens per se, ergò &c.

6 Prob. secundò ratione fundamentali desumpta ex Caietano q. 5. de Ente, & Essentia. Illud est primum principium indiuiduationis intrinsecum, cui repugnat primò communicari pluribus, eo modo, quo vniuersale communicatur particularibus, sed

respectu indiuiduationis compositi substantialis, materia signata, scilicet, vt radix determinatæ quantitatis, est huiusmodi, ergò &c. Maior patet ex terminis, Minor probatur primò quò ad primam partem, scilicet quòd materiæ signatæ repugnet talis communicabilitas, nam materia signata, & radicans quantitatē est hæc, sed hoc vt hoc repugnat quod communicetur pluribus per modum vniuersalis, ergò materiæ signatæ, & radicanti quantitatem repugnat communicari pluribus ad modum, quo vniuersale communicatur particularibus. Quò ad secundam partem etiam, scilicet, quod primò repugnet, probatur ex regula posterioristica. Illud est subiectum, cui primò competit aliquid, quo primò posito ponitur illud, & quo primò remoto remouetur, sed primò posita in materia signatione, & radicatione quantitatis, ponitur incommunicabilitas opposita vniuersalitati, & primò remota remouetur, ergò communicabilitas propria naturæ vniuersali primò repugnat materiæ signatæ, vt radicanti quantitatem, Maior patet, Minor probatur, & primò quò ad primam partem, quià posita in materia signatione, & radicatione quantitatis, non est intelligibilis materia sub opposito incommunicabilitati, nempè sub communicabilitate, cùm sit hæc, ergò primò posita in materia signatione, & radicatione quantitatis, ponitur incommunicabilitas opposita vniuersalitati. Quò ad secundam partem probatur, quià remota à materia signatione, & radicatione quantitatis, statim remanet indifferens, & communis, ac per consequens communicabilis, eo modo, quo est communicabilis natura vniuersalis, ergò primò remota à materia signatione, & radicatione quantitatis, remouetur incommunicabilitas opposita vniuersalitati.

7 Probatur tertiò alia ratione Caietani. Frustrà fit per plura, quod æquè benè fieri potest per pauciora, sed absque quocunque alio stante materia signata, & radicante quantitatem sufficienter saluatur indiuiduatio substantiæ compositæ, ergò materia signata quantitate est primum principium indiuiduationis, Maior patet, Minor probatur, stante materia signata, & radicante quantitatem, iam materia intelligitur hæc, singularis, & indiuidua, sed hoc dato, iam forma, & compositum idem habent, ergò absque quocũnque alio &c.

8 Probatur vltimò. In indiuiduatione compositi substantialis, duo essentialitèr includuntur, nimirum incommunicabilitas, & diuisio à quocunque alio, sed primum, tanquam prima radix præstat materia, secundum verò quantitas, vt præcontenta in illa, ergò primum principium indiuiduationis compositi substantialis erit materia signata, & radicans quantitatem, Maior patet, Minor probatur, & primò quò ad primam partem, nam materia est primum subiectum irreceptibile in alio, quò ad secundam etiam, siquidem dimensiones sunt propriæ quantitatis, & diuisio accidit substantiæ ratione illius, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur;

9 Arguitur primò. Materia non habet, quòd sit signata quantitate hac, vel illa, siuè quòd præcontineat, hanc potiùs, quàm illam quantitatem, nisi quià est hæc, & indiuidua, ergò nequit esse primum principium indiuiduationis, quatenùs est signata quantitate, & illam præcontinet, probatur antecedens, nam materia secundùm se est indifferens ad hanc, vel illam quantitatem, alioquin non posset recipere, nisi hanc numero quantitatem, ergò &c.

10 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, & aliàs determinatur per dispositiones antecedentes, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaq; licèt materia secundùm se indifferens sit ad hanc, vel illam quantitatem, tamèn determinatur ad aliquam in particulari per extrinsecam connotationem dispositionum antecedentium, quæ debent esse determinatæ, & introductæ ab agente in tempore, & in compositio

to corrumpendo determinato. Et hæc sola extrinseca connotatio est sufficiens ad hoc vt ipsa materia absque alio ei addito, in esse entis præhabeat potiùs hanc, quàm illam quantitatem; sicùt species Angelica, quæ de se indifferens est, ad repræsentandum, omne ens naturale, repræsentat potiùs hoc, quàm illud singulare ex eo quòd ponatur præcisè extrinsecum connotatum exercitæ existentiæ talis singularis.

11 Instabis primò. Licèt materia extrinsecè determinetur ad præhabendam hanc potiùs, quàm illam quantitatem, tamen priùs præcontinet hanc numero formam, sed nequit præcontinere hanc numero formam, nisi vt hæc, & indiuidua, ergò semper materia non habet, quod præcontineat hanc potiùs, quàm illam quantitatem, nisi quia est hæc, & indiuidua, probatur Maior; Materia eo ordine præcontinet suos effectus, quo illos causat, sed priùs causat hanc formam, quàm hanc quantitatem, cùm illa sit actus substantialis, & ista accidentalis, ergò &c.

12 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, distinguo Maiorem, quo illos causat in genere causæ materialis dispositiuæ, & determinatiuæ, concedo Maiorem, in genere causæ materialis purè receptiuæ, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque sicùt causa finalis diuiditur in diuersa genera scilicet, in finem cuius, & finem cui, & aliquod potest esse priùs alio in genere finis cuius, & posteriùs in genere finis cui, vt patet in ægroto, & sanitate respectu medicinæ; ità causa materialis potest diuidi in duo genera; primò in causam materialem purè receptiuam, & in causam materialem dispositiuam, & determinatiuam. Materia autem eo ordine præcontinet suos effectus, quo illos causat, non quidem in genere causæ materialis purè receptiuæ, sed dispositiuæ, & determinatiuæ, cùm istud genus causæ aliud præcedat, ex eo, quod priùs est, quod materia disponatur, quàm quod recipiat aliud. Et quia priùs in hoc genere, causat hanc quantitatem, quàm hanc formam, cùm quantitas sit principalis dispositio ad introductionem formæ, ideò priùs præcontinet hanc numero quantitatem, quàm hanc numero formam. Cæterum loquendo de præcontinentia receptiua, sicùt priùs causat, in hoc genere formam, quæ recipitur immediatè in materia, v actus primus, quàm quantitatem, quæ recipitur in composito vt actus secundus, ità in hoc genere, priùs præcontinet formam, quàm quantitatem, sed prior præcontinentia, & causatio præcedit istam.

13 Instabis secundò. Priùs absolutè, & simpliciter materia præcontinet hanc numero formam, quàm quantitatem, ergò est indiuidua antè præcontinentiam huius quantitatis; antecedens probatur, materia respicit formam, tanquàm actum potissimum illius, sed actus potissimus alicuius potentiæ, priùs quocunque alio præcontinentur in illa, ergò &c.

14 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo Minorem, præcontinentia purè receptiua, concedo Minorem, dispositiua, nego Minorem, & consequentiam; actus enim potissimus priùs præcontinetur, præcontinentia tantùm receptiua in materia, non verò dispositiua, & determinatiua, quæ vtique absolutè, & simpliciter præcedit primam, cum nihil possit recipi in materia nudè sumpta, sed dispositâ ad illud recipiendum. Et hoc patet in gratia, quæ est potior actu contritionis, & tamèn in genere causæ dispositiuæ iste illam præcedit in anima.

15 Instabis tertiò. Ea quæ pertinent ad prædicamentum substantiæ, priùs, & absolutè respiciuntur à materia, quàm ea quæ sunt de genere accidentium, sed forma est de genere substantiæ, quantitas de genere accidentis, ergò &c. Probatur Maior, nam substantia absolutè, & simpliciter præcedit accidens, ergò &c.

16 Respondetur eodem modo distinguendo Maiorem. Ipsæ enim qualitates materiales, estò sint accidentia, tamen à materia priùs respiciuntur, in genere causæ materialis dispositiuæ, quàm forma, vt patet in ligno, quod per plures præcedentes gradus

 ca-

intrinsecum, sed quantitas actu inhærens, dato, quod importaretur in obliquo, hoc tamen esset intrinsecè, ergò tolleret vnitatem per se, Minor patet, Maior probatur, nam accidens in abstracto est vnum per se, quia subiectum solùm importat in obliquo extrinsecè, accidens autem in concreto est vnum per accidens, quia subiectum importat vt obliquum, & connotatum intrinsecum, ergò &c.

17 Contrà secundò. Quia id, quod inuoluit duas essentiàs integras, & completas spectantes ad diuersa prædicamenta, non potest esse vnum per se, siuè vtramque afferat in recto, siuè vnam in recto, & aliam in obliquo, semper enim sunt duæ essentiæ integræ, & completæ in actu, & ex duobus entibus in actu, nequit fieri vnum per se.

18 Contrà tertiò. Si quantitas actu inhærens per modum obliqui intrinseci præstare potest diuisionem, multò meliùs eam præstare poterit per modum obliqui extrinseci, & per solum ordinem materiæ ad ipsam, cùm priùs sit, quod materia dicat ordinem ad hanc determinatam quantitatem, quàm quod eam recipiat, & stante ordine ad talem determinatam quantitatem, iam materia sic indiuidua est principium indiuiduationis compositi.

19 Probatur vltimò. In illo priori, in quo materia præsupponitur ad receptionem formæ substantialis, & quantitatis actualis, materia debet esse singularis, & indiuidua, ergò non habet esse hanc, & radicem indiuiduationis, quatenùs afficitur quantitate actuali, consequentia patet, quia id quod competit alicui ratione alterius, non potest ei conuenire antecedenter ad illud. Antecedens probatur, nam forma substantialis, & quantitas actualis, non recipiuntur in materia communi, sed singulari, ergò &c.

20 Respondent contrarij, quod causæ sunt sibi adinuicem causæ, vndè licèt in genere causæ materialis præsupponatur materia singularis, & indiuidua, antequàm recipiat quantitatem actualem, in genere tamen causæ formalis, præsupponitur quantitas reddens illam hanc, eamque disponens ad receptionem huius formæ, & non illius.

21 Sed contrà primò. Quià saltem supernaturaliter potest indiuiduum separari à quantitate actuali, & in rerum natura existere, ergò poterit dari distinctio indiuiduorum absque quantitate actu inhærente per solum ordinem ad illam.

22 Contrà secundò. Nam materia prout recipit potiùs hanc, quàm illam formam est simpliciter, & absolutè prior quantitate actuali, ergò hæc nequit præcedere in genere causæ formalis materiam vt hanc, & indiuiduam, illique præbere indiuiduationem.

§. III.

Argumenta soluuntur.

23 Arguitur primò. Diuus Thomas nomine materiæ signatæ quantitate, intelligit materiam, vt stat sub certis dimensionibus, & subiacet illis, sed hoc pacto importatur quantitas, vt actu inhærens materiæ. Ergò compositum accidentale ex materia, & quantitate actu inhærente erit principium indiuiduationis. Maior patet ex tot testimonijs in præcedenti articulo citatis, Minor etiam videtur clara, alioquin non diceretur materiam dimensionibus subesse.

24 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, non diceretur sub esse actualitèr, concedo antecedens, radicalitèr, nego antecedens, & consequentiam. Diuus ergò Thomas in illis locis, & omnibus alijs loquitur de materia, vt stat sub certis dimensionibus radicalitèr, seù vt dicit ordinem ad illas, alioquin vt vidimus in probatione conclusionis, si quantitas actu inhæreret, non esset indiuiduum ens per se, sed per accidens. Imò materia intelligitur hæc, & indiuidua, antequàm quantitatem actualem recipiat.

25 Instabis primò. Diuus Thomas 3. p. q. 77. art. 1. art, *quod cùm duo sint de ratione indiuidui, scilicet esse incommunicabile, & distinctio ab alijs, primum præstat materia, secundum vero quantitas*, sed materia præstat

stat esse in communicabile, vt actu communicata composito substantiali. Ergò etiam quantitas præbebit distinctionem, vt actu communicata materiæ.

26 Respondetur negando consequentiam. Disparitas est, nam ex primo non sequitur indiuiduum esse ens per accidens, bene verò ex secundo, & ità solùm in obliquo, & de connotato importata quantitas, potest esse principium distinctionis. Vltrà quam quod distinctio est de genere mali, & ideò ad eam causandam, sufficit solus ordo ad quantitatem; Indiuisio autem, & incommunicabilitas ex se est de genere boni, & ideò ad eam præstandam, requiritùr actualis communicatio materiæ.

27 Instabis secundò. Diu. Thom. opusc. de principio indiuiduationis, & opusc. 32. cap. 3. ait, *quid illud, in quo saluatur ratio primi, seu indiuidui materialis in genere substantiæ, nequit reperiri sinè quantitate*; vndè propter hanc rationem quodlib. 7. art. 10. de albedine, & alijs qualitatibus materialibus ait, *eas esse inseparabiles à quantitate*, sed si quantitas non præberet rationem distinctionis, vt actu inhærens, iam indiuiduum materiale posset reperiri sine quantitate, ergò quantitas vt actu inhærens, præbet munus distinctionis; sicut materia vt actu communicata, præbet munus incommunicabilitatis. Minor probatur, solus ordo ad quantitatem sufficeret ad reddendum aliquod indiuiduum materiale, ergò &c.

28 Respondetur primò explicando Doct. Sanctum, vel in recto, vel in obliquo, concedo Maiorem, semper in recto, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Quando ergò Diu. Tho. dicit, tùm indiuiduum materiale, tùm qualitates materiales, non posse reperiri sinè quantitate, loquitur de quantitate, vel in recto, vel in obliquo importata, ità quòd impræscindibilis sit ordo ad quantitatem; vndè non est necessè quod actu communicetur materiæ, sicut materia actu communicatur composito substantiali.

29 Respondetur secundò cum Capreolo in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. explicando S. Doct. quò ad extrinseca suæ indiuiduationis, concedo Maiorem, quò ad intrinseca, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Igitur in indiuiduatione tùm substantiæ materialis, tùm qualitatum materialium duo possunt considerari, primò intrinseca, & indispensabilia indiuiduationis, & hæc Diuus Thomas inquit posse esse sinè quantitate actu inhærente, non tamèn sinè ordine ad illam, ait enim, *quòd posset fieri diuino miraculo, vt natura albedinis subsisteret absque omni quantitate*, id autem quod subsistit, iuxtà omnes Philosophos singulare est. Secundò extrinseca indiuiduationis, scilicet ratio sensibilis, seù sensu externo perceptibilis, & hoc modo ait, non posse esse sinè quantitate actu inhærente, cùm subdat. *Illa tamèn albedo, non esset sicut hæc albedo sensibilis*.

30 Instabis tertiò. Diuus Thomas post talia verba statim addidit, *quod albedo sic separata esset forma quædam intelligibilis, admodum formarum separatarum, quas Plato posuit*, ergò sentit rationem indiuidui esse inseparabilem à quantitate actuali.

31 Respondetur explicando antecedens; quò ad aliqua, concedo antecedens, quò ad omnia, nego antecedens, & consequentiam. Tantùm ergò æquiparauit albedinem sic separatam, cum prædictis ideis, què ad hoc, quod non esset forma sensibilis, & abstraheret à materia sensibili, non tamèn vult habere intrinsecam indiuiduationem, vt ex eius verbis liquet, dum sentit ipsam posse diuinitùs subsistere absque omni quantitate.

32 Arguitur secundò. Quando dicitur, quòd materia signata quantitate est principium indiuiduationis, vel vltrà materiam importatur quantitas actu inhærens, vel non, si primum, habetur intentum, si secundum, ergò sicut materia secundùm se non est principium indiuiduationis, neque erit vt signata quantitate, probatur consequentia, signatio hoc pacto sumpta, nihil addit materiæ, nec illam immutat. Ergò si secundum se non est principium, &c.

33 Respondetur, quod vltrà materiam non importatur quantitas actu inhærens,

sed solùm in obliquo connotata, ad probationem distinguo antecedens, in rectò, concedo antecedens, in obliquo, nego antecedens, & consequentiam. Licèt enim non addat talis signatio suprà materiam aliquid in rectò, addit tamèn in obliquo, cùm ei addat ordinem, & connotationem quantitatis, qùod sufficit ad hoc vt materia sit principium indiuiduationis.

34 Instabis primò. Nulla potentia limitatur, & appropriatur, nisi per aliquem actum illam informantem, sed materia ex se est potentia indifferens, ergò non limitatur, & appropriatur alicui, nisi per aliquem actum illam informantem, ac ideò compositum ex materia, & quantitate actu inhærente erit principium indiuiduationis, Minor patet, Maior quoque videtur clara, nam quousque potentia non informatur per aliquem actum, est indifferens ad omnes; actus enim est, qui distinguit, vt ait Philosophus.

35 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo antecedens, si non connotet etiam in obliquo talem actum, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Ad hoc enim vt materia censeatur limitata, & appropriata huic composito potiùs, quàm illi, sufficit ordo ad quantitatem determinatam. Siquidem quando Philosophus ait, quod actus est, qui distinguit, intelligitur de actu, vel ordine ad actum, & sicut potentiæ limitantur per ordinem ad sua obiecta, ità materia limitatur per ordinem ad quantitatem.

36 Instabis secundò. Materia indifferens est ad dicendum ordinem ad hanc potiùs, quàm illam quantitatem, eamque præhabendam, ergò aliquid superaddendum est ei, ad hoc vt limitetur, & approprietur, quod non erit nisi quantitas actualis.

37 Respondetur distinguendo antecedens, secundum se sumpta, concedo, vt subiecta potiùs huic quàm illi agenti, nego antecedens, & consequentiam. Licèt enim secundùm se respiciat tantùm quantitatem vt sic, tamen ex subiectione determinati agentis illam transmutantis, dicit ordinem ad determinatam quantitatem.

38 Instabis tertiò. Ex hac solutione sequitur, quod non materia signata quantitate, sed actio agentis sit primum, & radicale principium indiuiduationis, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela maioris probatur, nam ratione ipsius materia dicit ordinem potiùs ad hanc, quàm illam quantitatem. Ergò &c.

39 Respondetur distinguendo Maiorem, loquendo de principio indiuiduationis extrinseco, concedo Maiorem, intrinseco, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Nos enim loquimur de primo, & radicali principio indiuiduationis, sed intrinseco, non verò extrinseco, quale est agens.

40 Arguitur tertiò. Quantitas ex se, & ex proprijs meritis, saltem in linea diuisionis est primò indiuidua, ergò nequit materia esse principium radicale indiuiduationis, nisi vt actu affecta quantitate, consequentia probatur, nam quod est primum in linea aliqua petit, quòd sit tale solùm quidquid illud actu participat, ergò si quantitas, &c.

41 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, vel in rectò, vel in obliquo, concedo antecedens, semper in rectò, nego antecedens, & consequentiam. Sufficit ergò, quod ad hoc, vt materia dicatur diuisa ab alia, hoc habeat, quatenùs dicit ordinem ad quantitatem, sicque saluatur, quòd sit diuisa, vt participat de quantitate, saltem in obliquo.

42 Instabis primò. Quia ignis est primum in linea calidi sequitur, quod solùm id, quod in rectò, & in actu participat de igne sit calidum, ergò quia quantitas est primum in linea diuisionis, solùm quod in rectò, & actu participat illam, erit ab alio diuisum, & consequenter ad hoc vt materia dicatur diuisa, debet quantitatem actu recipere.

43 Respondetur distinguendo antecedens, vel formalitèr, vel virtualitèr, concedo antecedens, semper formalitèr, nego antecedens, & consequentiam. Et retorqueo argumentum, sicut enim ad hoc vt aliquid

sit

sit formalitèr calidum, non est necesse, quod participet de igne formalitèr, vt patet in vino, & pipere, quæ tantùm virtualitèr participant de igne; ità ad hoc vt aliquid sit formalitèr diuisum ab alio, non est necesse, quod formalitèr participet quantitatem, sed sufficit, quòd virtualitèr illam præhabeat.

44 Instabis secundò. Indiuiduum non est virtualitèr, sed formalitèr diuisum ab alio, ergò causa talis effectus, non solùm virtualitèr, sed etiam formalitèr debet esse diuisa, sed materia cum solo ordine ad quantitatem, non est formalitèr diuisa, ergò debet vlteriùs actuari quantitate, Minor subsumpta probatur, aliàs superflueret quantitas actualis, ergò &c.

45 Respondetur distinguendo Minorem subsumptam, diuisione accidentali, & integrali, concedo Minorem, diuisione subiectiua, & substantiali, nego Minorem, & consequentiam. Est ergò materia formalitèr diuisa antè quantitatem actualem diuisione subiectiua, & substantiali, cùm ad hanc præstandam solus ordo ad quantitatem sufficiat, non tamèn diuisione accidentali, & integrali, quæ est effectus formalis secundarius quantitatis actualis, ac ideò ad eam præstandam requiritur ipsa quãtitas actualis.

46 Instabis tertiò. Licèt id, quod solùm virtualitèr participat de igne, possit esse formalitèr calidum, tamèn id, quod solùm virtualiter participat de quantitate, nequit esse formalitèr diuisum quomodocumque. Ergò si materia est formalitèr diuisa, diuisione substantiali, hoc debet habere per quantitatem actualem. Antecedens probatur. Ignis effectiuè producit calorem, quantitas autem dat esse diuisum in genere causæ formalis, ergò &c. Consequentia probatur, nam hæc est differentia intèr causam efficientem, & formalem, quod illa virtualitèr continet effectum, hæc verò formalitèr, cùm causet per sui communicationem; vndè quià homo est formalitèr vegetatiuus, anima rationalis, quæ est causa formalis, est formalitèr vegetatiua, ergò &c.

47 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, vel actualis, vel radicalis, concedo antecedens, semper actualis, nego antecedens, & consequentiam. Itaque dico, quòd in genere causæ formalis, quantitas actualis præbet diuisionem accidentalem, & integralem, & in eodem genere ordo ad quantitatem, seu quantitas radicalis præbet diuisionem subiectiuam, & substantialem; vndè sicùt ad præstandam primam diuisionem requiritur actu quantitas actualis, ità ad præstandam secundam, requiritur in materia actu quantitas radicalis, quæ substantia est, cum nil aliud dicat, quàm materiam, vt connotantem quantitatem.

48 Instabis quartò. Sicùt esse album est effectus formalis albedinis, ità diuisio est effectus formalis quantitatis, sed nequit esse aliquid album, per solum ordinem ad albedinem, sed requiritur albedo actu informans, ergò neque materia potest esse formalitèr diuisa per solum ordinem ad quantitatem, sed requiretur quantitas actu inhærens.

49 Respondetur distinguendo Maiorem eodem modo, diuisio accidentalis, & integralis, concedo Maiorem, substantialis, & subiectiua, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Sicùt ergò aliquid non est album, nisi per albedinem actu habitam, ità nec est formalitèr diuisum diuisione integrali, & accidentali, quæ dicit extensionem & ordinem partium, nisi per quantitatem actu habitam. Cæterùm ad diuisionem subiectiuam, & substantialem solus ordo ad quantitatem est sufficiens, sicùt solus ordo potentiarum ad diuersa obiecta, vnam ab alia distinguit.

50 Instabis quintò. Substantia antè quantitatem actualem, per solùm ordinem ad illam non habet partes substantialitèr distinctas, ergò neque habebit duo indiuidua totalitèr distincta; antecedens est sententia, quam Complutenses dicunt teneri à D. Thoma, & omnibus antiquioribus Thomistis; consequentia probatur, nam in plus se habet distinctio substantialis totalis, quàm partialis, ergò &c.

51 Respondetur primò negando antecedens,

dens, ad probationem dico sententiam oppositam esse probabiliorem, & defendi ab antiquioribus Thomistis, & dum Caietanus, Ferrariensis, & Soncinas citati à Complutensibus in lib. de Gener. & Corruptione, ponunt indiuisibilitatem in substantia cum Philosopho, & D. Thoma, loquuntur de substantia secundùm se, vt excludit etiam ordinem ad quantitatem, & hanc sententiam acriter defendi in Philosophia, & ad mentem esse Diui Thomæ ostendi.

52 Respondetur secundò cum Complutensibus, negando consequentiam, nam ideò substantia totalis indiuiduatur, & distinguitur ab alia substantia totali per ordinem ad quantitatem, quia sola quantitas habet partes eiusdem ordinis, seù solo numero distinctas, ac proindè se sola est indiuidua, & substantia est talis dependenter ab ipsa. Si autem substantia ex se haberet partes eiusdem rationis, seù numero distinctas, etiam ipsa indiuiduaretur se sola, & non per ordinem ad quantitatem.

53 Arguitur vltimò. Quantitas, sicùt & quodlibet aliud accidens existens in potentia, & causalitate materiæ, est ibi confusè, & indistinctè, ergò vt præcisè contenta in causalitate materiæ, non est proportionata, vt causet distinctionem indiuidualem, & sic requiretur quantitas actualis.

54 Resp. distinguẽdo antecedens, si materia spectetur secundùm se, concedo antecedens, vt determinata ab agente, nego antecedens, & consequentiam. Itaque licèt materia secundùm se contineat confusè, & indistinctè omnem quantitatem, sicùt & quodlibet aliud accidens materiale, tamèn quatenùs ab agente, mediantibus dispositionibus determinatur, distinctè continet hanc potiùs, quàm illam quantitatem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm materia sit principium indiuiduationis, vt dicit modum quemdam substantialem eam determinantem potiùs ad hanc quantitatem, quàm ad illam?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod ad clariùs explicandam mentem Sancti Doctoris circà signationem quantitatis, non parùm conducet, quòd priùs discutiatur, an per prædictam signationem intelligatur materia, vt per aliquem modum substantialem ex natura rei diuersum ab illa determinatur ad habendam potiùs hanc, quàm illam quantitatem, vt hoc etiam excluso, faciliùs constet intelligendam esse materiam, vt præhabet quantitatem, & dicit ordinem ad illam.

2 Prima sententia est affirmatiua. Hanc tuentur aliqui, quos refert Suarez tom. 1. Met. disp. 5. sect. 3.

3 Secunda sententia est negatiua. Hanc docent omnes Doctores, supracitati pro secunda sententia in antecedenti articulo; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COncl. Materia non est principium indiuiduationis, vt dicit modum quemdam substantialem, eam determinantem potiùs ad hanc, quàm illam quantitatem.

5 Probatur primò ratione D. Tho. opusc. de natura materiæ, cap. 3. Nam materia habet esse primum, & radicale principium indiuiduationis compositi substantialis, quatenùs habet rationem primi subiecti, non recepti, nec receptibilis in alio, sed hoc esset falsum, si esset principium indiuiduationis, vt

vt dicit modum quemdam substantialem eam determinantem, potiùs ad hanc quantitatem, quàm ad illam, ergò non est hoc pacto principium indiuiduationis. Probatur Minor, nam de ratione prædicti modi esset, quòd actuaret materiam, & in illa reciperetur, non enim talis modus esset materia, ergò actus, non per se subsistens, ergò receptus in materia, ergò si materia esset principium indiuiduationis, vt dicit talem modum, non esset principium indiuiduationis, vt dicit rationem primi subiecti. Vndè D. Thomas, vt optimè aduertunt Salmaticenses ibidem concludit hac ratione, quantitatem secundùm suum esse formale sumptam, quatenùs habet rationem formæ inhærentis, non posse esse primum principium indiuiduationis, cùm sit in alio tanquam in subiecto.

6 Probatur secùndò. Iste modus non posset non esse modus singularis, & physicus, ergò non posset recipi nisi in materia singulari, & præsupponere illam indiuiduam, ac ideò materia ratione illius, non posset esse primum principium indiuiduationis; probatur consequentia, nam hæc est differentia intèr actum Metaphysicum, & Physicum, quod actus Metaphysicus non supponit potentiam Metaphysicam singularem, sed eam actuando reddit talem, actus verò physicus, cùm secundùm suum esse recipiatur in materia, debet supponere illam singularem, ergò &c.

7 Respondere possunt contrarij, quòd iste modus est entitatiuè indistinctus ab entitate materiæ, & per consequens nequit physicè actuare, & informare materiam, & recipi in illa.

8 Sed contrà primò. Nam licèt iste modus realitèr entitatiuè non distinguatur à materia, tamèn realitèr formalitèr, seù ad minùs ex natura rei, & antè opus intellectus ab illa distinguitur, ergò licèt identicè sumptus non recipiatur, tamèn formalitèr ex natura rei, & secluso quouis opere intellectus, habebit quod recipiatur in materia, ac ideò supponit illam iam singularem.

9 Contrà secundò, Siquidem si talis modus est entitatiuè, & realitèr indistinctus ab entitate materiæ, nil aliud dicit, quàm materiam, vt est radix potiùs huius, quàm illius quantitatis, & sic hæc sententia coincidet cum communi Thomistarum.

10 Probatur vltimò. Iste modus substantialis nequit dari in materia. Ergò ratione illius, nequit esse principium indiuiduationis; probatur antecedens, nam si aliquis modus posset dari, vel haberet rationem puræ potentiæ, vel actus, si primum, nihil aliud esset, quàm ipsa materia prima, si secundum, vel esset forma, vel aliquid subsequens ad formam, ergò &c.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

11 Arguitur primò. Materia, quatenùs est principium indiuiduationis, non est actus purus, sed potiùs pura potentia, ergò ad hoc vt in exercitio sit principium indiuiduationis, debet ei superaddi aliquis modus ipsam determinans ad actum secundum, & exercitium, sed iste modus nequit esse accidentalis, ergò substantialis; consequentia patet, nam si aliquid non superaddetur remanebit sicùt priùs, ergò &c.

12 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, si non detur extrinseca connotatio agentis, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Sola ergò extrinseca connotatio agentis, quæ sufficit ad immutandam materiam, ad hoc vt recipiat formam determinatam, quàm ex se recipere non poscebat, determinat etiam materiam potiùs ad hanc quantitatem, quàm illam, & ità sufficit ad constituendam illam in actu secundo, & in exercitio primum principium indiduationis.

13 Instabis primò. Agens creatum indiget aliquo modo ipsi intrinsecè superaddito ad producendum suum effectum, ergò etiam materia egebit modo realitèr ipsi intrinsecè superaddito ad producendum suum effectum, scilicet indiuiduationem compositi substantialis; antecedens liquet, nam indi-

get

get actione, quæ realitèr ab ipso distinguitur, cùm ex se sit tantùm in actu primo constitutum; consequentia videtur clara à paritate rationis.

14 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quià agens est causa efficiens extrinseca, quæ per realem influxum causat effectum sibi extrinsecum, materia autem est causa intrinseca, quæ causat indiuiduationem compositi substantialis per sui communicationem, & ideò illud indiget actione intrinsecè superaddita, secùs verò ista modo substantiali.

15 Instabis secundò. Esto materia sit causa intrinseca, tamèn non est actus purus, sed pura potentia, ergò materia prima, vt in actu secundo causet effectum indiuiduationis compositi substantialis, indigebit modo intrinsecè superaddito; probatur consequentia, esto materia, & forma sint causæ intrinsecę, tamèn in sententia probabili, ideò materia indiget modo vnionis intrinsecè superaddito ad recipiendam formam, & rursùs forma ad actuandam materiam, nec sufficit agens extrinsecè connotatum, quià non sunt actus purus, sed vel pura potentia, vt est materia, vel actus admixtus potentiæ, vt est forma, ergò si &c.

16 Respondetur primò esse probabiliorem sententiam, nec materiam, nec formam, propter rationem causæ intrinsecæ hoc modo intrinseco vnionis superaddito indigere, sed seipsis immediatè vniri, præsupposita sola extrinseca connotatione agentis, & hanc tenui in physica, vndè ea stante, potiùs retorquetur argumentum contrà aduersarios.

17 Respondetur secundò in alia sententia distinguendo antecedens, per hoc, & aliquid aliud, concedo antecedens, præcisè per hoc, nego antecedens, & consequentiam. Itaq; est dispar ratio de vnione, & de determinatione materiæ ad hanc quantitatem; nam actualis causatio materiæ est de suo genere actus secundus, & ideò cum materia sit pura potentia, ad hoc vt transeat ad actum secundum, indiget aliquo superaddito intrinsecè, quod est modus vnionis, & licèt forma sit actus, tamèn est actus primus, quem excedit in perfectione actus secundus, & ideò etiam illa, ad hoc vt transeat ad actum secundum actuandi materiam, requirit modum vnionis intrinsecè superadditum; cæterùm esse in exercitio radicem indiuiduationis substantiæ materialis in genere suo, & in recto, non est actus secundus, sed potiùs dicit rationem puræ potentiæ omninò irreceptibilis, licèt in obliquo sit connexum cum actu primo, & secùndo, & ideò ad hoc, vt materia in exercitio sit principium indiuiduationis non petit, quod ei aliquid intrinsecè, & in recto superaddatur.

18 Arguitur secundò. Per materiam signatam quantitate, non intelligitur materia, vt à quantitate actualitèr informata, ad hoc vt sit principium indiuiduationis, ergò debet intelligi materia cum aliquo modo substantiali superaddito, ratione cuius determinetur potiùs ad hanc quantitatem, quàm ad aliam; probatur consequentia, nam si nomine materiæ signatæ quantitate, non intelligitur materia, vt à quantitate actualiter informata, iam debet intelligi materia, vt petens potiùs hanc, quàm illam quantitatem, sed hoc nequit facere sinè aliquo sibi intrinsecè superaddito, cùm secundùm se sit indifferens ad omnem quantitatem, ergò si per &c.

19 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, nego Minorem, sufficit enim extrinseca connotatio agentis, sicùt ad hoc vt transeant materia, & forma de vno contradictorio ad aliud, scilicet de non actu recipere, & actuare, ad actu recipere, & actuare, non est necessè, quod immutetur per aliquid intrinsecè superadditum, sed sufficit extrinseca connotatio agentis, vt dictum est in physicis de causalitate materiæ, & formæ, & ità est similis ratio in casu nostro.

20 Arguitur vltimò. Nequit aduenire de nouo aliqua denominatio intrinseca sinè aliquo intrinsecè superaddito, sed materia denominatur intrinsecè principium indiuiduationis compositi substantialis, ergò hoc debet habere saltem ratione modi substantialis intrinsecè superadditi, Minor patet,

Ma-

Maior quoque videtur clara, hac enim ratione relatio aliquam entitatem intrinsecam superaddit fundamento, quia ponit nouam denominationem intrinsecam, ergò &c.

21 Respondetur negando absolutè Maiorem, ad probationem distinguo antecedens, quæ denominatio sit diuersi generis, concedo antecedens, eiusdem generis, nego antecedens, & consequentiam. Denominatio ergò diuersi generis aliquid intrinsecum superaddit, vt liquet in relatione, cuius denominatio diuersi generis est, cùm fundamentum sit in linea absoluta, & hæc in linea relatiua. Cæterùm denominatio eiusdem generis, non superaddit nisi aliquid extrinsecè connotatum, vt patet in denominatione Patris, respectu secundi Filij, quæ non ponit nouam relationem, sed solam extrinsecam connotationem agentis, & secundi geniti, aliàs duo accidentia solo numero distincta essent in eodem subiecto. Et etiam liquet in denominatione vniti substantialiter respectu materiæ, & formæ, quæ denominatio non ponit nouam entitatem, cùm tàm vnio, quàm forma ad eandem lineam substantialem pertineant, cùm autem tàm materia, quàm ratio principij indiuiduationis spectent ad lineam substantiæ, benè poterit materia denominari principium indiuiduationis absque modo intrinsecè superaddito.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm materia sit primum principium indiuiduationis prout radicaliter præhabet, & dicit ordinem ad hanc potiùs, quam illam quantitatem?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod illius decisio ex dictis in præcedentibus articulis facillimè colligitur, si enim primum indiuiduationis principium, non est forma, sed materia, & non materia secundùm se sumpta, neque vt affecta quantitate actuali, nec cum aliquo modo substantiali, qui illi intrinsecè superaddatur, clarum remanet esse materiam prout radicaliter præhabet, & dicit ordinem ad determinatam quantitatem, quiâ tamen ad Maiorem explicationem, opus est vt aliqua addantur, ideò sigillatim illam excitamus.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc vltrà citatos Doctores defendit Suarez tom. 1. Met. sect. 3. & quamplures alij extrà scholam D. Thomæ.

3 Secunda sententia est affirmatiua, eamque docent prædicti Doctores in nostrum fauorem supracitati; vndè cohærenter ad hucusque dicta fit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Materia est primum principium indiuiduationis, quatenùs præhabet, & radicat hanc potiùs, quàm illam quantitatem, & dicit ordinem ad illam.

5 Probatur primò ex Philosopho, & D. Thoma, qui in omnibus locis suprà adductis, vt exposuimus, loquuntur de materia, vt radicaliter præhabet ipsam quantitatem, alioquin indiuiduum non esset ens per se, ergò &c.

6 Prob. secundò ratione fundamentali desumpta ex Caietano q. 5. de Ente, & Essentia. Illud est primum principium indiuiduationis intrinsecum, cui repugnat primò communicari pluribus, eo modo, quo vniuersale communicatur particularibus, sed res-

respectu indiuiduationis compositi substantialis, materia signata, scilicet, vt radix determinatæ quantitatis, est huiusmodi, ergò &c. Maior patet ex terminis, Minor probatur primò quò ad primam partem, scilicet quòd materiæ signatæ repugnet talis communicabilitas, nam materia signata,& radicans quantitatē est hæc, sed hoc vt hoc repugnat quod communicetur pluribus per modum vniuersalis, ergò materiæ signatæ, & radicanti quantitatem repugnat communicari pluribus ad modum, quo vniuersale communicatur particularibus. Quò ad secundam partem etiam, scilicet, quod primò repugnet, probatur ex regula posterioristica. Illud est subiectum, cui primò competit aliquid, quo primò posito ponitur illud, & quo primò remoto remouetur, sed primò posita in materia signatione, & radicatione quantitatis, ponitur incommunicabilitas opposita vniuersalitati, & primò remota remouetur, ergò communicabilitas propria naturæ vniuersali primò repugnat materiæ signatæ, vt radicanti quantitatem, Maior patet, Minor probatur, & primò quò ad primam partem, quià posita in materia signatione, & radicatione quantitatis, non est intelligibilis materia sub opposito incommunicabilitati, nempè sub communicabilitate, cùm sit hæc, ergò primò posita in materia signatione, & radicatione quantitatis, ponitur incommunicabilitas opposita vniuersalitati. Quò ad secundam partem probatur, quià remota à materia signatione, & radicatione quantitatis, statim remanet indifferens, & communis, ac per consequens communicabilis, eo modo, quo est communicabilis natura vniuersalis, ergò primò remota à materia signatione, & radicatione quantitatis, remouetur incommunicabilitas opposita vniuersalitati.

7 Probatur tertiò alia ratione Caietani. Frustrà fit per plura, quod æquè benè fieri potest per pauciora, sed absque quocunque alio stante materia signata, & radicante quantitatem sufficienter saluatur indiuiduatio substantiæ compositæ, ergò materia signata quantitate est primum principium indiuiduationis, Maior patet, Minor probatur, stante materia signata, & radicante quantitatem, iam materia intelligitur hæc, singularis,& indiuidua, sed hoc dato, iam forma, & compositum idem habent, ergò absque quocūnque alio &c.

8 Probatur vltimò. In indiuiduatione compositi substantialis, duo essentialitèr includuntur, nimirum incommunicabilitas, & diuisio à quocunque alio, sed primum, tanquam prima radix præstat materia, secundum verò quantitas, vt præcontenta in illa, ergò primum principium indiuiduationis compositi substantialis erit materia signata,& radicans quantitatem, Maior patet, Minor probatur, & primò quò ad primam partem, nam materia est primum subiectum irreceptibile in alio, quò ad secundam etiam, siquidem dimensiones sunt propriæ quantitatis, & diuisio accidit substantiæ ratione illius, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

9 ARguitur primò. Materia non habet, quòd sit signata quantitate hac, vel illa, siuè quòd præcontineat, hanc potiùs, quàm illam quantitatem, nisi quià est hæc, & indiuidua, ergò nequit esse primum principium indiuiduationis, quatenùs est signata quantitate, & illam præcontinet, probatur antecedens, nam materia secundùm se est indifferens ad hanc, vel illam quantitatem, alioquin non posset recipere, nisi hanc numero quantitatem, ergò &c.

10 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, & aliàs determinatur per dispositiones antecedentes, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaq; licèt materia secundùm se indifferens sit ad hanc, vel illam quantitatem, tamèn determinatur ad aliquam in particulari per extrinsecam connotationem dispositionum antecedentium, quæ debent esse determinatæ, & introductæ ab agente in tempore, & in composi-

to corrumpendo determinato. Et hæc sola extrinseca connotatio est sufficiens ad hoc vt ipsa materia absque alio ei addito, in esse entis præhabeat potiùs hanc, quàm illam quantitatem; sicùt species Angelica, quæ de se indifferens est, ad repræsentandum, omne ens naturale, repræsentat potiùs hoc, quàm illud singulare ex eo quòd ponatur præcisè extrinsecum connotatum exercitæ existentiæ talis singularis.

11 Instabis primò. Licèt materia extrinsecè determinetur ad præhabendam hanc potiùs, quàm illam quantitatem, tamen priùs præcontinet hanc numero formam, sed nequit præcontinere hanc numero formam, nisi vt hæc, & indiuidua, ergò semper materia non habet, quod præcontineat hanc potiùs, quàm illam quantitatem, nisi quià est hæc, & indiuidua, probatur Maior; Materia eo ordine præcontinet suos effectus, quo illos causat, sed priùs causat hanc formam, quàm hanc quantitatem, cùm illa sit actus substantialis, & ista accidentalis, ergò &c.

12 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, distinguo Maiorem, quo illos causat in genere causæ materialis dispositiuæ, & determinatiuæ, concedo Maiorem, in genere causæ materialis purè receptiuæ, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque sicùt causa finalis diuiditur in diuersa genera scilicet, in finem cuius, & finem cui, & aliquod potest esse priùs alio in genere finis cuius, & posteriùs in genere finis cui, vt patet in ægroto, & sanitate respectu medicinæ; ità causa materialis potest diuidi in duo genera; primò in causam materialem purè receptiuam, & in causam materialem dispositiuam, & determinatiuam. Materia autem eo ordine præcontinet suos effectus, quo illos causat, non quidem in genere causæ materialis purè receptiuæ, sed dispositiuæ, & determinatiuæ, cùm istud genus causæ aliud præcedat, ex eo, quod priùs est, quod materia disponatur, quàm quod recipiat aliud. Et quià priùs in hoc genere, causat hanc quantitatem, quàm hanc formam, cùm quantitas sit principalis dispositio ad introductionem formæ, ideò priùs præcontinet hanc numero quantitatem, quàm hanc numero formam. Cæterum loquendo de præcontinentia receptiua, sicùt priùs causat, in hoc genere formam, quæ recipitur immediatè in materia, v actus primus, quàm quantitatem, quæ recipitur in composito vt actus secundus, ità in hoc genere, priùs præcontinet formam, quàm quantitatem, sed prior præcontinentia, & causatio præcedit istam.

13 Instabis secundò. Priùs absolutè, & simpliciter materia præcontinet hanc numero formam, quàm quantitatem, ergò est indiuidua antè præcontinentiam huius quantitatis; antecedens probatur, materia respicit formam, tanquàm actum potissimum illius, sed actus potissimus alicuius potentiæ, priùs quocunque alio præcontinentur in illa, ergò &c.

14 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo Minorem, præcontinentia purè receptiua, concedo Minorem, dispositiua, nego Minorem, & consequentiam; actus enim potissimus priùs præcontinetur, præcontinentia tantùm receptiua in materia, non verò dispositiua, & determinatiua, quæ vtique absolutè, & simpliciter præcedit primam, cùm nihil possit recipi in materia nudè sumpta, sed dispositâ ad illud recipiendum. Et hoc patet in gratia, quæ est potior actu contritionis, & tamèn in genere causæ dispositiuæ iste illam præcedit in anima.

15 Instabis tertiò. Ea quæ pertinent ad prædicamentum substantiæ, priùs, & absolutè respiciuntur à materia, quàm ea quæ sunt de genere accidentium, sed forma est de genere substantiæ, quantitas de genere accidentis, ergò &c. Probatur Maior, nam substantia absolutè, & simpliciter præcedit accidens, ergò &c.

16 Respondetur eodem modo distinguendo Maiorem. Ipsæ enim qua itat s materiales, estò sint accidentia, tamen à materia priùs respiciuntur, in genere causæ materialis dispositiuæ, quàm forma, vt pat t in ligno, quod per plures præcedentes gradus

caloris disponitur ad recipiendam formam ignis.

17 Instabis quartò. Si quantitas, sicùt & alia accidentia præcedetent formam in genere causæ materialis dispositiuæ, præcederent quoque illam in genere causæ materialis receptiuæ, consequens est falsum, ergò & antecedens, probatur Maior, nam nequeunt materiam disponere, nisi recipiantur in illa, ergò si quantitas &c.

18 Respondetur distinguendo Maiorem, quæ non sit purè receptiua, & mediatè, concedo Maiorem, quæ sit purè receptiua, & immediatè, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaq; notanda est illa particula purè receptiua, sic enim sola forma substantialis recipitur in materia, quià recipitur vt terminus, & non vt via, & dispositio ad vlteriorem formam, & quidem sola immediatè recipitur. Si autem quantitas, & alia accidentia priùs recipiuntur, non purè recipiuntur, quià non recipiuntur vt terminus, sed vt via, & dispositio ad terminum, nempè ad ipsam formam substantialem. Nec recipiuntur immediatè in ipsa materia, sed mediatè, cùm recipiantur in composito corrumpendo.

19 Instabis quintò. Materia non respicit hanc quantitatem, nisi propter hanc formam habendam, ergò priùs respicit hanc formam, quàm hanc quantitatem, ac ideò est indiuidua antè quantitatem; probatur consequentia, ideò priùs respicitur finis quàm media, quià media non respiciuntur, nisi propter finem, ergò &c.

20 Respondetur distinguendo consequens, prioritate intentionis, concedo consequentiam, prioritate executionis, nego consequentiam, ad probationem dicitur eodem modo. Vndè ordine intentionis priùs recipitur hæc forma, quàm hæc quantitas, sicùt à medico, priùs respicitur sanitas, quàm medicina, ordine autem executionis, priùs respicitur à materia hæc quantitas, quàm hæc forma, sicùt à medico priùs respicitur medicina, quàm sanitas.

21 Arguitur secundò, Si materia præcontinens hanc quantitatem esset principium indiuiduationis, vel esset quatenùs præcontineret quantitatem terminatam, vel interminatam, neutrum est dicendum, ergò &c. Probatur Minor quò ad primam partem ex D. Th. opusc. 70. q. 4. art. 2. vbi docet quod materia redditur hæc & signata per dimensiones interminatas, non autem terminatas, & etiam probatur, nam quantitas non habet esse terminatum, scilicet esse cum tali figura, & situ nisi ratione formæ, ergò hoc pacto supponit formam in materia, nec potest esse principium indiuiduationis. Quò ad secundam partem probatur, nam si quantitas concurreret ad indiuiduationem, vt est interminata, sequeretur quod Petrus puer, & vir non esset idem numero homo, cùm eius quantitas, dum est puer sit cubitalis, & dum est vir sit bicubitalis, ergò &c.

22 Respondetur primò cum Salmaticensibus negando Minorem, quò ad secundam partem, quià quamuis quantitas interminata sequatur ad formam substantialem, per quam accipit talem, vel talem figuram, & situm, ac per consequens, nequeat esse principium indiuiduationis, tamèn quatenùs est interminata, præsupponitur ad formam, cùm sit dispositio, per quam materia determinatur, potiùs ad hanc, quàm illam formam, non enim quantitas interminata dicit quantitatem infinitam, sed quantitatem vt præcisam per intellectum à tali figura, & situ, & adhuc non formatam per formam substantialem. Ad probationem, nego sequelam, ad probationem, distinguo antecedens, ità quòd sit diuersa materialitèr, concedo antecedens, formalitèr, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè tales quantitates, cubitalis, & bicubitalis in Petro puero, & viro, solùm diuersificantur materialitèr, non verò formalitèr, cùm spectent ad consistentiam eiusdem materiæ, nec in quantitate interminata consideratur ratio cubitalis, vel bicubitalis, sed hoc per intellectum præscinditur, & tantùm consideratur, quod sit hæc, & indiuidua.

23 Respondet secundò Caietanus. Quòd prin-

principium indiuiduationis est quantitas terminata, nec obstat quòd sequatur formam, quia etiam forma, sequitur potentiam materiæ, à qua tamen causatur. Vndè hæc substanria est causa materialis huius quantitatis; sed è conuerso in genere causæ formalis, hæcquanritas est causa huius signationis materiæ. Cæterùm prima responsio magis esse videtur ad mentem Sancti Doctoris, qui vltrà locum citatum ex opusc. 70. in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 3. ad 4. ait. *Dimensio, quæ præintelligitur antè formam substantialem in materia, non habet esse completum, quia non est dimensio terminata, terminatio enim dimensionis est per formam.*

24 Instabis primò contrà primam responsionem. Diuus Thomas opusc. de principio indiuiduationis docet, quod principium indiuiduationis est materia signata quantitate determinata, ergò sentit non esse quantitatem interminatam, sed terminatam; idem enim sonant determinatum, acterminatum.

25 Respondetur negando consequentiam, nam aliud est quantitas determinata, aliud quantitas terminata, quantitas enim determinata dicit quantitatem vt hanc numero, & non illam, non curando an sit completa, & terminata per formam substantialem, & an habeat hanc tantitatem, vel illam. Quantitas verò terminata dicit quantitatem completam, & formatam, per formam substantialem cum hac, vel illa tantitate, figura, & situ.

26 Instabis secundò. Quantitas siuè vt terminata, siuè vt interminata, eadem prorsùs entitas est realiter, ergò si vt terminata supponit indiuiduationem, illam quoquè supponet vt interminata.

27 Respondetur primò negando consequentiam. Quia eadem entitas realis respectu eiusdem potest in diuerso genere causæ antecedere, & subsequi, & hoc propter mutuam causalitatem causarum ad inuicem, sicut vltima dispositio antecedit, & subsequitur formam, & ingressus venti apertionem fenestræ; vndè eadem quantitas in diuerso genere causæ antecedit, & subsequitur formam, & secundum quod antecedit, dicitur interminata, secundum autem quod subsequitur, dicitur terminata.

28 Respondetur secundò argumentum æquiuocare, supponit enim, quod quantitas interminata sit realitas in materia distincta ab illa, cùm tamen in recto nil aliud sit, quàm materia, quatenùs in radice præhabet potiùs hanc, quàm illam quantitatem, quę solùm importatur de connotato, & in obliquo.

29 Arguitur vltimò ex Scoto. Si quantitas vt præcontenta in materia concurreret ad indiuiduationem, sequeretur quod se ipsa esset numericè distincta ab alia, sed hoc non est dicendum, ergò &c. Maior liquet, concurreret enim vt dans indiuiduo diuisionem; Minor probatur, omnis differentia formalis est specifica, sed illa diuisio esset formalis, nam esset diuisio in forma, cùm quantitas sit forma, & actus, non pura potentia, ergò esset specifica, ac ideò non distinguitur numericè.

30 Respondetur cum Caietano quæst. 5. de Ente, & Essentia ad 6. negando Minorem, ad probationem, nego consequentiam. Aliud enim est esse diuisionem formarum, aliud verò esse diuisionem formalem. Vndè peccauit arguens peccato maximo, non distinguens inter differentiam formalem, & formarum, omnis enim differentia formalis est specifica, non autem omnis differentia formarum, vt dicit Diuus Thomas secundò contrà gent. cap. 2. alioquin forma huius ignis, & forma illius ignis distinguerentur specificè, cùm sint formæ, & differant. Item linea mathematica diuisa in partes, habet duo indiuidua, quælibet enim pars lineæ est linea, & illa indiuidua sunt formæ, & differunt, sed non differentia formali, siquidem differentia formalis est illa, quæ habetur per principia quidditatiua, & semper oritur à forma, in eo quod forma, qualis non est inter hanc lineam, & illam, cùm eadem sit vtriusque quidditas. Vndè arguentis error est valdè puerilis; sunt formæ, & differunt, ergò differunt formalitèr, est monachus, & est albus, ergò est monachus albus. Hæc habet ingenio magis, quàm dignitate Eminentissimus Purpuratus.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Differentia Indiuidualis, seù hæcceitas sit primum principium Indiuiduationis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quòd licèt ex dictis in primo articulo, facilè constet differentiam indiuidualem, siuè hæcceitatem, non esse primum principium indiuiduationis, cùm de principio Physico sit sermo, non verò de Metaphysico, nihilominùs quià inter discipulos Angelici, & Subtilis Doctoris solet hoc punctum controuerti, ideò illud cum Eminentissimo Caietano specialiter propono.

2 Prima sententia est affirmatiua. Hanc tenet Scotus cum sua Schola in 2. dist. 3. q. 3. & 7. Met. q. 113.

3 Secunda sententia est negatiua. Hanc docet Diuus Thomas cum omnibus Thomistis; Vndè sit,

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Differentia indiuidualis, siuè hæcceitas, nequit esse principium indiuiduationis.

5 Probatur rationibus Caietani, & primò. Omnis actus singularis præexigit potentiam singularem, quam actuat, sed hæcceitas est actus singularis, ergò præexigit potentiam singularem, quam actuat, sed potentia, quam hæcceitas actuat, est natura indiuidua, ergò supponit naturam singularem, & indiuiduam, ac per consequens nequit esse principium indiuiduationis illius. Maior, & Minor sunt Scoti, consequentia sequitur ratione formæ,

6 Respondere possunt contrarij, quod tunc actus singularis, præexigit potentiam singularem, quando actus, & potentia distinguuntur realiter, quià tunc potentia realiter recipit actum, secùs verò, quandò realiter non distinguuntur, vt est in casu nostro.

7 Sed contrà cum eodem, quià secundum Scotum, quando aliqua duo adunantur realiter, eundem ordinem ex natura rei retinent, quem haberent, si essent distincta realiter, sed si actus singularis, esset distinctus realitèr, ex natura sua præexigeret potentiam singularem, ergò illam præexigit, etiamsi non sit distinctus realiter, cùm idem ordo seruetur.

8 Probatur secundò. Illa quæ sunt principia indiuiduationis, sunt seipsis primò diuersa, sed hæcceitas Socratis, & Platonis non sunt primò diuersæ, ergò non sunt principium indiuiduationis illorum, Maior est Scoti; Minor probatur, id quod conuenit magis cum vno, quàm cum alio, non est primò diuersum ab illo, cum quo magis conuenit, sed hæcceitas Platonis, magis conuenit, cum hæcceitate Socratis, quàm cum hæcceitate albedinis, ergò &c. Maior patet, primò enim diuersum ab alio, non conuenit cum illo, Minor probatur primò, nam hæcceitas Socratis, & Platonis conueniunt specie, hæcceitas autem Socratis, & albedinis differunt genere. Secundò, quià illa magis conueniunt, quæ magis assimilantur, sed magis assimilatur hæcceitas Socratis, & Platonis, quàm hæcceitas Socratis, & albedinis, ergò &c.

9 Probatur tertiò. Quod conuenit vni, & repugnat alteri indiuiduo eiusdem speciei præexigit necessariò ipsorum distinctionem, sed differentia indiuidualis, vt forteitas conuenit forti, & repugnat Platoni, ergò præ-

exi-

exigit necessariò ipsorum distinctionem, ac ideò non est principium indiuiduationis. Maior est Scoti in quodlibetis quæstione secunda, Minor etiam est sua conclusio.

10 Probatur vltimò à Ierma. Scotus manifestè petit principium, & probat idem per idem, ergò non est admittenda eius opinio. Probatur antecedens, nam inquirimus principium physicum, quarè natura materialis habeat differentiam indiuidualem, & hæcceitatem, ergò probando quod habeat hæcceitatem per hæcceitatem, Scotus manifestè petit principium; sicut peteretur, si inquirendo quodnam sit principium physicum gradus generici, & specifici, diceretur esse genereitatem, aut specieitatem.

§. III.

Argumenta soluuntur.

11 ARguitur primò. Illud, ad quod sequitur primò vnitas numeralis, est principium indiuiduationis, sed differentia indiuidualis, seù hæcceitas est id, ad quod primò sequitur vnitas numeralis, ergò differentia &c. probatur Minor, vnitas numeralis non sequitur ad quidditatem, nec ad aliquod accidens, cùm præcedat totum genus accidentium. Ergo differentia &c.

12 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego consequentiam. Siquidem talis diuisio est insufficiens, vndè non valet quod si vnitas numeralis, non sequitur ad quidditatem, nec ad aliquod accidens, quod sequatur ad differentiam indiuidualem, seù hæcceitatem, cùm adsit materia signata quantitate, quæ est principium illius.

13 Arguitur secundò. Omnis differentia differentium reducitur ad aliqua primò diuersa, sed indiuidua differunt, ergò eorum differentia debet reduci ad aliqua primò diuersa, sed hæc non possunt esse ipsorum naturæ, nec aliqua accidentia, ergò erunt eorum hæcceitates. Minor subsumpta quò ad secundam partem probatur, quia si esset aliquod accidens, maximè esset quantitas, sed quantitas nequit esse, ergò nec possunt esse aliqua accidentia. Prob. Minor, nam si de hac, & illa quantitate quæratur, quomodò differant redibit eadem quæstio, ac de duobus indiuiduis, ergò &c.

14 Respondetur negando Minorem subsumptam, ad eius probationem, nego Minorem, ad probationem nego antecedens. Quantitas enim hoc sibi proprium, & peculiare habet, vt sit se ipsa indiuidua, & habeat partes eiusdem rationis, seù solo numero distinctas, cùm prima sit in linea diuisionis. Et de hoc specialis articulus in sequenti quæstione erit.

15 Arguitur tertiò. Id quod se toto constituit primò aliquod singulare in sua entitate singulari, & vnitate consequente talem entitatem, ei se toto primò repugnat diuidi diuisione opposita illi vnitati, ac ideò est principium indiuiduationis, sed sola differentia indiuidualis, seù hæcceitas est huiusmodi, ergò sola hæcceitas, &c. Maior patet ex terminis, Minor quoque videtur clara, nam singulare nequit constitui, nec per naturam, nec per accidentia, nec per materiam, quæ est indifferens, ergò sola &c.

16 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego Minorem quò ad tertiam partem, licèt enim materia secundùm se sit indifferens, tamèn signata quantitate est determinata; vndè ipsa est principium indiuiduationis, & non ipsa differentia indiuidualis, quæ supponit naturam iàm singularem, cùm iuxtà Scotum omnis actus singularis, cuiusmodi est differentia indiuidualis præexigat potentiam singularem.

17 Arguitur vltimò. Sicut genus contrahitur ad speciem per differentiam specificam, ità species contrahitur ad indiuiduum per differentiam indiuidualem, seù hæcceitatem, sed differentia specifica est principium constitutiuum speciei, ergò differentia indiuidualis, seù hæcceitas erit principium constitutiuum indiuidui.

18 Respondetur distinguendo Minorem, Metaphysicè sumptæ, concedo Minorem, Physicè sumptæ, nego Minorem, & distinguo consequens eodem modo. Sicut ergò diffe-

differentia specifica, estò constituat speciem Metaphysicè sumptam, nihilominùs tanquàm à principio Physico desumitur à forma, ità licèt differentia indiuidualis constituat singulare Metaphysicè sumptum, nihilominùs principium Physicum, à quo desumetur, erit materia signata quantitate.

QVÆSTIO DECIMA

De Principio Indiuiduationis Accidentium.

EXplicata indiuiduatione substantiæ materialis, eiusque radicali principio, ad indagandum principium indiuiduationis accidentium, tàm spiritualium, tùm materialium accedimus. Et quidem supposito à parte rei, omnia accidentia esse indiuidua, cùm quidquid est in rerum natura productum sit singulare, de principio eorum indiuiduationis Metaphysico non quærimus, sed tantùm Physico; Vndè sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum subiectum sit radicale Principium Indiuiduationis Accidentium?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis suppono ex his, quæ dicuntur in libris de Generatione, & Corruptione accidentia materialia, nequaquàm recipi immediatè in materia prima, sed in toto composito substantiali, cùm materia debeat priùs actuari per formam, quàm per aliquod accidens, aliàs cùm per illud esset ens in actu cum forma substantiali adueniente, non faceret vnum ens per se, sed per accidens. Hoc supposito, quærimus an accipiant indiuiduationem à composito, quod est eorum subiectum, ità quod ideò hoc accidens sit vnum numero, quia est in hoc numero subiecto, & duo accidentia número distinguantur, quia sint in duobus subiectis, & quidem tam de accidentibus spiritualibus, quæ subiectantur in potentijs, & formis spiritualibus, quàm de materialibus quærimus, cùm eadem sit ratio de omnibus.

2 Prima sententia est negatiua; hanc defendunt Durandus, Scotus locis citatis, Suarez disp. 5. Met. sect. 7. & alij plures.

3 Secunda sententia est affirmatiua, hanc docent omnes Thomistæ cum suo Angelico Præceptore; Vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Primum, & radicale principium indiuiduationis, & distin-

stinctionis purè indiuidualis accidentium, est ipsorum subiectum.

5 Probatur primò ex Diuo Thoma pluribus in locis, & primò, 1.p.q.29. art.1. vbi ait, *accidentia indiuiduantur per subiectum, quod est substantia, dicitur enim hæc albedo, inquantum est in hoc subiecto.* Item q. 9. de Potentia, art.1. ad 8. inquit: *Accidentia non indiuiduantur, nisi ex suis subiectis*, sic etiam opusc. 29. ait: *sed aduertendum est, quòd accidentia non indiuiduantur per materiam primam, sed per subiectum proprium, quod est ens actu, indiuiduantur.* Ergò de mente Diui Thomæ vera conclusio.

6 Probatur secundò ratione. Ab eo vnumquodque accipit suam vnitatem, & distinctionem, à quo accipit suum esse, sed accidentia accipiunt suum esse à subiecto, ergò ab eo quoque accipiunt suam vnitatem, & distinctionem. Maior patet, Minor probatur, nam accidens est entis ens, ergò &c. Et hæc ratio est D. Tho. 1. p. q. 39. art. 3. vbi ait: *Accidentia autem sicut esse habent in subiecto, ità ex subiecto suscipiunt vnitatem, & multitudinem &c.*

7 Probatur tertiò. Ab eo vnumquodque accipit suam indiuiduationem à quo accipit esse in communicabile, & diuisionem à quocunque alio, sed accidens vtrumque accipit à subiecto, ergò accidens indiuiduatur à subiecto; probatur Minor, & primò quò ad primam partem. Accidens cùm ex se sit actus, & forma potiùs de se dicit communicabilitatem, ex hoc autem, quod est in hoc subiecto, habet quod non possit esse in alio, ergò accidens à subiecto accipit esse in communicabile, quò ad secundam partem etiam probatur, nam sequitur ex prima, siquidem, eo ipso quod aliquid est indiuisum in se, & incommunicabile, est quoque diuisum à quocunque alio; vnum enim est ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, ergò accidens à subiecto sumit quoque diuisionem ab alio.

8 Probatur quartò. Sicut in definitione accidentis in communi ponitur subiectum ipsius in communi per modum differentiæ, vt dicendo simitas est nasi curuitas, ità in definitione accidentis in particulari ponitur subiectum illius in particulari per modum differentiæ; vt dicendo, hæc simitas est huius nasi curuitas, ergò subiectum est ratio, quare hoc accidens differat ab alijs, ac ideò erit principium indiuiduationis illius.

9 Probatur vltimò. Vnitas, & distinctio numerica formarum, tanquàm à primo principio desumitur à materia signata quantitate, ergò pariter vnitas, & distinctio numerica accidentium, tanquàm à primo principio debet desumi ab eorum subiecto, probatur consequentia. Ideò primum, quia distinctio numerica est materialis, & distinctio materialis desumenda est à materia, sed subiectum est veluti materia receptiua accidentium, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

10 Arguitur primò. Vnaquæque res per illud intrinsecè, & formaliter est vna numero, per quod habet esse ens actu in rerum natura, sed accidens per suam entitatem est intrinsecè, & formaliter ens actu in rerum natura, ergò per eandem est singulare, & indiuiduum, ac ideò non sumit indiuiduationem à subiecto. Maior patet, Minor probatur, nam id habet vnaquæque res, ergò etiam id habebit accidens.

11 Respondetur distinguendo Maiorem, est vna numero, proximè, concedo Maiorem, radicalitèr, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo. Proximè ergò quælibet res per suam entitatem, per quam est ens actu in rerum natura, est quoque vna numero, ac in proposito etiam accidens, sed radicaliter aliundè debet hoc desumere; vndè sicut forma seipsa proximè est vna numero, & radicalitèr per materiam signatam quantitate, ità accidens per suam entitatem proximè est vnum numero, sed radicalitèr, hoc habet per hoc, quod est in hoc numero subiecto.

12 Instabis primò. Subiectum nequit esse principium radicaliter indiuiduans accidens,

dens, ergò nedùm proximè, sed etiam radicalitèr per suam entitatem accidens est vnum numero. Antecedens probatur; subiectum nequit esse principium radicale indiuiduationis accidentis, vt intrinsecè componens accidens, neque vt terminus habitudinis talis accidentis, ergò &c. probatur antecedens, & primò quò ad primam partem, nam non loquimur de composito ex subiecto, & accidente, sed præcisè de ipso accidente, quod certè non componitur intrinsecè ex subiecto. Ergò &c. quò ad secundam etiam partem probatur. Duo accidentia solo numero distincta, dicunt habitudinem ad informandum idem numero subiectum, transacto enim hoc calore, alter numero, non specie diuersus in eodem igne succedit, ergò &c.

13 Respondetur negando antecedens, ad probationem nego antecedens quò ad secundam partem, ad probationem distinguo antecedens, idem numero subiectum materialitèr sumptum, & in esse rei, concedo antecedens, formaliter, & in esse subiecti, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè licèt duo accidentia solo numero distincta, possint recipi in eodem numero subiecto, hoc tamèn erit materialiter, & in esse entis tantùm vnum, non verò formalitèr, & quatenùs hoc, vel illud tempus connotat, & ideò semper stat, quod accidens sumat suam indiuiduationem radicalitèr à subiecto.

14 Instabis secundò. Ex hac solutione sequitur, quod non subiectum, sed tempus sit principium radicale indiuiduationis accidentium, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela maioris probatur; ideò accidens est vnum numero, quià respicit hoc vnum subiectum numero formalitèr, & ideò subiectum est vnum numero formalitèr, quia connotat hoc numero tempus, ergò &c.

15 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo consequens, loquendo de principio radicali indiuiduationis extrinseco, concedo consequentiam, intrinseco, nego consequentiam. Tempus ergo solùm concurrit per modum connotati extrinseci, & ideò extrinsecè concurrit ad indiuiduationem, subiectum autem est terminus essentialis habitudinis, quam ad ipsum accidens dicit, & ideò intrinsecè, non quidem componendo, sed terminando concurrit ad ipsum indiuiduandum. Hic autem non loquimur de principio radicali indiuiduationis accidentium omninò extrinseco, sed suo modo intrinseco, sicut dictum est de principio indiuiduationis substantiæ materialis, & quidem quod habeat rationem causæ indiuiduationis, non verò conditionis sinè qua non, sicut habet tempus.

16 Instabis tertiò. Eo ipso, quod calor hic numero, productus sit ab hoc numero igne, neque diuinitùs potest produci ab alio igne, ergò erit distinctus à quocunque alio, ac per consequens indiuiduum, ergò subiectum non concurret ad ipsum indiuiduandum, vt terminus essentialis habitudinis.

17 Respondetùr distinguendo antecedens, & aliàs petit produci in determinato subiecto, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Est ergò impossibile, quod hic numero calor producatur ab hoc numero igne, quin producatur in hoc numero subiecto, cùm autem ignis sit causa efficiens, & per consequens extrinseca, subiectum autem causa materialis, ac ideò suo modo intrinseca, idcircò potiùs subiectum, quàm ignis, debet esse principium radicale indiuiduationis talis caloris, cùm de intrinseco sit sermo, non verò de extrinseco.

18 Instabis quartò. Accidens potest diuinitus separari ab vno subiecto, & poni in alio, vt hæc albedo potest tolli ab hoc pariete, & poni in alio. Ergò accidens nullo modo indiuiduatur à subiecto.

19 Respondetur distinguendo antecedens, tanquam in subiecto præternaturali, & accommodato, concedo antecedens, proprio, & naturali, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò diuinitùs possit aliquod accidens separari à proprio subiecto, & poni in alio, tamèn semper indiuiduatur per ordinem ad suum proprium, & naturale subiectum, aliudque respicit, tanquam accomodatitium, & præternaturale, eo modo, quo

quo anima rationalis estò diuinitus possit poni in alio corpore à proprio, tamèn semper indiuiduatur per ordinem ad proprium corpus, & in alio est, non vt forma, sed tanquam motrix, & præcisè vt assistens.

20 Arguitur secundò. Primum principium indiuiduationis accidentium, debet esse id, vndè primò prouenit indiuiduatio illorum, sed hoc non est subiectum, ergò &c. Minor probatur. Accidens sumit suam indiuiduationem à subiecto, subiectum autem est indiuiduum ratione materiæ signatæ quantitate, ergò &c.

21 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem distinguo consequens, loquendo de primo principio indiuiduationis insufficienti, concedo consequentiam, sufficienti, nego consequentiam. Itaquè verum est, quod remotè, & radicaliter, debet fieri processus, vsque ad materiam signatam quantitate, sed hæc non est principium sufficiens ad indiuiduandum accidens, nisi enim simul intelligatur compositum esse hoc, & indiuiduum, nunquam accidens habebit indiuiduationem, cùm accidentia sint formæ secundæ, quæ à subiecto determinato dependent. Hic autem intendimus assignare primum principium sufficiens.

22 Respondetur secundò, quòd materia signata quantitate est primum principium indiuiduationis accidentium quo, & incompletum, non verò quod, & completum; nos verò loquimur de primo principio quod, & completo, cuiusmodi est solum subiectum.

23 Instabis contrà primam responsionem. Ex materia signata quantitate, redditur sufficiens ratio, quarè aliquod accidens sit hoc, & indiuiduum, ergò erit principium sufficiens indiuiduationis accidentium, antecedens probatur, nam eo ipso, quod datur materia signata hac quantitate, debet dari determinata forma, & determinatum compositum, ergò etiam determinatum accidens, ac ideò ex materia signata &c.

24 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo consequens, logicè, & in esse illatiuo, concedo consequentiam, physicè, & in esse rei, nego consequentiam, Itaquè materia signata quantitate est sufficiens ratio indiuiduationis accidentium, solùm logicè, & in esse illatiuo, quatenùs ex illa sequitur compositum hoc, quod deindè physicè, & in esse rei præstat indiuiduationem accidentibus; eo modo, quo denegatio auxilij efficacis, dicitur sufficiens ratio peccati, solùm logicè, & in esse illatiuo, quatenùs ex illa sequitur infallibiliter peccatum; nontamèn physicè, & in esse rei, quia nisi adsit defectuosa operatio voluntatis creatæ, physicè, & in esse rei illud producens, nunquam erit peccatum.

25 Arguitur tertiò. Licèt accidentia absoluta indiuiduentur à subiectis, tamèn accidentia relatiua petunt indiuiduari à suis terminis, ergò non omnia accidentia indiuiduantur à subiectis. Antecedens probatur, ideò accidentia absoluta indiuiduantur à subiectis, quià illa naturalitèr respiciunt, sed accidentia relatiua naturalitèr respiciunt suos terminos, ergò licèt accidentia &c.

26 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Maiorem, tanquam causam materialem sui receptiuam, concedo Maiorem, tanquam causam formalem sui specificatiuam, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaquè tàm accidentia absoluta, quàm relatiua respiciunt naturaliter sua subiecta, tanquam causam materialem sui receptiuam, cum etiam accidentia relatiua dicant *In*, & ratione illius inhæreant suis subiectis, licèt secundum conceptum *Ad* referantur ad terminos, vndè cùm istos respiciant, tanquam causam formalem extrinsecam, quæ ipsis præbet specificationem, ideò stat quod omnia indiuiduantur à suis subiectis.

27 Instabis. Licèt termini formales præbeant specificationem accidentibus relatiuis, tamèn termini materiales solùm præstabunt indiuiduationem, ergò semper accidentia relatiua, indiuiduantur à suis terminis; probatur antecedens, termini formales differunt inter se specie, materiales verò solo numero, vt patet in duobus filijs ab eodem parente genitis, qui non sunt termini formales, sed materiales relationis Pater-

 nita-

nitatis. Ergò licèt termini &c.

28 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego consequentiam. Siquidem supponit illam iam præstitam à subiecto, cùm priùs sit quod relatio inhæreat subiecto, quàm quod respiciat terminum, & eo ipso, quod inhæret huic subiecto iam est hæc, & indiuidua; imò vna, & eadem relatio respicit plures terminos materialitèr distinctos, vt patet in eadem relatione Paternitatis, quæ vna numero existens respicit omnes filios, quod quidem verum non esset, si ab ipsis indiuiduationem sumeret.

29 Arguitur quartò. Datur aliquod accidens, quod non indiuiduatur à subiecto, sed eadem ratio est de omnibus, ergò nullum accidens indiuiduatur à subiecto. Maior probatur, nam tempus est accidens, sed tempus non indiuiduatur à subiecto, ergò &c. Minor probatur, siquidem potiùs subiectum indiuiduatur per tempus, cum sit formaliter hoc, ex eò quia connotat hoc numero tempus.

30 Respondetur negando Maiorem, ad probationem nego Minorem, ad probationem distinguo antecedens, tanquam per conditionem sinè qua non, concedo antecedens, tanquam per rationem formalem, seù potiùs materialem, nego antecedens, & consequentiam. Sicut enim datur mutua causalitas, etiam in eodem genere causæ subalterno, vt inter causam finalem cui, & cuius, & inter causam materialem dispositiuam, & receptiuam, ità à fortiori poterit dari inter causam materialem, & conditionem sinè qua non mutua vicissitudo, & ità subiectum poterit per modum causæ materialis indiuiduare tempus, & tempus indiuiduare subiectum per modum conditionis sinè qua non.

31 Instabis. Quantitas est verum accidens, & tamen indiuiduatur per se, & non per subiectum, ergò non omne accidens &c. probatur Minor ex Diuo Thoma 3. p. q. 77. art. 2. vbi ait, *quia indiuiduum est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, ipsa quantitas dimensiua secundùm se habet quandam indiuiduationem, ità quòd possumus imaginari plures lineas separatas eiusdem speciei differenter positione, quæ cadit in ratione huius quantitatis*; ergò &c.

32 Respondetur negando Minorem, ad probationem explico Diuum Thomam, ità quòd loquatur de quantitate Mathematicè sumpta, concedo antecedens, Physicè sumpta, nego antecedens, & consequentiam. Quantitas ergò duplicitèr considerari potest, vel Mathematicè, vel Physicè. Primo modo indiuiduatur per seipsam, vt dicemus in articulo sequenti, quatenùs plures numero lineæ, possunt considerari à Mathematico, non considerato subiecto, quia non apprehendit quantitatem vt sensibilem, sicut facit Physicus. Cæterùm Physicè loquendo, tùm quantitas, tùm omnia alia accidentia indiuiduantur à subiecto, vt docet idem Doctor Sanctus tot in locis suprà citatis.

33 Arguitur vltimò. Si propter aliquam rationem accidens indiuiduaretur à subiecto, maximè quia accipit esse ab illo, sed ista ratio est nulla, ergò &c. Maior est ratio Diui Thomæ; probatur Minor, nam compositum accipit esse à forma, & tamèn non indiuiduatur à forma, sed à materia signata quantitate, ergò licèt accidens accipiat esse à subiecto, tamèn non indiuiduatur ab eo.

34 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, in genere causæ formalis, concedo Maiorem, in genere causæ materialis, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Quod enim sumit esse ab alio in genere causæ formalis, ab eo sumit esse specificum, forma enim dat speciem, quod autem sumit esse ab alio in genere causæ materialis, vt est in proposito, ab eo sumit indiuiduationem.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum quantitas ex seipsa, tanquam ex prima radice indiuiduetur?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod cum ex illius decisione omnia ferè, quæ de indiuiduatione substantiæ materialis diximus, sicut, & alia plura dependeant, idcircò hoc dubium sigillatim excitamus.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc tenet Durandus, Aureolus apud cap. in 2. dist. 3. q. 1. art. 2. Scotus ibidem q. 4. Suarez disp. 5. Met.

3 Secunda sententia est affirmatiua. Hanc docent Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. Caietanus 1. p. q. 29. art. 1. Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 65. Bannez 1. de gen. cap. 5. q. 3. art. 8. Gonzalez 1. p. disp. 23. Salmaticenses de Prin. Indiu. disp. 2. dub. 2. & alij Thomistæ. Vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Quantitas hoc sibi peculiare vendicat, vt ex seipsa tanquam à prima radice indiuiduetur.

5 Probatur primò ex D. Tho. opusc. 70. quæst. 4. art. 2. ad 3. vbi ait. *De ratione indiuidui est, quod sit in se indiuisum, & ab alijs diuisum vltima diuisione, nullum autem accidens habet in se propriam rationem diuisionis, nisi quantitas* (& post pauca subdit) *vndè dimensiones ex seipsis habent quandam rationem indiuiduationis, secundùm determinatum situm, prout situs est differentia quantitatis, & sic habet duplicem rationem indiuiduationis, vnam ex subiecto, sicut & quodlibet aliud accidens, aliam ex seipsa, inquantum habet situm.* Item 3. p. qu. 77. art. 2. inquit. *Vndè & ipsa quantitas dimensiua secundùm se habet quamdam indiuiduationem.* Sic enim quodlibeto 7. art. 10. asserit, *quantitas non indiuiduatur solùm ex subiecto, sicut alia accidentia, sed etiam ex situ, qui est de ratione ipsius quantitatis dimensiuæ.* Quod quidem docet 4. contrà Gentes cap. 66. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3.

6 Probatur secundò ratione. Quantitas ex seipsa, tanquam ex prima radice, habet esse diuisibilem in plures partes eiusdem rationis, seù in plures partes solo numero distinctas, sed ex hoc sequitur ex seipsa tanquam ex prima radice, habere quodammodò esse indiuiduum, ergò &c. Maior patet, nam quantitas est prima in linea diuisionis, primum autem in vnoquoque genere est mensura sui, & cæterorum; Minor probatur, siquidem ex eodem capite res habent distinctionem, ac vnitatem purè numericam, sicut illam habent substantiæ materiales à materia signata quantitate, ergò &c.

7 Probatur vltimò. Si darentur duæ lineæ separatæ ab omni subiecto, possent intelligi, & esse solo numero diuersæ. Ergò ex seipsis haberent talem distinctionem, ac ideò etiam indiuiduationem, consequentia patet, nam præscinditur etiam ordo ad subiectum, antecedens probatur, quià vna haberet distinctum situm ab alia, secùs non essent duæ lineæ, ergò possent intelligi, & esse numero diuersæ, cùm impossibile sit quod occupent diuersum situm, & inter se non distinguantur.

§. III.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

8 ARguitur primò. Quantitas non est ex se magis ens, quàm alia accidentia, ergò non magis ex se erit indiuidua, quam illa, sed alia accidentia indiuiduantur ex subiecto, & non seipsis, ergò etiam quantitas. Antecedens patet, nam potiùs dantur accidentia perfectiora ipsa quantitate, vt sunt accidentia spiritualia, quod autem magis de perfectione habet, magis habet de entitate, consequentia verò probatur, vnumquodque enim ità est vnum, sicut est ens, ergò &c.

9 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, proximè, & immediatè, concedo antecedens, radicalitèr, nego antecedens, & consequentiam. Itaq; verum est, quod vnumquodq; ità est vnum proximè, & immediatè, sicùt est ens, ac ideò, quò magis habebit de entitate, habebit vnitatem numericam proximè aliquo modo nobiliorem, sed tamèn vnumquodque non est ità vnum radicalitèr, sicut est ens, ità quod illud, quod magis habet de entitate habeat esse magis vnum radicalitèr, non supponens aliquid aliud, quod sit radix suæ vnitatis numericæ, quià esse magis vnum radicalitèr, non sequitur ad entitatem nobiliorem, & perfectiorem, cùm forma sit nobilior materia, & tamèn ista sit radix indiuiduationis illius, sed sequitur ad entitatem, quæ vel sit primum subiectum, vel forma irreceptibilis in alio, vel tandem habeat partes eiusdem rationis, & per consequens solo numero distinctas: Vndè cùm hoc tertio modo se habeat quantitas, indè stat, quod ex se radicalitèr est vna, & indiuidua, sicut est formà angelica.

10 Arguitur secundò. Forma substantialis materialis non habet vlla ratione esse ex se, tanquàm ex prima radice indiuidua, ergò neque hoc habebit quantitas, probatur consequentia, ideò forma substantialis materialis, non est ex se indiuidua, quià est forma receptibilis in materia, sed etiam quantitas est forma receptibilis in subiecto, ergò &c.

11 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, distinguo Maiorem, ità quod sit ratio inadæquata, concedo Maiorem, adæquata, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque ratio quarè forma non est ex se indiuidua, non est præcisè quia est forma receptibilis in materia, sed etiàm quià intrà propriam lineam non habet partes eiusdem rationis, & solo numero distinctas, quæ sufficerent ad hoc, vt seipsa esset indiuidua, cæterum cùm illas habeat quantitas, indè stat seipsa esse indiuiduam, estò sit forma receptibilis in subiecto. Vltrà quam quod, quantitas Mathematicè sumpta, quo pacto solùm ex se est indiuidua, non consideratur vt in subiecto, licèt sine subiecto esse non possit.

12 Arguitur tertiò. Esse ex se indiuiduam, vel conuenit quantitati, quià accidens est, vel quià tale accidens; neutrum dici potest, ergò non est ex se indiuidua; probatur Minor quò ad primam partem, nam alitèr conueniret cuilibet accidenti; quò ad secundam partem probatur, nam quantitas qua tale accidens est taleitate specifica, dicit esse extensionem substantiæ, qua tale accidens est taleitate indiuiduali, dicit esse hanc extensionem huius substantiæ. Ergò nullo modo est ex se indiuidua, probatur consequentia; nam ideò cætera accidentia nequeunt seipsis esse indiuidua, quià non sunt hæc, nisi quatenùs respiciunt determinatum subiectum, ergò &c.

13 Respondetur conuenire quantitati, quià tale accidens est, ad probationem, nego consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, per hoc, & quià non habent partes eiusdem rationis, concedo antecedens, præcisè per hoc, nego antecedens, & consequentiam. Cùm ergò cætera accidentia non habeant partes eiusdem rationis, ac ideò solo numero distinctas, nequeunt ex seipsis esse indiuidua, sed indiuiduantur à subiectis; quantitas autem è contrà se habet, cùm impossibile sit, quòd intelligatur diui-

diuisio quantitatiua, sinè partibus eiusdem rationis, ac ideò seipsa est indiuidua, licèt etiam indiuiduetur à subiecto, quatenùs recipitur in illo.

14 Arguitur vltimò. Si quantitas ex seipsa esset indiuidua, sequeretur quòd saltem supernaturalitèr possent duæ quantitates solo numero distinctæ, esse in eodem subiecto, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Minor patet, sequela Maioris probatur, tunc enim non sequeretur, quod essent, & non essent solo numero distinctæ, non enim indiuiduarentur à subiecto, & si repugnarent esse simul, hoc solùm esset ratione impenetrabilitatis, quæ cùm sit effectus secundarius quantitatis, diuinitùs potest tolli. Ergò si &c.

15 Respondetur distinguendo Maiorem, si quantitas physicè sumpta ex se esset indiuidua, concedo Maiorem, Mathematicè sumpta, nego Maiorem, & suppositum illius, nempè quod quantitas Mathematicè sumpta intelligatur recipi in subiecto, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque vt suprà vidimus, quantitas dupliciter potest considerari, primo Physicè, secundo Mathematicè. Primo modo non est seipsa indiuidua, sed indiuiduatur per subiectum, cùm recipiatur in illo, sicùt & alia accidentia, & ità repugnat, quod duæ quantitates, solo numero distinctæ sint in eodem subiecto. Secundo modo ex seipsa est indiuidua, sed hoc pacto non consideratur vt in subiecto, sed etiam præcisa ab omni ordine ad illud, vndè non sequitur quod duæ quantitates solo numero distinctæ sint in eodem subiecto.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm etiam de potentia Dei absoluta, repugnet duo accidentia, solo numero distincta, recipi in eodem subiecto?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est repugnantiam, quarè aliqua possint compati simul, esse in duplici differentia, naturalem vnam, essentialem aliam. Naturalis attenditur penès ordinem rerum, & spectata Dei potentia ordinaria, sicùt est illa, qua duo corpora nequeunt compati in eodem loco. Essentialis attenditur penès intrinseca principia rerum, & spectata etiam potentia Dei absoluta, sicùt est illa, qua duæ formæ substantiales nequeunt esse simul in eadem materia. In præsenti quæstione vtroque modo loquimur.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc defendunt cohærenter ad dicta in primo articulo etiam naturalitèr loquendo Aureolus, Scotus, Suarez, & alij ab ipso citati.

3 Secunda sententia est affirmatiua. Hanc docent Thomistæ cum Angelico Doctore; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Etiam attenta potentia Dei absoluta, repugnat duo accidentia solo numero distincta, recipi in eodem subiecto.

5 Probatur primò ex Philosopho, & D. Thoma, nam Aristoteles 5. Met. tex. 15. adducens diuersos modos, quibus dicuntur aliqua specie diuersa, primo loco ponit differentiam specificam accidentium, ex eo quòd simul sint in eodem subiecto, dicens: *Et quæcumque in eadem substantia differentiam habent*. Quæ verba D. Thomas ibidem

dem lect. 12. sic exponit. *Quintus modus differendi specificè, est quandò aliqua accidentia sunt in eodem subiecto, & tamèn differunt ad inuicem, eo quod impossibile est plura accidentia vnius speciei in eodem subiecto esse*. Item D. Thomas 3. p. quæst. 35. art. 5. ex eo probat, plures paternitates eiusdem rationis, non posse esse in eodem Patre, quià plura accidentia, solo numero diuersa nequeunt recipi in eodem subiecto dicens: *quià plures formæ eiusdem speciei, non possunt simul inesse eidem subiecto, non est possibile, quòd sint plures paternitates in eo, qui est Pater plurium filiorum generatione naturali, secùs autem esset, si esset Pater vnius generatione naturali, & alterius per adoptionem*. Tandem in quarto sententiarum dist. 12. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. arguens contrà eos qui dicebant, quod peracta consecratione panis, dimensiones illius, & reliqua accidentia, fundabantur in aere sicùt in subiecto, ac ideò dimensiones aeris, & panis consecrati, & desinentis esse recipi simul in aere: inquit, *cùm ergò omnes dimensiones sint eiusdem speciei, in quacunque materia sint, quia materia non intrat in definitionē earum, si dimensiones panis iterùm sint, sicùt in subiecto in aere, sequitur quòd duo accidentia eiusdem speciei sunt in eodem subiecto, quod est contradictoria esse simùl, quià accidentium eiusdem speciei numeratio, non est nisi ex subiecto, vndè si subiectum sit vnum, sequitur illa accidentia esse plura, & non plura*. Ergò de mente Philosophi, & D. Thomæ vera Conclusio.

6 Probatur secundò ratione fundamentali deducta ex vltimo testimonio Sancti Doctoris. Si duo accidentia, solo numero diuersa essent simùl in eodem subiecto, verificarentur duo contradictoria, scilicet quòd essent, & non essent duo, consequens est absurdum etiam attenta potentia Dei absoluta; ergò etiam attenta potentia Dei absoluta repugnat duo accidentia solo numero distincta recipi in eodem subiecto. Sequela Maioris quò ad primam partem supponitur, quò ad secundam probatur, siquidem illa duo accidentia non distinguerentur, nec specificè, nec numericè, non specificè, alias non essent eiusdem speciei, quod est contrà suppositum, neque numericè, quià accidens indiuiduatur à subiecto, vndè repugnat, quod accidentia sint duo, & subiectum sit vnum, ergò &c.

7 Respondent contrarij, rationem conuincere de accidentibus, quæ sunt connaturalia subiecto, ista enim indiuiduantur per illud, non verò de accidentibus præternaturalibus, aut supernaturalibus, vndè albedo connaturalis Petro, & albedo connaturalis Paulo possunt supernaturalitèr esse in Ioanne, siquidem adhuc possunt istæ distingui numero inter se, ettò sint in eodem subiecto, quià non indiuiduantur per illud, sed à proprijs subiectis, quibus sunt connaturales.

8 Sed contrà primò cum Salmaticensibus. Nam saltem ex parte Ioannis deberent dari duæ receptiones, per quas reciperet illas duas albedines, sed repugnant istæ duæ receptiones in eodem numero subiecto, quià semper sequeretur, illas esse duas, & non esse duas, cùm indiuiduentur à subiecto, ergò neque supernaturaliter possunt duæ albedines recipi in subiecto non sibi connaturali, sed forrè meliùs.

9 Contrà secundò. Siquidem nos loquimur de subiecto formalitèr sumpto, quod dat esse, & indiuiduationem accidentibus, vndè sicut potest diuinitùs tolli albedo ab vno pariete, & poni in alio, non tanquam in subiecto formalitèr, quod det illi esse, sed tantùm illam sustentante, ità non repugnabit duo accidentia numero distincta esse in eodem subiecto, quod præcisè illa sustentet; quod idem est de subiecto connotante diuersum tempus. Neque hæc doctrina displicere debet ipsis Salmaticensibus, dum ipsi quoque dubio primo eiusdem quæstionis, § 4. nu. 12. docent subiectum esse principium indiuiduationis accidentium formalitèr, prout connotat hoc potiùs, quam illud tempus.

10 Respondent secundò contrarij rationem D. Thomæ solùm conuincere de acciden-

dentibus absolutis, non relatiuis, cùm enim illa non respiciant aliquid aliud præter subiectum, oportet quod hoc ipso, quod sunt in eodem subiecto, non habeant vndè numero distinguantur. Accidentia autem relatiua, quamuis sint simul in eodem subiecto, tamèn respiciunt diuersum terminum, & ideò ratione illius possunt numero inter se distingui.

11 Sed contrà. Quià termini formales concurrunt in genere causæ formalis ad specificanda accidentia relatiua, ac ideò nequeunt præstare distinctionem materialem, & purè numericam, sed solùm specificam. Termini autem materiales, cùm cadant sub eadem ratione formali sub qua respiciuntur ab vna, & eadem relatione, nec illam numero multiplicant, sicùt potentia visiua, vna numero existens attingit omnia colorata, quià cadunt sub eadem ratione formali visibilis.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

12 Arguitur primò. Stante vnitate numerica materiæ potest duplex forma numero tantùm distincta recipi in illa, ergò similitèr stante vnitate numerica subiecti, poterit duplex accidens, numero tantùm distinctum recipi in illo, antecedens patet, non enim exhauritur potentialitas materiæ per vnicam formam, consequentia verò probatur, si quidem non minùs forma indiuiduatur per materiam, quàm accidens per subiectum, ergò si &c.

13 Respondetur distinguendo antecedens, negatiuè sumptæ, concedo antecedens, positiuè sumptæ, nego antecedens, & consequentiam, ad probationem respondetur eodem modo. Imò retorquetur argumentum, sicut enim nequeunt duæ formæ numero distinctæ esse in eadem materia positiuè sumpta, vt signata hac, vel illa quantitate, ità nec poterunt duo accidentia, numero distincta esse in eodem subiecto.

14 Instabis primò. Estò naturaliter nequeant duæ formæ esse in eadem materia positiuè sumpta, possunt tamèn esse supernaturaliter, ergò licèt naturaliter duo accidentia nequeant esse in eodem subiecto, tamèn poterunt esse supernaturaliter.

15 Respondetur negando antecedens. Licèt enim sustineatur à Doctoribus exteris, tamèn à D. Thomæ discipulis oppositum defenditur, cùm sequeretur verificari duo contradictoria, scilicet quod essent, & non essent formæ substantiales, cùm vna illarum non daret primum esse.

16 Instabis 2. Saltem stante vnitate numerica causæ efficientis, & finalis stant plures effectus solo numeri distincti, ergò similiter stante vnitate numerica subiecti stabit pluralitas numerica accidentium, probatur consequentia, ideò primum, quià extrinsecè se habent ad illos, sed etiam subiectum extrinsecè se habet ad accidentia, cùm illa non componat intrinsecè, ergò &c.

17 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo Maiorem; & etiam quià non sunt principium indiuiduationis illorum, concedo Maiorem, præcisè per hoc, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque tàm causa efficiens, quàm finalis, non sunt primum, & radicale principium indiuiduationis suorum effectuum, siquidem, vel sunt de linea substantiæ, & hoc pacto indiuiduantur per materiam signatam quantitate, vel sunt de linea accidentis, & ità indiuiduantur à subiecto; vndè benè possunt istæ duæ causæ respicere plures effectus solo numero distinctos, non tamèn subiectum potest recipere plura accidentia, solo numero distincta.

18 Arguitur secundò. Vnus, & idem Pater, potest habere plures paternitates solo numero distinctas, ergò saltem plura accidentia relatiua solo numero distincta possunt esse in eodem subiecto. Probatur antecedens, vbi sunt plures termini, ibi sunt plures relationes, sed idem Pater potest habere plures terminos, scilicet plures filios, ergò &c.

19 Respondetur negando antecedens, ad pro-

probationem, distinguo Maiorem, formaliter distincti, concedo Maiorem, materialiter distincti, nego Maiorē, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaq; vbi sunt plures termini formalitèr distincti, ibi vtiq; sunt plures relationes, non autem vbi sunt plures termini tantùm materialitèr distincti, cùm per accidens se habeant; vndè Pater vnica relatione respicit suos filios, quià de formali respicit illos sub ratione geniti, quod autem sint plures, vel vnus tantùm, de materiali se habet. Sicut absolutio Sacramentalis, de formali solùm respicit peccatum cum dolore confessum, quòd autem sit vnum, vel plura, de materiali se habet respectu absolutionis; vndè non multiplicatur ad eorum multiplicationem; sicut nec potentia, nec habitus ad multiplicationem suorum obiectorum materialium multiplicantur.

20 Instabis 1. Vbi sunt plures termini formalitèr distincti, ibi sunt plures relationes formalitèr distinctæ, ergò pariter vbi erunt plures termini materialitèr distincti, ibi erunt plures relationes materialitèr distinctæ, ac ideò in eodem Patre erunt plures paternitates numero distinctæ, probatur consequentia, nam quælibet relatio adæquatur cum suo termino, ergò sicut &c.

21 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, cum suo termino formali, concedo antecedens, materiali, nego antecedens, & consequentiam. Non enim relatio adæquatur cum vno termino materiali, ità quod plures, & plures non possit respicere, cùm sub eadem ratione formali tendat ad illos; sicùt habitus, & potentia non adæquantur cum actu materiali, ità quòd plures, & plures ab eodem habitu, & potentia non possint procedere, cùm sub eadem ratione formali omnes producantur.

22 Instabis secundò. Multiplicato fundamento, debet multiplicari relatio, sed multiplicato nouo filio, multiplicatur nouum fundamentum causans relationem paternitatis, ergò &c. Maior patet, nam multiplicata causa debet effectus multiplicari, probatur Minor, multiplicato enim nouo filio multiplicatur noua actio generatiua, ergò &c.

23 Respondetur distinguendo Maiorem, in subiecto capaci, concedo Maiorem, incapaci, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Multiplicato ergò fundamento etiam materialiter distincto, multiplicatur relatio, si subiectum sit capax; cæterum si sit incapax nouæ relationis, non debet ista multiplicari. Sicut in Christo esto detur fundamentum relationis realis filiationis, nempè esse genitum, tamèn non resultat relatio, quià est incapax illius; homo autem habens iam relationem paternitatis, est incapax nouæ paternitatis, & ideò non debet ei superaddi noua relatio paternitatis. Sicut producto habitu per primam demonstrationem, per secundam non producitur nouus habitus, cùm potentia sit incapax illius, vndè sicut per secundam demonstrationem præexistens habitus solùm perficitur, ex eo quòd extenditur ad nouum actum, ità per nouam actionem generatiuam præexistens relatio perficitur, inquantùm extenditur ad nouum terminum.

24 Instabis tertiò. Dum Patri tres filios habenti, vnus moritur, perit relatio paternitatis ad ipsum, & non ad alios, ergò signum est, quod erat realiter distincta à cæteris; probatur consequentia, nam realis separatio est signum realis distinctionis.

25 Respondetur distinguendo antecedens, quantùm ad entitatem, nego antecedens, quantùm ad terminationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Mortuo ergò vno filio relatio Paternitatis desinit esse, non quò ad entitatem, sed quò ad terminationem, inquantùm quod desinit ipsum respicere, non ex defectu sui, sed quià non coexistit. Sicut actus liber in Deo desinit quò ad terminationem, non quò ad entitatem, quià connotatū non coexistit, sola autem separatio quò ad entitatem, est signum realis distinctionis, non verò separatio quò ad terminationem. E si quæratur, quarè desinit terminatio, & non desinit entitas, aut adueniat noua denominatio, non adue-

adueniente noua entitate, iam dictum est suprà hoc esse, quià est denominatio eiusdem generis, & ordinis.

26 Instabis quartò. Nulla relatio potest respicere plures terminos adæquatos, sed omnes illi filij sunt termini adæquati, ergò nequeunt simul respici ab eadem relatione; Minor patet, Maior verò probatur, nullus enim effectus potest pendere à duplici causa totali, ergò &c.

27 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, distinguo antecedens, si tales causæ concurrant per modum plurium, concedo antecedens, per modum vnius, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò non possit idem numero effectus pendere à pluribus causis totalibus, & adæquatis in actu secundo, potest tamèn pendere ab illis, quatenùs conueniunt in vno modo causandi; sicut tractio nauis, quæ sufficiêter potest fieri ab vno homine, potest fieri à pluribus concurrentibus per modum vnius, nec secunda actio debet producere relationem sicut præcedens, licèt enim id per se facere possit, tamèn per accidens illam non producit, ex eo quod supponit illam productam, & ideò tantùm illam extendit ad nouum terminum; sicut intensio licèt sit sufficiens de se producere qualitatem, tamèn quià illam supponit productam per alterationem, ideò illam tantùm nouo modo applicat suo subiecto. Item secunda demonstratio licèt ex se possit producere habitum, tamèn quià productum reperit per primam, ideò solùm ad nouam materiam extendit. Tandem licèt transubstantiatio in Eucharistia sit sufficiens ad producendam substantiam Corporis Christi, tamèn quià inuenit illam productam, non de nouo producit, sed tantùm nouo modo applicat.

28 Arguitur secundò. Species intentionales representantes duo obiecta, solo numero diuersa vt duo alba, non differunt nisi solo numero, & tamèn sunt in eodem subiecto, ergò plura accidentia &c. Maior patet, nam species specificatur ab obiecto, Minor etiam videtur clara, sunt enim in eadem parte medij, & in eadem pupilla.

29 Respondent primò aliqui non recipi in pupilla, & medio, secundùm eandem partem, neque hoc debet videri mirum, etiamsi tales species in maxima multitudine multiplicentur, quià sunt minimæ entitatis; verùm responsio non subsistit, quià experientia dignoscimus visum per quamcumque speciem secundùm se totum, & non secundùm partem videre obiectum.

30 Respondêt secundò alij doctrinam datam, non complecti entia intentionalia, & hoc ideò, quià sunt primò instituta à natura ad representandum; vndè sicut totam essentiam, ità etiam quamlibet suam vnitatem desumunt ab obiecto. Sed in contrarium obstat, quià talia entia in sua linea entitatiua, sunt vera accidentia, quæ physicè afficiant subiectum, & ab ipso dependent in suo esse, fieri, & conseruari, vndè non minùs, quàm cætera à suis indiuiduantur subiectis.

31 Respondetur ergò cum Caietano 3.p. quæst. 35. art. 5. negando Maiorem, ad probationem, distinguo antecedens, in esse obiecti, & formalitèr sumpto, concedo antecedens, in esse rei, & materialitèr sumpto, nego antecedens, & consequentiam. Itaque tales species intentionales sensibiles, non differunt solo numero, sed etiam specie, quià non specificantur ab obiectis in esse entis, & materialitèr sumptis, quo pacto solo numero differunt, sed ab illis in esse obiecti, & formalitèr sumptis, quo pacto specie inter se differunt, quatenùs vnumquodque dicit suam essentiam commensuratam cum specie representante etiam differentiam indiuidualem illius.

32 Instabis primò. Estò huiusmodi species intentionales, in esse representatiuo differant specie, tamèn in esse entitatiuo, solo numero differunt, sed hoc pacto sunt in eadem parte pupillæ, ergò duo accidentia solo numero distincta poterunt esse in eodem subiecto, Minor patet, Maior quoque videtur clara, sic enim non specificantur ab obiectis specie diuersis.

33 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego consequentiam; Nam licèt non specificentur sub hac ratione ab

obiectis specie diuersis, tamen cùm species intentionales sint per se institutæ ad repræsentandum, & in esse repræsentatiuo differant specie, consequenter differunt specie, etiam in esse entitatiuo, cùm primum, quod reperitur in vnoquoque, secum trahat omnia consequentia ad illud.

34 Instabis secundò. Dato, quod duæ species sensibiles in esse repræsentatiuo, & entitatiuo differant specie, tamen duæ visiones solo numero differunt, sed hoc non obstante recipiuntur in eadem parte pupillæ, cùm se tota videat quodlibet obiectum, ergò semper duo accidentia solo numero distincta erunt in eodem subiecto. Minor patet, Maior verò probatur; ideò species sensibiles differunt specie, quià sunt repræsentatiuæ obiectorum essentialiter distinctorum in esse obiecti, sed visiones hoc non habent, cùm non sint institutæ ad repræsentandum, ergò &c.

35 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo Minorem, & aliàs specificantur à suis speciebus essentialiter distinctis, concedo Minorem, secùs, nego Minorem, & consequentiam. Licèt ergò visiones non sint formaliter repræsentatiuæ, tamen specificantur à speciebus intentionalibus, medijs quibus eliciuntur, vndè si istæ inter se essentialiter, & specificè differunt, etiam visiones debent essentialiter, & specificè inter se differre.

36 Instabis tertiò. Licèt species intentionales sensibiles, & earum visiones differant specie, tamen species intentionales intelligibiles, & earum intellectiones, nullo modo differunt specie: & tamen recipiuntur in eodem intellectu, ergò &c. Minor patet, Maior probatur, ideò primæ differunt specie, quià respiciunt obiectum vt hoc, & secundùm differentiam induidualem, sed hoc non faciunt species intentionales intelligibiles, cùm intellectus sit vniuersalium, sensus verò singularium, ergò &c.

37 Respondetur negando Maiorem, ad probationem distinguo Minorem, si repræsentent vniuersalia, concedo Minorem, singularia, nego Minorem, & consequentiam, Itaque duæ species intelligibiles repræsentantes diuersas naturas vniuersales, vtique non repræsentant illas, secundum differentias induiduales, hoc tamen faciunt duæ species intelligibiles repræsentantes duo singularia. Dicitur enim intellectus esse vniuersalium, non quià singularia saltem reflexè attingere nequeat, sed quià præcipuè circà vniuersalia versatur.

38 Instabis quartò. Duæ species in eodem intellectu possunt repræsentare idem singulare, ergò saltem istæ specie non distinguuntur inter se, sed solo numero, antecedens probatur, semel cognito ab intellectu vno singulari per speciem abstractam à phantasmatibus, producitur in illo alia species intelligibilis repræsentans idem singulare, vt docent præcipuè Complutenses, in lib. de anima disp. 10. nu. 99. ergò &c.

39 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, materialitèr idem, concedo antecedens, idem formalitèr, nego antecedens, & consequentiam. Licèt enim materialitèr sit idem numero singulare, formalitèr tamen erit diuersum, imò & specie diuersum, cum adæquetur, & commensuretur cum noua specie illud repræsentante vt hoc, & induiduum. Et hoc idem currit si repræsententur plura induidua, hoc enim fiet, vel per vnicam tantùm speciem vniuersaliorem, vel per plures particulares, pari ratione specie diuersas, cùm illa secundùm diuersitatem induidualem, & vt hæc repræsentent.

40 Arguitur tertiò. Possunt esse in eodem medio duo lumina numero tantùm diuersa, ergò duo accidentia &c. probatur antecedens, possunt duo luminosa applicari eidem medio, sed tunc duo lumina in eo producent, ergò &c. probatur Minor, si corpus opacum inter illa duo luminosa ponatur, tunc duę vmbrę resultabunt, ergò signum est quod duo lumina in tali medio inueniantur.

41 Respondetur distinguendo antecedens, secundùm diuersam partem, concedo antecedens, secundùm eandem partem, nego antecedens, & consequentiam. Itaque duo illa luminosa nequeunt applicari eidem medio, cum-

cum eadem distantia, aliàs naturalitèr possent penetrari, & ità diuersum lumen producent in diuersis partibus illius, ex quo non sequitur, quod duo accidentia solo numero distincta sint in eodem subiecto.

42 Instabis. Licèt naturalitèr duo luminosa nequeant approximari eisdem partibus subiecti, tamen supernaturalitèr id potest fieri, cùm possint penetrari, ergò in eo casu producent duo lumina in eisdem partibus subiecti, ac ideò saltem supernaturalitèr duo accidentia solo numero distincta erunt in eodem subiecto formalitèr.

43 Respondetur negando consequentiam, nam in tali casu producent vnum tantùm lumen, nec gemina vmbra resultabit in corpore opaco intermedio, sed vnica tantùm. Tale autem lumen non producent tanquam causæ totales, & adæquatæ in actu secundo, sed tantùm in actu primo, attemperando suam virtutem, licèt adsit sententia, quod se mutuò impedirent, & ità nullum lumen producerent. Vel quod in tali casu Deus vt author naturæ impediret vnum luminosum, ne ageret, sed de his in Physica.

44 Arguitur quartò. Idem subiectum potest simul recipere plura accidentia, quæ sunt diuersa numero, & specie; ergò similiter potest recipere plura accidentia, quæ sint numero tantùm distincta. Antecedens patet, potest enim recipere albedinem, & nigredinem, calorem, & frigus in gradibus quidem remissis naturaliter; in gradibus verò intensis supernaturaliter. Consequentia verò probatur, nam ex eo, quòd vnitates indiuiduales v. g. albedinis, & nigredinis sint coniunctæ cum vnitatibus specificis, propter hoc non tollitur conceptus vnitatis indiuidualis; ergò &c.

45 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, distinguitur antecedens, & aliàs multiplicatur subiectum formalitèr, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaque idem entitatiuè subiectum per diuersam potentiam formaliter respicit accidentia specie diuersa v. g. totam lineam albedinis, & totam lineam nigredinis, & ratione istarum diuersarum potentiarum constituuntur diuersa subiecta formaliter. Cæterùm accidentia, quæ sunt eiusdem speciei respiciuntur à subiecto secundum eandem potentiam, & ideò semper remanet idem subiectum formaliter; vndè si plura accidentia solo numero distincta essent in eodem subiecto, essent, & non essent plura, quod implicat contradictionem.

46 Instabis primò. Duo accidentia etiam solo numero distincta successiuè possunt esse in eodem subiecto, ergò etiam simul poterunt esse in illo. Antecedens patet, possunt enim duo calores esse successiuè in eodem ligno; consequentia verò probatur. Quia si non possent esse simul, neque possent esse successiuè, sicut enim subiectum semper est idem, ità semper præbebit eandem indiuiduationem.

47 Respondetur negando consequentiam; ad probationem nego antecedens, ad probationem distinguo antecedens, si esset idem eodem modo, concedo antecedens, diuerso modo, nego antecedens, & consequentiam. Itaque subiectum respectu duorum accidentium successiuè ipsi inhærentium solùm est idem materialitèr, cum connotet diuersum tempus, respectu verò illorum simul inhærentium est idem formalitèr, cum connotet idem tempus. Possunt autem plura accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto materialitèr, secùs verò formalitèr cum indiuiduentur ab isto, non verò ab illo. Vtràquamquod, vt benè inquit Marletta, cum subiectum recipit successiuè accidentia non est necesse, quod diuidatur actu, sicut requireretur, si reciperet simul, & ideò est valdè dispar ratio.

48 Instabis secundò. In eodem corpore Christi adsunt simul plures præsentiæ Sacramentales ad omnes species, sub quibus reperitur, sed tales præsentiæ solo numero differunt, cum earum termini, scilicet plures hostiæ solo numero distinguantur, ergò non solùm successiuè, sed etiàm simul plura accidentia solo numero distincta possunt esse in eodem subiecto. Consequentia probatur, nam tales præsentiæ sunt veræ relationes, ac ideò accidentia, ergò si &c.

49 Res-

49 Respondetur distinguendo Maiorem, quæ sint relationes rationis, concedo Maiorem, quæ sint relationes reales, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Præsentiæ ergò Corporis Christi sub speciebus Sacramentalibus non sunt relationes reales ex parte Corporis Christi, sed solùm ex parte specierum: Vndè Corpus Christi denominatur realitèr præsens speciebus à relationibus præsentiæ inhærentibus ipsis speciebus; sicut Deus denominatur realiter Dominus à relatione seruitutis existentis subiectiuè in creatura. Et quidem sicut Deus dicitur verè, realitèr, & substantialitèr esse in omnibus rebus, & tamen esse in rebus non importat relationem realem præsentiæ ex parte Dei, sed tantùm ex parte creaturarum, ità Corpus Christi dicetur verè, realitèr, & substantialitèr esse in Sacramento Eucharistiæ, vt inquit Cocil. Trid. sess. 13. can. 1. ex relatione reali præsentiæ specierum ad ipsum.

50 Hæc doctrina expressè est SS. Præceptoris, nã in 4. dist. 11. q. 1. a. 3. quæst. 1. ad 3. loquens de successione, qua substantia Corporis Christi succedit loco substantiæ panis sub accidentibus Eucharistiæ subdit: *sed secundùm regulam in 1. lib. dist. 26. de relationis datam, erit ista relatio ordinis huius successionis secundùm rem quidem in ipso pane, qui mutatus, non autem in Corpore Christi, nisi secundùm rationem, quia ipsum immutatum manet.* Sic etiam 3. p. q. 76. art. 6. ad 3. dicit: *quod cessantibus speciebus desinit esse Corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo Corporis Christi ad illas species, per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturæ desinentis:* Hæc D. Th. Vndè sicut desinit esse Dominus solùm ex eo quod amittit relationem rationis, ità cum desinit esse sub speciebus corruptis sola relatio rationis deperditur, & sic denomiatio realis essendi sub speciebus à sola relatione reali specierum desumebatur. Hinc meritò subdit Marletta suprà hoc immeritò hæsitasse Caiet. 3. p. q. 76. art. 3. §. *antequam autem respondeatur*; dum id clarissimè ostendit Sanctissimus Doctor.

51 Instabis tertiò. De facto aliqui Thomistæ acriter defendunt per actionem consecratiuam produci in Corpore Christi quemdam modum substantialem, quo dicatur produci, non absolutè, sed sub nouo modo essendi in hostia, & nos etiam talem modum dicendi amplexi sumus, ne dicatur idem producere se ipsum, ergò cum sint plures actiones consecratiuæ simul iam plures modi erunt simul in eodem Corpore Christi, sed isti solo numero distinguuntur; ergò semper plura accidentia solo numero distincta poterunt esse in eodem subiecto.

52 Respondetur nihil etiam in hac sententia esse contrà nos, cùm talis modus sit substantialis, & ideò non sequitur ex pluralitate horum modorum plura accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto. Vel dicatur vnam actionem consecratiuam producere talem modum, reliquas verò extendere, sicut prima actio generatiua producit relationem paternitatis, reliquæ verò ipsam extendunt, & quandò fiunt simul plures consecrationes, sicùt instrumentalitèr producunt idem Corpus Christi, vt dicitur in Physicis, ità quoque possunt producere eundem modum.

53 Arguitur vltimò in eadem voluntate Christi admittuntur duo actus Charitatis, liber, & necessarius circà idem obiectum; alter regulatus scientia infusa, alter scientia beata, & tamen in sententia probabili non distinguuntur specie; ergò duo accidentia sola numero distincta possunt esse in eodem subiecto.

54 Respondetur distinguendo Minorem, non distinguuntur specie completa, concedo Minorem, incompleta, nego Minorem, & consequentiam. Liberum enim, & necessarium saltem specie incompleta distinguuntur, vt docet S. Tho. 1. p. q. 83. art. 4. dicens, *Liberum arbitrium, & voluntatem, vt natura esse eandem potentiam, sed continere diuersos specie actus.* Vltràquàm quod potest dici, quod actus Charitatis liber est in voluntate, vt liberum arbitrium est: actus verò Charitatis necessarius est in voluntate, vt natura est; vndè non sunt in eodem subiecto formalitèr.

QVÆ-

QVÆSTIO VNDECIMA

De Principio Indiu. Formarum Spiritualium.

DVplex eſt Genus formarum ſpiritualium; Aliæ enim ſunt completæ, & nullum dicentes ordinem ad materiam, ſed omninò irreceptibiles in illa, cuiuſmodi ſunt Deus, & Angeli; Aliæ verò ſunt incompletæ, & dicentes ordinem ad materiam, in qua tanquam in ſubiecto in quo verè, & propriè recipiuntur, & huiuſmodi ſunt animæ rationales. De omnibus in præſenti quæſtione ſermo procedit; Vndè ſit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum formæ Spirituales completæ per ſe ipſas indiuiduentur?

§. I.

Quibuſdam præmiſſis referuntur ſententiæ.

1 PRo reſolutione huius difficultatis ſuppono Deum eſſe ſummè vnum immultiplicabilem numero, vt fides docet; & ratio naturalis dictat, cum non habeat materiam. Similiter Angelos poſſe quidem multiplicari ſpecificè, non tamen purè numericè, cum ipſi quoque tàm actu, quàm aptitudine careant materia, quæ ſola eſt principium multiplicationis purè numericæ. Modò quærimus, an tàm Deus, quàm Angeli per ſe ipſos indiuiduentur, an verò per aliquid aliud.

2 Prima ſententia ſuſtinet formas completas non indiuiduari ſe ipſis. Ità Alenſis 2. p. q. 10. Memb. 6. a. 2. Gregorius de Valentia diſp. 4. quæſt. 1. Punc. 3. & omnes alij, qui tenent Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei.

3 Secunda ſententia docet indiuiduari ſe ipſis. Ità omnes Thomiſtæ cum Philoſopho, & Sancto Thoma; ſic ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COncluſio. Formæ ſpirituales completæ, quales ſunt Deus, & Angeli per ſe ipſas indiuiduantur.

5 Probatur primò ex D. Thoma opuſculo de natura materiæ cap. 3. vbi ait. *Formæ ſeparatæ eo ipſo, quod in alio recipi non poſſunt, habent rationem primi ſubiecti, & ideò ſe ipſis indiuiduantur:* Sic in q. de Spiritualibus creaturis ar. 8 ad 4 inquit, *quod ſicut forma, quæ eſt in ſubiecto, vel materia, indiuiduatur, per hoc, quod eſt eſſe in hoc; ità forma ſeparata indiuiduatur per hoc, quod non eſt nata in aliquo eſſe.* Item 1. p. q. 3. art. 2. ad 3. aſſerit, *quod formæ, quæ ſunt receptibiles in materia indiuiduantur per materiam quæ non poteſt eſſe in alio, cum ſit primum ſubiectum ſubſtans; forma verò, quantum eſt de ſe, niſi aliquid aliud impediat, poteſt recipi à pluribus; ſed illa forma, quæ non eſt receptibilis in materia, ſed eſt per ſe ſubſiſtens, ex hoc ipſo indiuiduatur, quod non poteſt recipi in alio, & huiuſmodi forma eſt Deus.* Hoc idem repetit S. Thomas vbicum-

cumque de hac materia tractat; ergò de eius mente vera Conclusio.

6 Probatur secundò ratione; ex hoc ipso, quod formæ completæ sint formæ simplices per se subsistentes, & nullum dicentes ordinem ad materiam habent ex vi huius, vndè indiuiduentur; sed totum hoc habent se ipsis; ergò se ipsis indiuiduantur. Minor patet. Maior probatur dupliciter, & primò, nam formæ receptibiles in materia habent, vndè indiuiduentur ex hoc, quod sint receptibiles in hac potiùs, quàm in illa materia; ergò ab opposito formæ irreceptibiles in quacumque materia habent, vndè indiuiduentur ex eo, quod in nulla sunt receptibiles. Secundò, sicut composita ex materia, & forma indè habent, quod sint indiuidua, vndè eis prouenit, quod neque sint in subiecto, neque de subiecto dicantur: ità formæ simplices, & completæ, indè habebunt esse indiuiduæ, vndè eis prouenit, quod non sint in subiecto, nec de subiecto dicantur, sed hoc eis prouenit, quià sunt formæ simplices per se subsistentes, & irreceptibiles in materia; ergò &c.

7 Probatur tertiò. Formæ spirituales completæ nequeunt indiuiduari per aliquid aliud; ergò se ipsis. Antecedens probatur, non possunt indiuiduari per materiam, aut ordinem ad illam, cum sint omninò illa expertes; neque per subsistentiam, existentiam, & accidentia, cum Deus sit suum esse, suum subsistere, & incapax accidentium; & Angeli antequam recipiant existentiam, subsistentiam, & accidentia habeant esse indiuidui; ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

8 Arguitur primò. Si formæ spirituales completæ indiuiduarentur se ipsis, sequeretur, quod Gabriel v.g. non esset indiuiduum propriè loquendo, nec prima substantia, sed quædam species separata, consequens est absurdum; ergò & antecedens. Minor patet, nulla enim substantia dabilis est in mundo, quæ non sit singularis, & indiuidua, vt docet Philosophus 7. Met. contrà Platonem ponentem ideas separatas. Maior verò probatur, forma non est principium constitutiuum indiuidui, sed naturæ specificæ tantùm; sed quilibet Angelus est forma simplex, ergò &c.

9 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem distinguitur Maior, quà forma est, concedo Maiorem, quà irreceptibilis in materia, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque forma spiritualis completa potest dupliciter considerari; primò quatenùs forma præcisè est, & ità est principium constitutiuum tantùm naturæ specificæ; secundò potest considerari, quatenùs est irreceptibilis in materia, & sub ista ratione, cum habeat esse primum subiectum, præstat incommunicabilitatem sibi ipsi, & est principium constitutiuum indiuidui, vtrumque autem præstat eadem forma, licèt sub diuerso munere, dicente Philosopho 7. Met. tex. 20. & D. Tho. opusc. 16. cap. vltimò, *quod in substantijs separatis idem est quo est, & quod quid est*, idest, forma, & indiuiduum.

10 Instabis primò; principium indiuiduans est limitatiuum naturæ specificæ; sed forma sub nullo munere est limitatiua naturæ specificæ; ergò sub nullo munere &c. Minor patet. Maior probatur, siquidem natura specifica limitatè, & contractè continetur in quolibet indiuiduo; ergò &c.

11 Respondetur distinguendo Maiorem, quando est distinctum à forma, concedo Maiorem; secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. De ratione ergò principij indiuiduantis non est, quod limitet naturam specificam, sed hoc tantùm habet, quando est diuersum à forma; ex sè autem solùm habet, quod compleat talem naturam, eamque reddat irreceptibilem in materia, & incommunicabilem alijs indiuiduis, non quidem per modum termini, hoc enim facit subsistentia, sed per modum subiecti.

12 Instabis secundò. Si daretur humanitas separata ab omni materia, non esset propriè

priè indiuidua; ergò cum forma Angelica sit separata ab omni materia, nequit esse se ipsa indiuidua.

13 Respondetur distinguendo antecedens, si esset separata actu, non tamen aptitudine, concedo antecedens; tàm actu, quàm aptitudine, nego antecedens, & consequentiam. Si ergò per hipotesim daretur humanitas tàm actu, quàm aptitudine separata à materia, illa vtique ex sè esset indiuidua, & principium suæ indiuiduationis; nec esset solo numero multiplicabilis, sicut D. Tho. quæst. de Spiritualibus Creaturis art. 8. ad 4. ponit exemplum in albedine. Cæterum de facto humanitas, vtpotè materialis, semper indiuiduatur per illam; forma autem Angelica tàm actu, quàm aptitudine est separata à materia, & ideò se ipsa est indiuidua, & èst principium suæ indiuiduationis.

14 Arguitur secundò. Natura specifica in Angelis est à parte rei indiuidua, & singularis per differentiam indiuidualem distinctam saltem virtualiter exclusiuè ab ipsa; ergò non est seipsa indiuidua. Probatur antecedens, ideò natura diuina includit in sua essentia indiuiduationem, quià est infinita, & actus purus; sed hoc non habet natura Angelica; ergò &c.

15 Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguitur Maior, ità vt sit ratio sufficiens, concedo Maiorem; adæquata, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque licèt natura Angelica non explicet singularitatem, illam tamen implicat, nec virtualitèr exclusiuè ab illa distinguitur, & ità se ipsa est indiuidua; ad hoc enim sufficit, quod tàm actu, quàm aptitudine sit à materia separata, non autem exigitur, quod sit infinita, & actus purus, licèt hæc ratio à fortiori conuincat aliquam formam ex se, & essentialiter esse singularem, cum primam rationem præsupponat. Cum autem natura Angelica sit separata tàm actu, quàm aptitudine à materia, indè stat esse ex se, & essentialiter singularem, & indiuiduam. Vltrà quàm quod licèt in sententia probabili aliquorum Thomistarum differentia indiuidualis virtualitèr exclusiuè sit distincta à natura specifica, tamen entitatiuè prouenit ab eadem forma; vndè semper saluatur naturam Angelicam se ipsa esse indiuiduam.

16 Instabis primò. Natura diuina præcisè, quià est infinita, & actus purus caret compositione ex genere, & differentia, quià ista compositio includit potentiam; ergò similiter quia infinita, & actus purus est, carebit compositione ex gradu specifico, & indiuiduali, & distinctione virtuali exclusiua eorundem, ac ideò si natura Angelica, nec infinita, nec actus purus est, habebit compositionem ex gradu specifico, & indiuiduali, & distinctionem virtualem exclusiuam inter vtrumque.

17 Respondetur negando consequentiam. Infinitas enim, & ratio actus puri est causa adæquata, quarè Deus careat compositione ex genere, & differentia, quià compositio ex genere, & differentia potest reperiri sinè compositione Physica ex materia, & forma, dummodò adsit compositio ex essentia, & & existentia; sic enim vna erit in potentia ad alteram. Cæterum infinitas, & ratio actus puri non est ratio adæquata, quare Deus careat compositione ex gradu specifico, & indiuiduali, sed tantùm sufficiens, quià ad hoc sufficit carentia compositionis Physicæ ex materia, & forma. Cum autèm Angelus careat compositione ex materia, & forma; indè stat, quod caret compositione ex gradu specifico, & indiuiduali, non verò ex genere, & differentia, & ideò gradus indiuidualis non est virtualitèr exclusiuè distinctus à specifico.

18 Instabis secundò. Ad hoc vt aliqua natura nequeat concipi vt vniuersalis, sufficit, quod in illa virtualitèr non distinguatur gradus specificus, & indiuidualis; sed sola infinitas, & ratio actus puri est causa adæquata, quare nequeat Diuina natura concipi vt vniuersalis; ergò sola infinitas, & ratio actus puri erit causa adæquata, quare in Deo non distinguantur virtualiter gradus specificus, & indiuidualis, ac per consequens in Angelo distinguentur.

19 Respondetur distinguendo Maiorem,

Ee vni-

vniuersalis secundum rem tantùm, concedo Maiorem, secundùm rem, & rationem simul, nego Maiorem; & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque infinitas, & ratio actus puri est causa adæquata, quarè Deus nequeat concipi vt vniuersalis secundum rationem, quià excludit compositionem ex genere, & differentia, quæ requiritur ad vniuersalitatem secundùm rationem. Cæterùm ad hoc vt aliqua natura non sit vniuersalis secundùm rem sufficit carere, tàm actu, quàm aptitudine materia, sic enim non poterit multiplicari numericè, vt est in Angelo.

20 Instabis tertiò. Potest formari verus conceptus de natura specifica Angeli, in quo non includatur differentia indiuidualis; ergò distinguuntur saltem virtualiter exclusiuè natura specifica Angeli, & eius indiuiduatio. Consequentia patet, nam ob defectum talis distinctionis nequit formari verus conceptus de natura Diuina, quin ingrediatur eius singularitas. Antecedens probatur, natura Angelica potest concipi quò ad omnia sua prædicata essentialia absque eo, quod concipiatur vt incommunicabilis alteri, ergò potest formari &c.

21 Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguitur antecedens, ità vt iste conceptus habeat fundamentum in imperfecto nostro modo concipiendi, concedo antecedens; in ipsa natura Angeli, nego antecedens, & consequentiam. Potest enim fieri conceptus, in quo non explicetur differentia indiuidualis ratione nostri modi imperfecti intelligendi, quià non valemus attingere spiritualia, vt sunt in se ipsis, non tamèn ità quod adæquatè concepta natura Angelica non includat essentialiter singularitatem, cum vterque gradus desumatur ab eadem forma.

22 Instabis quartò. Si non daretur huiusmodi distinctio virtualis inter gradum specificum, & indiuidualem, non posset dari ratio speciei in Angelis, consequens est absurdum; ergò & antecedens. Sequela maioris probatur, nam in tali casu illa species esset incommunicabilis; sed hoc repugnat rationi speciei, quæ debet habere aliquam indifferentiam saltem negatiuam; ergò si non daretur &c.

23 Respondetur negando sequelam Maioris. Ad probationem distinguo Maiorem, adæquatè concepta, concedo Maiorem; inadæquatè, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Stante enim indistinctione virtuali inter gradum specificum, & indiuidualem, adhùc natura Angelica potest concipi inadæquatè, vt non explicat gradum indiuidualem, & ità concipi cum indifferentia saltem negatiua, quæ sufficit ad rationem speciei prædicabilis. Cæterùm in natura Angelica verè datur ratio speciei infimæ, cum quilibet Angelus importet particularem gradum entis formalem, & vltimò terminatum formalitèr, talitèr quod eius natura non sit in potentia ad alium gradum formalem, quæ sunt conditiones speciei infimæ.

24 Arguitur tertiò. Omnis forma, quantùm est de se est communicabilis; sed indiuiduum est incommunicabile; ergò formæ completæ, & per se subsistentes nequeunt esse se ipsis indiuiduæ. Minor patet. Maior probatur, si omnis forma de se non esset communicabilis, vel communicabilitas repugnaret ei ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis: non primum, quià conuenit naturæ diuinæ; nec secundùm, quia competit substantijs compositis; ergò omnis forma &c.

25 Respondetur distinguendo Maiorem, sub conceptu formæ, concedo Maiorem; sub alia ratione, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque licèt omnis forma, quantùm est de se, sit communicabilis, tamèn si est irreceptibilis in materia, ratione talis irreceptibilitatis redditur hæc, & indiuidua, & incommunicabilis alteri.

26 Arguitur vltimò. Si forma spiritualis completa ex se ipsa esset principium indiuiduationis, esset quoque principium diuisionis purè indiuidualis; sed hoc est falsum; ergò forma spiritualis &c. Minor patet, non enim datur distinctio purè numerica

rica inter formas spirituales completas: imò in nostra sententia adhuc repugnat de potentia Dei absoluta. Maior probatur, in tantùm enim materia prima in corporalibus est principium diuisionis purè numericæ, quià est principium indiuiduationis; ergò si &c.

27 Respondetur negando Maiorem. Ad probationem nego consequentiam. Disparitas est, quià in materialibus est dabilis distinctio purè induidualis. Cæterùm in rebus spiritualibus completis non est dabilis, nisi simul sit coniuncta cum diuisione specifica, quià distinctio, quæ oritur à forma, in eo quod forma est semper formalis, & specifica.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum anima rationalis indiuiductur per se ipsam, aut per ordinem ad corpus?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est cum Caietano de ente, & essentia q. 13. Quod commensuratio, seù ordo dupliciter potest sumi. Primò pro relatione; secundò pro ipsa substantiali coaptatione rei. Primo modo essentialitèr est res relatiua, & in genere relationis. Secundo modo est res absoluta differens sola ratione ab ipsa re commensurata. Item absolutum duplicitèr sumi potest; vno modo vt absolutum à termino, quo pacto omnia prædicamenta præter relationem sunt absoluta: alio modo vt absolutum à subiecto, & ità sola substantia completa est absoluta; omnia enim accidentia sunt in subiecto, imò & ipsę formæ substantiales incompletæ, licèt diuerso modo. Quærimus in præsenti non de prima commensuratione, seù ordine, sed de secunda.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc defendunt Durandus in 2. dist. 3. quæst. 2. Suarez in Met. q. 4. & 6. & Toletus lib. 3. de Ani. q. 8. vltrà Scotum, qui consequenter ad sua principia sentit illam indiuiduari per suam hæcceitatem.

3 Secunda sententia est affirmatiua dicens animam rationalem indiuiduari per ordinem ad corpus. Hanc docent omnes Thomistæ cum Angelico Præceptore. Vndè fit,

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. Anima rationalis indiuiduatur per ordinem ad corpus.

5 Probatur primò ex D. Thoma 1. p. q. 3. art. 2. ad 3. vbi ait, *Formæ quæ sunt receptibiles in materia indiuiduantur per materiam;* vndè cum anima rationalis recipiatur in materia, certum est indiuiduari per ordinem ad illam. Item in primo dist. 8. q. 5. art. 2. ad 6. ait, *Quod indiuiduatio animæ dependet à corpore.* Et quæst. de Spiritualibus Creaturis art. 9. ad 4. docet, *Animam rationalem indiuiduari per ordinem ad corpus;* ergò de mente D. Thomæ vera Conclusio.

6 Probatur secundò ratione. Anima rationalis nequit indiuiduari per se ipsam; ergò per ordinem ad corpus. Consequentia patet. Antecedens probatur, differentia quæ oritur à forma in eo quod forma est formalis, & specifica; sed si anima rationalis indiuiduaretur per se ipsam, differentiā quam ab alia haberet, orietur à forma in eo quod forma; ergò deberet differre formaliter, & specificè ab illa, quod est absurdum; ergò anima rationalis nequit indiuiduari per se ipsam.

7 Probatur tertiò, Anima rationalis, sicut diffinitum est in Concil. Viennensi sub Clem. V. & in Lateranensi sub Leo X. sess. 8. est vera forma Corporis; sed de ratione for-

mæ corporis est indiuiduari per illud; ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

8 ARguitur primò; priùs intelligitur animam rationalem esse hanc, quàm sit in materia, vel dicat ordinem ad illam; sed non potest intelligi hæc, nisi sit indiuidua; ergò anima rationalis non indiuiduatur per ordinem ad materiam. Minor patet. Maior probatur, in anima rationali priùs intelligitur terminare productionem sui, quàm dicere ordinem ad materiam: priùs enim est id quod conuenit alicui in ordine ad se, quàm quod conuenit illi in ordine ad aliud; sed anima rationalis terminat productionem sui, vt hæc, cum actiones terminentur ad res singulares; ergò &c.

9 Respondetur negando Maiorem. Ad probationem distinguo Maiorem, in genere causæ efficientis, & formalis, concedo Maiorem; in genere causæ materialis, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Licèt ergò priùs intelligatur animam rationalem terminare creationem, quàm dicere ordinem ad materiam in genere causæ efficientis, & formalis, tamen in genere causæ materialis priùs intelligitur dicere ordinem ad materiam, quàm terminare creationem, vndè semper erit hæc, & indiuidua per ordinem ad materiam.

10 Instabis primò. Ordo animæ rationalis ad materiam non est proprietas animæ in communi, sed huius in particulari, vt distinctæ ab omni alia; ergò priùs anima rationalis erit hæc, & indiuidua, quàm quòd dicat ordinem ad materiam.

11 Respondetur distinguendo antecedens, ità quod constituat animam indiuiduam, concedo antecedens; ità quod consequatur ad animam indiuiduam, nego antecedens, & consequentiam. Ordo ergò animæ rationalis ad talem materiam, seù corpus est proprius huius animæ, vt constitutiuus illius secundùm esse indiuiduale, sicut ordo quem dicit differentia specifica ad genus contrahendo ipsum est proprius huius speciei determinatè constituendo ipsam. Vndè sicut differentia specifica non supponit constitutam speciem, sic neque ordo ad hanc materiam supponet constitutam animam rationalem quò ad esse indiuiduale.

12 Instabis secundò. Quod conuenit vni, & repugnat alteri eiusdem speciei, necessariò præexigit distinctionem ab illo; sed ordo ad talem materiam conuenit huic animæ, & repugnat alteri; ergò necessariò præexigit distinctionem huius ab illa, ac ideò non est principium indiuiduationis illius.

13 Respondetur distinguendo Maiorem, si illam non faciat, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo minori, nego consequentiam. Talis ergò ordo facit, & non præexigit distinctionē vnius animæ ab alia; sicut rationale conuenit homini, & repugnat Leoni, & tamèn non præexigit eorum distinctionem, sed illam facit. Imò Caietanus retorquet argumentum contrà Scotum, nam hæcceitas animæ Socratis conuenit illi, & repugnat animæ Platonis; ergò hæcceitas supponit earum distinctionem, & ità non erit principium indiuiduationis animæ Socratis.

14 Instabis tertiò. Indiuiduatio est ad se, talis autem ordo est ad aliud; ergò nequit dici, quod anima rationalis indiuiduetur per ordinem ad materiam.

15 Respondetur distinguendo Maiorem, si sit entis substantialis completi, concedo Maiorem, incompleti, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Indiuiduatio ergò entis substantialis completi est ad se. Cæterum substantia incompleta, qualis est anima rationalis, debet indiuiduari per ordinem ad suam compartem, nempè in ordine ad materiam, à qua solùm potest desumere vnitatem, & distinctionem indiuidualem.

16 Arguitur secundò. Vnumquodque secundum quod habet esse, ità & habet indiuiduationem; sed anima rationalis habet esse per se independens à materia; ergò

gò non indiuiduatur per ordinem ad materiam, Maior patet, Minor quoque videtur clara, nam anima rationalis est forma spiritualis, & per se subsistens, vndè adhuc separata à corpore non desinit esse, ergò &c.

17 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo antecedens, per se subsistens incompletè, concedo Minorem, completè, nego Minorem, & consequentiam. Anima ergò rationalis habet quidem esse spirituale, & per se subsistens, sed incompletè, & per modum partis, vndè exigit corpus, cum quo subsistat completè in toto; & etiam habet esse dependens à materia, non quidem tanquam ex subiecto ex quo sicut formæ materiales, sed tanquam ex subiecto in quo, ac ideò per illam petit indiuiduari.

18 Instabis primò. Anima rationalis potest subsistere absque materia, & separata à corpore; ergò non dependet à corpore tanquam à subiecto etiam in quo, & ità nullatenùs indiuiduatur per illud.

19 Respondetur distinguendo antecedens, cum essentiali tamen coaptatione, & ordine ad corpus, concedo antecedens; secùs, nego antecedens, & consequentiam. Semper enim adhuc in statu separationis, cum sit forma incompleta dicit ordinem ad corpus, & ità indiuiduatur per illud.

20 Instabis 2. Ordo, & coaptatio animæ rationalis cum corpore, vel est ipsa entitas animæ rationalis, vel aliquid respectiuum superadditum. Si primum; ergò anima rationalis seipsa indiuiduatur; si secundum est impossibile: substantia namque non indiuiduatur per aliquod relatiuum; ergò nullo modo anima rationalis indiuiduatur per ordinem ad corpus.

21 Respondetur quod ordo, & coaptatio animæ rationalis cum corpore non est quid relatiuum, & prædicamentale, sed absolutum, & transcendentale, sicut dictum est de ordine substantiæ materialis ad quantitatem, & ità est identificatus cum entitate ipsius animæ. Ad probationem distinguitur antecedens, excludendo aliud tanquam terminum, concedo antecedens; tanquam subiectum saltem aptitudinale, nego antecedens, & consequentiam. Indiuidua ur ergò anima rationalis absolutè, & in se excludendo aliud tanquam terminum, cum sit entitas absoluta, & non relatiua habens esse in ordine ad aliud vt purum terminum, non tamèn indiuidatur excludendo aliud tanquam subiectum receptiuum illius, cum vtpotè forma incompleta habeat esse in corpore saltem aptitudinaliter.

22 Arguitur vltimò. Animæ rationales distinguuntur inter se formaliter; ergò non per ordinem ad corpus, ac ideò nec per illud indiuiduantur. Antecedens probatur, nam sunt formæ; ergò distinguuntur formaliter.

23 Respondetur: Iuxtà dicta suprà negando antecedens; ad probationem negatur consequentia. Non enim distinctio animarum rationalium oritur ab ipsis formis in eo quod formæ sunt, sed aliundè desumitur; Differt enim hæc anima rationalis ab alia, quià est actus huius corporis, & non illius, quæ distinctio materialis est, & ideò non facit differre animas rationales specie, sed tantùm numero.

QVÆ-

QVÆSTIO DVODECIMA
DE ESSENTIA.

PEracto de principio indiuiduationis, de essentia, subsistentia, & existentia ad integram rei cognitionem habendam agendum remanet; cum autem essentia cæteras præcedat, ex eò quòd nomine essentiæ intelligitur id, quo res constituitur in sua propria specie, & habet prædicata intrinseca, & constitutiua rei, ideò priùs de illa tractare debemus. Quæstio autem procedit de qualibet essentia, siuè sit substantia, siuè accidens, siuè ipsa existentia signatè accepta, & vt essentia quodamodò est; vndè sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm essentiæ rerum sint ab æterno aliquid reale, actuale, & positiuum extrà Deum?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quod essentia ab Aristotele 3. Met. cap. 4. diffinitur, *quod est illa, quæ per se primò prædicatur de re*, & à D. Thoma p. p. q. 29. art. 2. ad 3. *Quod sit illa, quæ per diffinitionem essentialem explicatur*. Et rursus p. p. q. 3. a. 2. ad 2. *Quod sit id, cuius actus est esse, seu existere extrà nihil*. Secundùm autem diuersa connotata habet tria nomina; vndè dicitur essentia per ordinem ad esse, seù existentiam. Dicitur quidditas per ordinem ad diffinitionem, per quam explicatur. Et tandem dicitur natura per ordinem ad operationem latissimè sumptam, quo pacto comprehendit, tùm naturam Angelicam, tùm diuinam, quæ sunt principium suarum operationum spiritualium.

2 Aduertendum est secundò ex D. Thoma de Ente, & Essentia cap. 1. Quod ens per se dicitur dupliciter. Vno modo, quod diuiditur per decem prædicamenta. Alio modo, quod significat veritatem propositionum: horum autem differentia est, quià secundo modo potest dici ens omne illud, de quo affirmatiua propositio formari potest, etiam si illud in re nihil ponat, quomodò priuationes, & negationes entia dicuntur. Dicimus enim, quod affirmatio est opposita negationi, & quod cæcitas est in oculo. Secundo autem modo non potest dici aliquid, quod sit ens, nisi quod in re aliquid ponat, vndè hoc modo priuatio, & negatio non sunt entia: nomen autem essentiæ, non sumitur ab ente secundo modo dicto, sed solùm primo modo.

3 Aduertendum est tertiò; quod essentiæ creaturarum in triplici statu possunt considerari. Primò in singularibus. Secundò in intellectu. Tertiò secundùm se. Certum est autem, quod essentia in singularibus, quatenùs exercitè coniuncta est cum existentia, est quid reale, actuale, & positiuum; in intellectu est quid actuale rationis.

Vn-

Vndè dubium remanet de essentia secundùm se, an scilicet ab æterno sit quid reale, actuale, & positiuum.

4 Prima sententia est affirmatiua. Hanc defendunt Henricus quodlib. 8. qu. 1. & 9. Ægidius opusc. de Ente, & Essentia, Nazarius p.p.q. 3. a. 4. cont. 1. Ortizin Phys. tract. 2. cont. 1. Io: Martinez p. p. Met. cont. 3. a. 1. Marletta p. p. q. 10. a. 3. cont. 4. Augustinus de Rubeis in sua Met. Mazziotta tom. 1. select. q. 15. & probabiliter sustinetur à Capreolo in 1. dist. 8. q. 1. art. 3. & Caietano cap. 5. de Ente, & Essentia qu. 11. ex exteris porrò eam tuetur P. Albertinus tom. 2. disp. 1. quæst. 1.

5 Secunda sententia est negatiua. Hanc docent Soncinas lib. 9. Met. art. 4. Bannez p. p. qu. 10. art. 3. cont. 1. Zumel ibidem cont. 3. Cipullus 3. p. qu. 17. dub. 1. Masius de Transc. Complutenses disp. 4. Log. n. 4. Godoy de Scientia Dei, tract. 3. disp. 26. § 3. & Brunus in Met. q. 10. a. 2. & ex exteris Scotus cum sua schola in p. dist. 36. quæst. vnica, Auersa, Pasqualigus, Suarez, Hurtadus, Fonseca cum Arriaga relati à Bruno. Imò Capreolus hanc 2. sententiam tanquam securiorem amplectitur; & P. Albertinus paulò antè, quàm Deo animam redderet suam sententiam vtpotè pietati dissonam ex suis scriptis expungendam commisit; & Godoy subdit sententiam Henrici vt principijs fidei dissonam reijci communiter à Theologis, si Henricus aliquod verum esse physicum æternitate mensuratum extrà Deum creaturis conuenire contendat, quod nemo Thomistarum dicit; vndè vt Marletta ostendit inter ipsos sola lis est de nomine; sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

6 Conclusio. Essentiæ rerum creatarum ab æterno non sunt aliquid reale, actuale, & positiuum extrà Deum.

7 Probatur primò ex D. Thoma q. 3. de pot. a. 5. ad 3. vbi ait; *ex hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solùm esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quià antè quàm esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu diuino, vbi non est creatura, sed creatrix essentia*. Item p. p. q. 10. art. 3. ad 3. ait; *secundùm hoc igitur vera, & necessaria sunt æterna, quià sunt in intellectu æterno, qui est intellectus diuinus solus, vndè non sequitur, quod aliquid extrà Deum sit æternum*. Hæc testimonia adeò sunt euidentia, vt non videam quomodò oppositum defendi possit à D. Thomæ discipulis.

8 Resp. Contrarij, quod essentia dicitur creari secundum esse existentiæ, non verò essentiæ, & quòd antè erat nihil, prout nihil opponitur enti participialitèr, non verò nominalitèr sumpto.

9 Sed contrà, nam S. Doctor clarissimè dicit, quod non solùm esse, nimirùm existentia, sed ipsa quidditas, nempè essentia creari dicitur; ergò antecedenter erat nihil absolutè, & simpliciter, prout opponitur enti nominaliter, aliàs non diceretur creari.

10 Probatur secundò ratione. Si creaturæ ab æterno haberent esse positiuum essentiæ, sequeretur, quod quando producerentur à Deo in tempore, non producerentur simpliciter, & absolutè ex nihilo, sed ex illo præsupposito actuali esse essentiæ; sed hoc est absurdum, ergò creaturæ ab æterno non habent esse actuale essentiæ. Minor patet, nam creatio à D. Thoma definitur, quod sit productio totius entis ex nihilo. Maior quoque videtur clara, nam fierent ex præsupposito esse actuali essentiæ, sicut formæ materiales, cum generantur, fiunt ex præsupposita materia prima.

11 Respondent contrarij; quod creatio fit ex nihilo existentiæ, vel ex nihilo essentiæ existentis, sed non ex nihilo essentiæ præcisè, quià semper debet præcedere essentia, quę ex vi productionis accipiat existentiam.

12 Sed contrà primò, nam D. Thomas p. p. q. 45. a. 1. docet, quod creatio debet fieri ex nullo esse, dum dicit, quod idem est nihil, quod nullum ens, & ità creatio, quæ est emanatio totius esse est ex non ente, quod est nihil; ergò non solùm debet præsupponi ad creationem non esse existentiæ, sed etiam non esse

esse essentiæ, aliàs non præsupponeretur nihil, sed aliquid; si enim præsupponitur esse essentiæ; ergò præsupponitur saltem ens nominale; ergò præsupponitur aliquid, cum ens, & aliquid ad inuicem conuertantur.

13 Contrà secundò. Quià, vt vidimus, D. Thomas q. 3. de pot. inquit: *Quod non solùm existentia, sed ipsa quidditas, & essentia dicitur creari, quià antequam habeat existentiam, nihil est*; ergò dum res creatur totum, quod in illa reperitur, nempè, & existentia, & essentia dicitur fieri ex nihilo.

14 Contrà tertiò. Licèt formæ materiales fiant ex nihilo sui, tamèn quià non fiunt ex nihilo materiæ primæ non dicuntur creari, sed generari; ergò à pari si creaturæ solùm fierent ex nihilo existentiæ, vel essentiæ existentis, & non ex nihilo essentiæ præcisè sumptæ, non dicerentur creari, sed generari, & educi.

15 Contrà quartò. Illud esse essentiæ reale, actuale, & positiuum, quod contrarij dicunt esse ab æterno, vel est creatum, & productum à Deo, vel non, si primum; ergò habet existentiam, nam productio semper terminatur ad rem existentem. Si secundum, ergò aliquod ens reale, actuale, & positiuum, quod non est Deus est independens à Deo.

16 Respondent contrarij. Illud esse reale, actuale, & positiuum essentiæ creaturarum vtique non dependere à Deo in genere causæ efficientis, dependere tamèn in genere causæ exemplaris, quatenùs Deus est prima, & vniuersalissima idea omnium rerum.

17 Contrà primò. Idea ex suo genere non habet causare nisi simul cum causa efficienti; sed per contrarios essentiæ rerum ab æterno non dependent à Deo in genere causæ efficientis; ergò nec in genere causæ exemplaris, quod est absurdum.

18 Contrà secundò. Deus nedùm est prima causa exemplaris, verùm etiam prima causa efficiens; sed stante primo nihil potest excogitari, quod ab ipso nõ dependeat in genere causæ exemplaris; ergò pariter stante secũdo nihil poterit excogitari, quod ab ipso non dependeat in genere causæ efficientis.

19 Contrà 3. Estò essentiæ creaturarum dicantur ab æterno ideatę ab essentia diuinã, non tamèn sequitur in se esse aliquod reale, actuale, & positiuum, nisi quando producuntur sub existentia, sed tantùm illud esse habebunt in essentia Diuina; ergò per hoc non conuincitur essentias creaturarum ab æterno esse aliquod positiuum. Antecedens probatur, ex eo, quòd aliquid denominetur cognitum ab intellectu, & possibile, per potentiam potentem illud producere, non tamèn sequitur, quod in se sit aliquod positiuum, cum etiam negationes, & priuationes cognoscantur; & ens rationis dicatur possibile absque eo, quod in se habeat minimam entitatem, sed tantùm sequitur, quod sint obiectiuè in intellectu cognoscente, & potentia potente producere; ergò estò &c.

20 Probatur tertiò. Si essentiæ rerum creatarum ab æterno essent aliquid reale, actuale, & positiuum, sequeretur, quod Deus nihil pari modo posset annihilare, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela Maioris probatur, nam sicut creatio est ex nihilo, ità annihilatio tendit ad nihil absolutè, & simpliciter; sed destructa quacumque re semper remanebit eius essentia; ergò &c.

21 Probatur vltimò. Implicat aliquam naturam esse quid reale, actuale, & positiuum extrà Deum, & non habere realem existentiam; sed creaturæ non habent ab æterno realem existentiam extrà Deum; ergò neque habent esse reale, &c. Minor patet, Maior probatur, implicat esse aliquam naturam extrà Deum, quæ non sit producta; sed eo ipso quod est producta debet esse cum sua singularitate, & existentia, cum non dentur ideæ Platonis realiter separatæ à singularibus, ergò &c.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

22 ARguitur primò. Id quod nullo modo est in potentia ad aliquid, est in actu respectu illius; sed essentiæ rerum creatarum numquam fuerunt in potentia, ad hoc vt essent essentiæ rerum; ergò essen-

essentiæ rerum creatarum fuerunt ab æterno in actu quantum ad esse essentiæ. Maior patet, Minor probatur, animal rationale numquam fuit in potentia, ad hoc vt esset essentia hominis; ergò &c.

23 Respond. distinguendo Minorem, in creatrice essentia, concedo Minorē, in seipsis, nego Minorem, & consequentiam. Ad probationem respondetur eodem modo. Itaq; essentiæ rerum creatarum vtiq; semper actu fuerunt, & ab æterno fuerunt, sed non in seipsis, sed in creatrice essentia, vndè erant in potentia Dei, ad hoc vt essent in tempore actu in seipsis. Et hoc expressè docet D. Thomas loco citato ex q. 3. de potentia, vbi inquit: *essentia antequam esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia*. Imò ipse Nazarius p. p. q. 3. a. 4. nobiscum sentit dicens: Quidditas ergò hominis semper est actu quidditas hominis, & quidditas lapidis semper est actu quidditas lapidis, non tamen fuerunt tales quidditates ab æterno actu extrà Deum, sed fuerunt actu in Diuino intellectu, vt intellectæ.

24 Instabis primò ex doctrina Eminentissimi Caietani cap. 5. de Ente. & Essentia. q. 11. §. ad argumentum. Essentia Rosæ quamuis sit indifferens ad esse existentiæ, & non esse existentiæ exercitæ, tamèn numquam fuit indifferens ad esse essentiam, & non esse essentiam Rosæ; ergo essentiæ rerum actu sunt aliquid reale, & positiuum ab æterno; consequentia patet, nam essentia est ens. Antecedens vero probatur, siquidem ab æterno fuit verum dicere, quod Rosa est substantia corporea; ergò &c.

25 Respondetur primò distinguendo antecedens, in creatrice essentia, concedo antecedens, in seipsa, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem, distinguo antecedens, respectu intellectus Diuini, concedo antecedens, respectu intellectus creati, nego antecedens, & consequentiam. Verum est ergò, quod ab æterno fuit verum dicere, quod Rosa est substantia corporea, sed ita tamèn, quod obiectiuè habeat esse in intellectu Diuino, qui non mensuratur à rebus, sed potiùs est mensura illarum, & ideò non sequitur, quod actu essentia Rosæ ab æterno fuerit in seipsa. Et hæc est doctrina D. Tho. p. p. q. 16. a. 7. in o. vbi inquit, *res denominantur verò à veritate intellectus, vndè si nullus intellectus esset æternus, nulla veritas esset æterna, sed quia solus intellectus diuinus est æternus, in ipso solo veritas æternitatem habet*.

26 Respondetur secundò. Quod essentia potest considerari dupliciter Physicè, & Metaphysicè, Physicè dicit ens, quod diuiditur per decem prædicamenta, Metaphysicè dicit connexionem prædicatorum necessariam, & veritatem propositionis; primo modo Rosa ab æterno fuit indifferens ad esse, & non esse essentiæ; secùs verò secundo modo, nec aliud Caiet. intendit. Imò est D. Th. doctrina loco cit. in 2. not.

27 Instabis secundò. Creaturæ possibiles, seù essentiæ rerum terminant ab æterno scientiam diuinam simplicis intelligentiæ; ergò in seipsis habent aliquod esse reale, actuale, & positiuum. Antecedens patet, hæc enim est differentia inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, quod prima attingit existentiam, vel dicentia ordinem ad existentiam; secunda verò solùm circa possibilia versatur; consequentia verò probatur, nam terminare Diuinam cognitionem supponit in terminante esse reale, actuale, & positiuum, aliàs Diuina cognitio terminaretur ad nihil; cum autem creaturæ possibiles non habeant in seipsis esse existentiæ, sequitur, quod habeant esse actuale, & positiuum essentiæ.

28 Respondetur primò negando consequentiam; ad probationem distinguitur antecedens, vel potentiale, vel actuale, concedo antecedens; semper actuale, nego antecedens, & consequentiam. Non est ergò necesse, quod supponatur in creaturis possibilibus, & essentijs rerum ab æterno aliquod esse reale, actuale, & positiuum, per quod terminent Diuinam cognitionem, sed sufficit, quod habeant esse potentiale, dicente D. Thoma p. p. qu. 45. a. 9. in o. *quod quæcumque ipse facere potest, omnia cog-*

gno-

gnoscit Deus, & si actu non sint.

29 Respondetur secundò distinguendo antecedens, in creatrice essentia, concedo antecedens; in seipsis, nego antecedens, & consequentiam. Creaturæ ergò possibiles, & essentiæ rerum cognoscuntur à Deo scientia simplicis intelligentiæ, non quidem in seipsis, sed in creatrice essentia, & ità sequitur, quod solùm in illa habeant esse reale, actuale, & positiuum.

30 Instabis tertiò. Intellectus Diuinus non cognoscit essentiam suam scientia simplicis intelligentiæ, nec illam attingit tanquam obiectum secundarium, sed scientia visionis, & tanquam obiectum primarium; sed creaturas possibiles, & essentias rerum cognoscit scientia simplicis intelligentiæ, & vt obiectum secundarium; ergò illas non cognoscit in creatrice essentia, sed in seipsis, & ideò erunt in seipsis aliquod reale, actuale, & positiuum.

31 Respondetur negando consequentiam, scientia enim Diuina diuerso actu saltem virtualiter extrinsecè distincto potest attingere essentiam, & ea quæ in illa continentur, & ità respicere essentiam, vt obiectum primarium, & scientia visionis; ea verò quæ continentur in essentia vt obiectum secundarium, & scientia simplicis intelligentiæ, eo modo quo actu distincto saltem virtualiter extrinsecè attingit creaturas possibiles, & futuras, cum primas cognoscat scientia simplicis intelligentiæ; secundas verò scientia visionis. Et quidem ex hoc, quod creaturæ possibiles terminent actum diuinæ cognitionis, non sequitur in seipsis esse entia realia, actualia, & positiua, cum etiam priuationes, & negationes cognoscantur à Deo, & tamen nihil entitatis participant.

32 Arguitur secundò. Si essentiæ rerum ab æterno non haberent esse reale, actuale, & positiuum non differrent à chimeris, consequens est absurdum; ergò & antecedens. Sequela Maioris probatur, nam essent nihil; ergò non differrent à chimeris, quæ sunt nihil, vnum enim nihil non differt ab alio.

33 Respondetur negando sequelam Maioris; ad probationem distinguitur antecedens, actu, concedo antecedens, in potentia, nego antecedens, & consequentiam. Different ergò à chimeris, cum licèt actu essent nihil, tamen essent aliquid in potentia, cum contineantur in essentia diuina, cuius beneficio produci, & existere possunt. Chimeræ autem sunt nihil absolutè, & simpliciter, scilicet, tàm actu, quàm in potentia, quià eis repugnat produci, & existere.

34 Instabis primò. Eo ipso quod essentijs rerum non repugnat existentia, sunt obiectum Diuinæ Omnipotentiæ; sed non ens nequit esse obiectum Diuinæ Omnipotentiæ; ergò sunt verum ens reale, actuale, & positiuum. Maior liquet, Minor est D. Thomæ p. p. q. 25. a. 3. in o. vbi ait, *Quod non ens Omnipotentiæ non subditur non propter defectum Diuinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis, seu possibilis.*

35 Respond. distinguendo Maiorem, vt sunt in essentia diuina, concedo Maiorem; vt sunt in seipsis nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Obiectum enim primarium Diuinæ Omnipotentiæ est ipsa essentia Diuina, non quidem in ratione producibilis, sed in ratione communicabilis tàm ad intrà, quàm ad extrà: creaturas autem possibiles attingit vt obiectum secundarium, cum aliquod increatum nequeat specificari ab aliquo creato, & quidem non ratione sui, sed ratione obiecti primarij, in quo continentur.

36 Instabis secundò. Ideò homini non repugnat esse, seù homo est possibilis, & non chimera, quià homo ex se, & ab intrinseco potest produci, & non chimera; ergò possibile habet aliquam rationem positiuam, per quam possit terminare Diuinam Omnipotentiam.

37 Respondetur negando consequentiam, nam D. Thomas p. p. q. 25. a. 3. citato in o. ait, *Aliquod possibile, vel impossibile dicitur ex habitudine terminorum; Possibile quidem, quià prædicatum non repugnat subiecto, vt sortem sedere; impossibile verò absolutè, quià prædicatum repugnat subiecto, vt hominem esse Asinum*; vndè homo antequam exi-

existat dicitur possibilis, & non chimera, non per potentiam realem, quæ sit in ipso, sed per extrinsecam potentiam agentis; eo modo, quo ens rationis antequam cognoscatur, dicitur cognoscibile non per intrinsecam entitatem, quam in se habeat, sed per extrinsecam potentiam intellectus; sic etiam res artificiales ideò possunt esse, quià continentur in scientia artificis. Vndè cum D. Thomas p. p. q. 8. a. 1. illis comparet creaturas possibiles, eadem ratio curret de vtrisque.

38 Arguitur tertiò. Eadem numero essentia Petri est antequam existat, & postquam existit; sed postquam existit est verum ens reale, actuale, & positiuum; ergò etiam antequam existat erit verum ens reale, actuale, & positiuum. Probatur consequentia, nam secùs non solùm non esset eadem numero, sed differret contradictoriè ab illa.

39 Respondetur primò cum Bannez p. p. q. 10. a. 3. distinguendo Maiorem, negatiuè, concedo Maiorem; positiuè, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Ad probationem respondetur eodem modo. Essentia ergò antequam existat, & quando existit, est eadem negatiuè, non positiuè nàm ad hoc vt aliqua sint vnum positiuè oportet, quod vtrumq; extremum existat, & vnum non distinguatur ab alio, essentia autem secundum se, & præcisè accepta non existit, & ideò non est vnum positiuè cum seipsa, vt sub est existentiæ.

40 Respondetur secundò distinguendo consequens, in causa, co cedo consequentiam; in seipsa, nego consequentiam. Itaq; res, prout egregiè adnotat Soncinas 9. Met. q. 4. possunt habere triplex esse. Vno modo in intellectu, in quo habent esse cognitum, & sic omnia producibilia præexistunt in intellectu diuino, & ea quæ fiunt per artem præexistunt in mente artificis. Alio modo dicuntur res esse in suis causis, sicùt Rosa generanda est potentialiter in materia, & virtualiter in sole, & alijs causis actiuis naturalibus, & hoc etiam modo præfuerunt omnia in potentia actiua Dei. Tertiò modo dicuntur res habere esse extrà intellectum, & extrà suas causas, & hoc modo nulla essentia antequam existat, habet esse aliquod reale, & positiuum, sed est purum nihil.

41 Instabis primò. Propositio indefinita, sicut & particularis simpliciter conuertitur; sed ab æterno fuit verum dicere, aliquid est creabile; ergò fuit verum etiam dicere, creabile est aliquid, ac ideò essentiæ rerum ab æterno fuerunt ens reale &c.

42 Respondetur distinguendo consequens eodem modo, in essentia diuina, concedo consequentiam; in seipso, nego consequentiam.

43 Instabis secundò. Ab æterno fuit verum dicere, aliquid est creabile in seipso; ergò fuit verum dicere, creabile est aliquid in seipso.

44 Respondetur negando consequentiam, debet enim in consequenti sumi ly in seipso, ex parte eiusdem extremi, ac fuit sumptum in antecedenti, & dici; ergò creabile in seipso est aliquid, quod quidem verum est, sed non concluditur esse aliquid in seipso, sed in essentia diuina.

45 Arguitur quartò. Ens diuiditur in nominale, & participiale; sed si essentiæ rerum non essent ab æterno aliquid reale, actuale, & positiuum, mala esset diuisio; ergò non sunt purum nihil. Probatur Minor, nam ens nominale dicitur de sola essentia; ergò &c.

46 Respondetur distinguendo Minorem, tàm in seipsis, quàm in essentia diuina, concedo Minorem; in seipsis, non verò in essentia diuina, nego Minorem, & consequentiam. Ad hoc enim vt saluetur dari ens nominale, sufficit, quod essentiæ rerum ab æterno habeant esse actuale, non actualiter in seipsis, sed virtualiter in sua causa, nempè in creatrice essentia.

47 Instabis, id quod est in alio virtualiter tanquàm in causa dicit ordinem ad existentiam; sed essentiæ rerum ab æterno sunt in statu puræ possibilitatis; ergò non sunt aliquid actuale in sua causa; ac ideò si sunt ens nominale, hoc erunt in seipsis.

48 Respondetur distinguendo Maiorem, si causa sit determinata ad illud producendum.

dum, concedo Maiorem; secus, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Supponuntur enim esse in creatrice essentia pro illo priori, quo præuenit quodcumque decretum, & non intelligitur determinata, nec ad futuritionem, nec ad non futuritionem creaturarum.

49 Arguitur vltimò. Scientiæ sunt de perpetuis, & æternis; sed scientiæ non sunt de nihilo, sed de ente actuali, & positiuo; ergò &c.

50 Respondetur primò distinguendo Maiorem, vel in seipsis, vel in sua causa, concedo Maiorem; semper in seipsis, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Scientia enim de Deo est de perpetuo, & æterno in seipso; scientiæ autem de rebus creatis sunt de perpetuis, & æternis in sua causa, scilicet, in creatrice essentia.

51 Respondetur secundò cum Bruno, quod scientiæ sunt de perpetuis, & æternis non positiuè, sed negatiuè; quià res quatenùs considerantur à scientijs, non habent causam corruptionis, cum abstrahant à materia, quæ est principium corruptionis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Genus desumatur à materia, & differentia à forma?

§. I.

Quædam Præmittuntur.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quòd quæstio procedit de illis rebus tantùm, quæ sub definitione cadere possunt; quià autem ad hoc vt aliquid definiatur debet esse compositum aliqua compositione, vel ex materia, & forma, vel ex essentia, & existentia, ideò difficultas ista ad Deum, qui omninò simplicissimus est nullatenùs se extendit. Quarè fermo tantùm est de rebus creatis, quarum aliquæ sunt compositæ ex materia, & forma, vt sunt substantiæ corporeæ; quædam sunt formæ tantùm, sed dependentes à materia, sicut sunt accidentia; quædam nec compositionem habent ex materia, nec ordinem dicunt ad illam, vt sunt substantiæ spirituales, nimirùm Angeli, qui tamèn compositionem ex essentia, & existentia in se admittunt, cum solus Deus sit suum esse.

2 Aduertendum est secundò, quod Genus, & differentia dupliciter sumi possunt. Primo modo Metaphysicè, & primò intentionaliter, scilicet pro ipsis gradibus Metaphysicis v. g. pro animaleitate, & rationalitate. Secundo modo Logicè, & secundò intentionaliter, scilicet pro secundis intentionibus, quæ ab intellectu attribuuntur ipsis gradibus Metaphysicis. In præsenti non quærimus de genere, & differentia secundo modo, sed primo modo sumptis.

3 Aduertendum est tertiò quod materia, & forma quoque dupliciter sumi possunt. Primò propriè; secundò communitèr. Nomine materiæ, & formæ propriè dictæ, nihil aliud intelligimus, quàm ipsam materiam, & formam, quæ sunt partes physicæ compositi substantialis, & sic materia dicitur pura potentia, & forma primus actus. Nomine materiæ, & formæ communiter dictæ intelligimus gradum perfectibilem, & perfectiuum, quia enim gradus perfectibilis potentialitatem dicit in ordine ad gradum perfectiuum, & gradus perfectiuus explicat actualitatem in ordine ad perfectibilem, indè stat quod primus materia, secundus forma communitèr tamèn dicta appellatur.

4 Aduertendum est vltimò, quod dupliciter potest controuerti, an genus desumatur à materia, & differentia à forma. Primò radicaliter. Secundò proximè. Sic ergò relictis in hac parte Durando, & Vasquez, quorum primus ità strictè prædictum axioma in-

intelligit, vt conuenientiam genericam inter illa, quæ materia propria carent non admittat; secundus verò contrà communem consensum illud à Scholis relegat; vt ad resolutionem difficultatis, & ad mentem D. Tho. indagandam deueniamus, sit.

§. II.

Veritas aperitur.

5 PRima Conclusio. Genus, & differentia in rebus spiritualibus, nec etiam radicaliter desumuntur à materia, & forma propriè dicta, sed ab eadem essentia secundùm diuersam rationem considerata.

6 Probatur quò ad p. p. in Angelis nulla alia inuenitur compositio realis præter compositionem ex essentia, & existentia, & ex natura, & subsistentia, non autem ex materia, & forma, aliàs essent creaturæ corporeæ, & materiales, ergò in eis nequit genus, & differentia desumi à materia, & forma propriè dictis.

7 Probatur quò ad 2. p. Auctoritate D. Tho. p. p. q. 50. art. 2. ad 1. vbi ait: *quod genus, & differentia in Angelis non accipitur secundum aliud, & aliud, sed secundùm vnum, & idem, quæ tamèn differunt secundùm considerationem nostram*, in quantùm, scilicet, intellectus noster considerat rem vt indeterminatam, accipitur in ea ratio generis, in quantùm verò considerat vt determinatam accipitur ratio differentiæ, ergò in Angelis per D. Tho. ratio generis, & differentiæ desumitur ab eadem essentia secundùm diuersam considerationem.

8 Probatur ratione. Genus, & differentia in Angelis nequeunt desumi ab existentia, & subsistentia, ergò solùm ab essentia; consequentia liquet, antecedens probatur, nam per D. Tho. opusc. 42. cap. 4. existentia, sicut & subsistentia est aliud ab essentia, & natura Angeli, cum solus Deus sit suum esse, sed nec genus, nec differentia possunt desumi ab aliquo, quod sit aliud ab essentia, cum simul vnita hæc duo constituant essentiam, ergò genus, & differentia in Angelis nequeunt desumi ab existentia, & subsistentia, ac per consequens desumentur ab essentia, secundùm tamen diuersam considerationem, nam genus desumitur ab essentia secundùm quod habet esse commune cum alijs, nimirum secundùm rationem spiritus, aut immaterialitatis præcisè, cùm vt sic dicat potentialitatem, differentia verò ab ea desumitur secundùm illud esse, quod habet sibi proprium, nimirum secundùm rationem talis spiritus, cum vt sic dicat actualitatem.

9 Secunda Conclusio. In substantijs materialibus genus remotè, & radicaliter desumitur à materia propriè dicta, & differentia à forma; proximè verò à materia communitèr dicta, seù ab eo quod materiale est, & determinabile, ità vt non omninò excludatur forma.

10 Probatur p. p. Auctoritate D. Tho. opusc. 42. cap. 2. vbi ait: *quod potentialitas totius compositi in rebus materialibus est à materia, & ideò sumitur genus ab ea, perfectio verò totius est à forma, & ideò à forma sumitur differentia.* Item p. p. q. 50. art. 2. ad 1. inquit: *quod in rebus materialibus aliud est, quod determinat specialem gradum, scilicet forma, & aliud est, quod determinatur, scilicet materia*, ergò genus saltem radicaliter desumitur à materia propriè dicta, & differentia à forma.

11 Probatur ratione. Proprium est gradus generici esse quid potentiale, & perfectibile, & gradus differentialis esse quid actuatiuum, & perfectiuum, ergò prima radix, à qua sumuntur tales gradus est id, à quo primò oritur potentialitas, & actualitas, sed in substantijs materialibus omnis potentialitas primò oritur à materia, & omnis actualitas primò oritur à forma propriè dicta, ergò genus, & differentia in substantijs materialibus remotè, & radicaliter desumuntur à materia, & forma propriè dicta; antecedens patet, & prima consequentia liquet; Minor verò subsumpta probatur; in substantijs materialibus materia prima est pura potentia, & forma est primus actus, sed primum in vnoquoque genere est causa sui, & cæterorum, vt dicitur 2. Met. tex. 4. ergò in

in substantijs materialibus omnis potentialitas primò oritur à materia, & omnis actualitas primò oritur à forma propriè dicta.

12 Probatur 2. p. Auctoritate D. Th. quæst. de Spiritualibus Creaturis art. 1. ad 24. vbi ait: *quod genus sumitur à materia, itá tamen, quod per materiam non intelligitur materia prima, sed secundùm quod per forma recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifici, sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis.*

13 Probatur ratione. Gradus genericus non dicit solam potentialitatem, sed etiam aliquod esse actuale, per quod constituatur in tali esse, sed à materia prima ex se, cum sit pura potentia non potest desumi huiusmodi actualitas, ergò genus non desumitur proximè à materia prima nudè sumpta, ità quod omninò excludatur forma. Et hoc pacto conciliantur D. Tho. diuersa testimonia, quæ inter se discrepare videntur.

14 Tertia Conclusio. In accidentibus genus non desumitur à materia, sed ex diuersa habitudine, quam dicunt ad substantiam; differentia verò à proprijs subiectis, vel ex effectibus talium accidentium. Ità Io: à S. Thoma.

15 Probatur accidentia carent materia, cum hæc sit substantia incompleta, ergò ab illa nequit desumi ratio generis in eisdem. Desumitur ergò ex diuersa habitudine, qua respiciunt substantiam, nimirum quantitas illam extendendo, qualitas illam qualificando, relatio illam referendo, & sic in accidentibus desumitur ratio generis, & differentiæ ab eadem essentia, vt dictum est de substantijs spiritualibus, sed diuersimodè. Nam cum substantiæ spirituales sint completæ, & integræ ex se habent definitionem, nec earum differentia debet desumi ab aliquo extrinseco; accidentia autem, cum sint entia secundùm quid habent definitionem per additionem, & sic eorum differentia debet compleri per aliquod extrinsecum, nimirùm per subiectum, ad quod dicunt ordinem; licèt à posteriori ex effectibus talium accidentium illam etiam venari possimus. Videatur D. Tho. cap. 7. de ente, & essentia.

§. III.

Argumenta soluuntur.

16 Arguitur primò. Si genus desumeretur etiam radicaliter à materia, & differentia à forma, maximè quia id à quo sumitur genus se habet vt potentiale, & determinabile respectu illius, à quo sumitur differentia, sed hoc est falsum, ergò genus nec etiam radicaliter sumitur à materia, & differentia à forma; Maior est nostra ratio; Minor verò probatur; nam illud, à quo sumitur genus est idem realiter cum eo, à quo sumitur differentia, ergò non potest se habere vt quid potentiale, & determinabile ab eo, à quo sumitur differentia; antecedens patet, sic enim diximus gradus Metaphysicos, inter se identificari, cum desumantur ab eadem forma; consequentia verò probatur; idem non potest se habere vt quid potentiale, & determinabile respectu sui ipsius, ergò si &c.

17 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, realiter, & physicè, concedo antecedens; logicè, & per intellectum, nego antecedens, & consequentiam. Itaque compositio ex genere, & differentia non est realis, sed rationis in quantùm quod intellectus concipit genus vt determinabile, & differentiam vt determinantem; vndè sicut logicè, & per intellectum distinguuntur, ità logicè, & per intellectum vnum potest determinari per aliud.

18 Instabis. Si responsio subsisteret, sequeretur quod in Deo posset dari compositio ex genere, & differentia, sed hoc non est dicendum, ergò ruit responsio; sequela Maioris probatur; nam in Deo possumus concipere rationem determinabilis, & determinantis, nimirùm rationem essentiæ vt sic determinabilem per immaterialitatem, infinitatem, immensitatem &c.

19 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem distinguo antecedens,

sine

finè fundamento in re, concedo antecedens, cum fundamento in re, nego antecedens, & consequentiam. Itaque in Deo non est fundamentum ad huiusmodi compositionem, sed solùm se tenet ex parte nostri intellectus propter suam imbecillitatem non valentis Deum attingere vt est in se, vndè illum debet concipere ad modum rerum materialium; in creatis autem reperitur potentialitas, quę est fundamentum huiusmodi compositionis ex genere, & differentia, & ideò est dispar ratio.

20 Arguitur secundò. Si genus desumeretur etiam radicaliter à materia, vbicumque esset diuersa materia, esset quoque diuersum genus, sed hoc est falsum, ergò genus non desumitur etiam radicaliter à materia; sequela Maioris patet, nam causa existente diuersa, effectus quoque debet esse diuersus; Minor verò probatur, nam in Cælo, & in his corporibus sublunaribus est diuersa materia, cum in Cælo dicat ordinem ad vnicam formam adæquatè satiantem eius appetitum, non sic autem est in his sublunaribus, sed hoc non obstante, tàm Cælum, quàm hæc inferiora continentur sub eodem genere, scilicet sub corpore, ergò falsum est, quòd &c.

21 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Minorem, logicè, concedo Minorem, physicè, nego Minorem, & consequentia. Itaque licèt Cælum, & hæc sublunaria contineantur sub eodem genere logico, non tamen continentur sub eodem genere physico, cum illud sit incorruptibile, ista verò corruptibilia; corruptibile autem, & incorruptibile differunt genere, vt ait Aristoteles 10. Met. nosque in præsenti loquimur de genere primò intentionaliter, & physicè sumpto.

22 Instabis primò. Id à quo sumitur genus etiam physicè sumptum debet esse causa distinctionis genericæ, & cognitionis talis naturæ, sed materia prima non potest esse causa alicuius distinctionis, aut cognitionis, ergò genus, nec etiam physicè sumptum potest desumi à materia prima; Minor probatur, nam omnis distinctio est per aliquem actum, & vnumquodque cognoscitur in quantum est in actu, ergò &c.

23 Respondetur distinguo Maiorem, proximè concedo Maiorem, radicaliter, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque illud formaliter debet esse causa distinctionis genericæ, & cognitionis naturæ, à quo sumitur proximè, & immediatè, id autem, à quo sumitur genus tantùm radicalitèr debet esse solùm radicalitèr principium distinctionis, & cognitionis naturæ, sic autem potest esse materia prima ex eo, quod radicat formam, & dicit ordinem ad illam.

24 Instabis secundò: ab eodem principio nequit desumi genus, & indiuiduatio, sed indiuiduatio desumitur à materia prima, ergò ab ea nequit desumi genus; Maior patet, nam genus est quid indeterminatum, indiuiduatio verò est quid determinatum.

25 Respondetur distinguo Maiorem, secundùm eandem rationem, concedo Maiorem, secundùm diuersam rationem, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo: Itaque à materia prima nudè sumpta, cum habeat rationem determinabilis, & perfectibilis per formam desumitur, radicalitèr tamèn ratio generis; vt autem dicit ordinem ad quantitatem illam signantem, & distinguentem à cæteris, desumitur indiuiduatio.

26 Arguitur vltimò contrà secundam conclusionem. Si gradus genericus proximè non desumeretur à sola materia, maximè quia non solùm dicit potentialitatem, sed etiam aliquam actualitatem, sed hæc ratio est nulla, ergò genus proximè desumitur à sola materia; Maior patet, Minor probatur, nam gradus differentialis dicit non solùm actualitatem, sed etiam potentialitatem, & tamen desumitur à sola forma, ergò ex eo quod genus dicat non solùm potentialitatem, sed etiam aliquam actualitatem poterit desumi à sola materia; Maior patet, nam rationale non significat quamcumque naturam intellectiuam, sed eam, quæ est materialis, ergò gradus differentialis non solùm dicit actualitatem, verum etiam potentialitatem.

27 Res-

27 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, tanquam quid intrinsecum petitum ab ea, nego Maiorem, tanquam quid extrinsecè connotatum, concedo Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque gradus genericus vltrà potentialitatem dicit etiam ipsam actualitatem tanquam quid intrinsecum, petitum, vt ab ea constituatur in tali esse, & ideò non est mirum, si à sola materia proximè non desumatur, gradus autem differentialis non dicit potentialitatem tanquam quid intrinsecum ab ea requisitum, sed vt quid extrinsecum connotatum, & ideò non est mirum, si à sola forma desumitur.

28 Aduertendum tamen est, quod non omnis differentia, quæ prouenit à forma est specifica, & essentialis, sed tantùm illa, quæ prouenit à forma, qua forma est, vt dictum est suprà ex Eminentiss. Caietano, non autem quatenùs dicit ordinem ad hanc, vel illam materiam, & sic Anima Petri, & Pauli eltò sint formæ, tamen solo numero differunt, ex eo quod dicunt ordinem ad diuersam materiam; & sic soluitur argumentum quod fit contrà aliam partem Conclusionis.

QVÆSTIO DECIMATERTIA
DE SVBSISTENTIA.

IN substantijs præter essentiam, seù naturam singularem, & indiuiduam dari subsistentiam tàm de Fide, quàm ratione naturali constat. Siquidem in Mysterio Incarnationis liquet naturam humanam singularem, & indiuiduam esse in Christo, non verò personam, & subsistentiam creatam, sed tantùm Diuinam. Similitèr singularitas communis est etiam accidentibus; subsistentia autem conuenit solis substantijs. De hac ergo in præsenti quæstione est disputandum. Vndè sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

1. *Vtrum suppositum in creatis realiter distinguatur à natura?*

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod sicut suppositum rectè definitur ab Eminentissimo Caietano, quod sit substantia completa indiuidua subsistens incommunicabiliter; ità subsistentia, quæ est constitutiua illius optimè definitur, quod sit vltimus terminus substantiæ completæ indiuiduæ reddens illam incommunicabilem alteri supposito. Ista autem nomina suppositum, hypostasis, & persona idem vtique significant, sed non eodem modo. Suppositum enim, & hypostasis

tis significant naturam completam in ratione substantiæ præcisè; Persona autem significat naturam completam tantùm in rebus intellectualibus, scilicet, Deo, Angelis, & hominibus; qua ratione definitur à D. Tho. p. 1. q. 29. art. 1. *Quod sit rationalis naturæ indiuidua substantia*. Et quidem primò dicitur substantia, vt sic excludantur accidentia, quæ persona esse non possunt, cum persona sit in genere substantiæ. Secundò dicitur Indiuidua, nempè incommunicabilis, per quam particulam excluditur à persona triplex communicabilitas, scilicèt vniuersalis, cum persona sit prima substantia, & singularis; secundò communicabilitas partis, vndè anima separata nequit dici persona, quià dicit communicabilitatem in ordine ad totum, quod constituit; & tandem communicabilitas alteri vt supposito sustentanti, qua ratione nec humanitas Christi, nec Diuina natura, vt præuenit subsistentias relatiuas, possunt habere rationem personæ, quià prima communicatur Verbo Diuino; Secunda verò communis est tribus suppositis, à quibus vltimò terminatur, & redditur in communicabilis.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc tuentur absolutè Durandus in 1. dist. 34. q. 1. Henricus, Gandauensis quodlib. 4. Ricchard. in 1. dist. 34. q. 1. Gabriel. dist. 1. q. 2. art. 3. dub. 3. & alij. Quò ad principia verò naturalia Vasquez, Suarez, Arriaga in Met. dist. 4. sect. 9. & Mastrius tom. 2. Met. disp. 11. q. 2.

3 Secunda sententia est affirmatiua. Hanc docent cæteri omnes tùm Philosophi, tùm Theologi; Vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 PRima Conclusio. Ex Mysterijs Fidei constat in creatis realiter distingui suppositum à natura.

5 Probatur primò. Eadem ratio est de supposito humano, ac de quocumque alio supposito creato quò ad distingui, vel non distingui à natura; sed ex Mysterijs Fidei constat suppositum humanum realiter distingui à natura; ergò ex Mysterijs Fidei constat in creatis realiter suppositum distingui à natura. Maior patet. Minor probatur, nam quæ realiter separantur, realiter distinguuntur, sed ex Mysterijs Fidei constat suppositum humanum realiter separari à natura; ergò &c. Probatur Minor, in Christo Domino manet tota entitas naturæ humanæ, & tamèn non manet suppositum humanum, talitèr quòd oppositum sit hæresis Nestorij damnata in diuersis Concilijs præcipuè Ephesino, Calcedonensi, Lateranensi, & in 6. Synodo Generali sect. 4. ergò ex Mysterijs Fidei constat &c.

6 Respondent primò contrarij in Christo remanere suppositum creatum quantùm ad entitatem, licèt non remaneat quò ad effectū terminandi, & complendi naturam, seù quò ad denominationem, quià antequam vtrumq; præstet præuenitur à subsistentia Diuina.

7 Sed contrà. Quia in 5. Synodo Generali cap. 5. habetur, quod si quis introducere conetur in Mysterio Incarnationis duas subsistentias, seù duas personas, anathema sit; ergò cum aliundè in Christo sit subsistentia, seù Persona Diuina entitatiuè, nequit in ipso esse subsistentia, seù Persona humana.

8 Respondent secundò. Quod cum natura concipiatur per modum habitæ, suppositum autem per modum habentis, Verbum Diuinum assumpsit vtique naturam humanam secundùm rationem habitæ, non verò secundùm rationem habentis, quià assumpsit illam non in concreto, sed in abstracto.

9 Sed contrà primò. Talis diuersa ratio habentis, & habiti, vel supponit distinctionem realem inter naturam, & suppositum, vel non; si primum, habetur intentum; si secundum, ergò re vera in Christo fuerunt duæ Personæ, nempè humana, & Diuina, quæ est hæresis Nestorij.

10 Contrà secundò. Quià Concilia, & SS. PP. expresè fatentur, quod in Christo natura humana non solùm non significatur per modum suppositi, verùm etiam, quod absolutè, & simpliciter non est cum proprio

supposito; ergò distinctio per modum habiti, & habentis nihil officit.

11 Probatur secundò. Si natura, & suppositum in creatis essent idem realiter, & differrent secundùm modum significandi, sequeretur, quod natura creata non posset assumi ab aliqua persona Diuina, neque à tribus simul ad constituendum cum illis vnum ens per se substantiale; sed hoc repugnat Mysterijs Fidei; ergò repugnat Mysterijs Fidei, quod in creatis suppositum realiter non distinguatur à natura. Minor patet. Sequela Maioris probatur, nam si inter naturam, & suppositum in creatis non daretur vlla distinctio realis, iam natura creata esset per se ipsam vltimò completa in genere substantiæ; ergò non posset assumi ab aliqua persona Diuina &c. Hac enim ratione natura simul sumpta cum subsistentia nequit assumi à Verbo, quia est vltimò completa in genere substantiæ, & ità rueret veritas Misterij Incarnationis, quod consistit in hoc, quod persona diuina terminet naturam humanam supplendo vices propriæ subsistentiæ creatæ.

12 Secunda Conclusio. Nedùm ex Mysterijs Fidei, sed etiam ratione naturali constat in creatis suppositum realiter à natura distingui.

13 Probatur primò à Philosopho, & D. Thoma: nam D. Thomas quodlibeto 2. q. 2. art. 4. inquit, quod hanc quæstionem mouet Philosophus 7. Met. tex. 31. & de eius mente concludit, quod cuicumque potest accidere aliquid, quod non sit de sua ratione in eo differt res, & quod quid est, siuè suppositum, & natura; cum autem quæuis substantia creata recipiat accidentia, & existentiam, quæ non sunt de sua ratione, & quidditate, remanet, quod de eius mente in creatis suppositum, & natura realiter distinguantur. Item Philosophus in cap. de substantia ait: *quod est proprium quarto modo substantiæ recipere contraria, seù substare accidentibus*; ergò sentit, quod esse substans, seù subsistens sit extrà quidditatem substantiæ, ac ideò realiter ab ipsa distingui. Sic etiam D. Thomas 3. p. q. 20. a. 1. ad 2. inquit: *Quod agere non attribuitur naturæ vt agenti, sed personæ; actus enim sunt suppositorum, & singularium secundùm Philosophum*: vndè supponit distinctionem realem inter naturam, & personam. Tandem ibidem q. 2. art. 2. in Corp. assignans rationem fundamentalem inquit: *Persona aliud significat, quàm natura; Natura enim, vt dictum est, significat essentiam speciei, quam significat definitio, & si quidem his, quæ ad rationem speciei pertinent, nihil aliud adiunctum inueniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam à supposito naturæ, quod est indiuiduum subsistens in natura illa, quid vnumquodque indiuiduum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum sua natura. Contingit autem in quibusdam subsistentibus rebus inueniri aliquid, quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia, & principia indiuiduantia, sicut maximè apparet in his, quæ sunt ex materia, & forma composita, & ideò in talibus etiam secundùm rem differt natura, & suppositum*; ergò præcisè rationi naturali inhærendo, natura, & suppositum tàm de mente Philosophi, quàm D. Thomæ realiter distinguuntur in creatis.

14 Probatur secundò ratione deducta ex eodem S. Doctore loco vltimo citato; Et quodlib. 2. q. 2. art. 4. Cuilibet substantiæ potest accidere aliquid, quod non sit de ratione suæ naturæ, necesse est, quod in illa realiter differant suppositum, & natura; sed cuilibet substantiæ creatæ accidit aliquid, quod non est de ratione suæ naturæ; ergò necesse est, quod in qualibet substantia creata realiter differant suppositum, & natura. Minor patet, nam cuilibet substantiæ creatæ competunt accidentia, & existentia, quæ vtique sunt extrà rationem illius naturæ, cum solus Deus sit suum esse, imò & incapax accidentium. Maior probatur, in significatione naturæ includitur solùm id, quod est de ratione speciei, suppositum autem non solùm habet ea, quæ ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quæ ei accidunt; ergò cuilibet &c.

15 Probatur tertiò. Suppositum nihil aliud est, nisi ens vltimò completum, & terminatum in linea substantiæ; sed nulla natura

tura creata potest per se ipsam esse vltimò completa, & terminata in linea substantiæ; ergò in qualibet substantia creata suppositum realiter distinguitur à natura. Maior patet. Minor probatur, natura quæ per se ipsam est vltimò completa, & terminata in linea substantiæ in tali linea est actus purus, cum non sit in potentia ad suum complementum; sed nulla natura creata potest esse actus purus; ergò &c.

16 Respondent contrarij vltimum terminum, & complementum substantiæ esse existentiam, quæ est vltima actualitas cuiuscumque rei, & ideò non sequi ex hac ratione, quod suppositum, & natura realiter inter se distinguantur. Sed.

17 Contrà primò, per aduersarios existentia in qualibet re etiam creata est identificata realiter cum sua essentia; ergò non remanet, quod substantia creata vltimò terminetur, & compleatur nisi per suam subsistentiam.

18 Contrà secundò. Substantia creata nedùm non est actus purus in linea entis, sed nec etiam in linea substantiæ; sed ex eò quod non sit actus purus in linea entis, vltimò completur, & terminatur per existentiam à se realiter distinctam tanquã per vltimam actualitatem in linea entis; ergò pariter ex eò quod non sit actus purus in linea substantiæ, vltimò complebitur, & terminabitur per subsistentiam à se realiter distinctam tanquam per vltimam actualitatem in linea substantiæ.

19 Contrà tertiò. Non minùs est finita, & limitata substantia creata in linea essendi, quã in linea operandi, sed stante secundo in linea operandi vltimò completur per operationem à se realiter distinctam; ergò pariter stante primo vltimò complebitur per subsistentiam à se realiter distinctam.

20 Contrà quartò. Quià linea finita est, & limitata in genere quantitatis, vltimò completur, & terminatur per punctum à se realiter distinctum; ergò similiter, quià substantia creata finita est, limitata in linea substantiæ, vltimò compleri debet per &c.

21 Tertia Conclusio. Etiam in Angelis suppositum realiter distinguitur à naturâ.

22 Probatur primò ex D. Thoma 3. p. q.2. art.2. vbi ait: *Si qua res est, in qua nihil omninò est præter rationem speciei, vel naturæ suæ, sicut est in Deo, ibi non est aliud secundùm rem suppositum, & natura*; vndè cum in Angelis reperiantur plura, quæ non pertinent ad eorum essentiam, scilicet, existentia, & accidentia; certum est in ipsis quoque suppositum, & naturam realiter differre. Item quodlib.2. q. 2. art. 4. vbi specialiter in Angelis hoc inquirit, eadem ratione expressè probat etiam in illis suppositum distingui secundum rem à natura: Sic etiam 3. p. q. 4. art. 1. ad 3. asserit *naturam Angelicam esse assumptibilem à Verbo Diuino, & per vnionem Hyppostaticam posse præuenirì vt propria personalitate careat.* Et sicut ar.2. eiusdem quæst. & 4. contrà sent. cap. 43. de natura humana Christi inquit, *quod si subsisteret antecedenter ad assumptionem aliquid corrumperetur*: id pariter sentit de natura Angelica in art. 1. ad 3. quæ omnia essent falsa, nisi in Angelis daretur realis distinctio inter eorum naturam, & suppositum, ergò &c.

23 Probatur secundò ratione: Licèt in Angelis non detur compositio ex materia, & forma, tamèn datur vera compositio ex essentia, & existentia; sed vbicumque datur compositio ex essentia, & existentia, datur quoque compositio ex natura, & supposito; ergò etiam in Angelis reperitur, ac ideò in illis suppositum realiter distinguitur à natura. Maior patet, aliàs Angeli essent suum esse, & ità essent actus purus in linea entis. Minor quoque videtur clara, implicat enim, quod aliquid sit finitum, limitatum, & potentiale in linea entis, & posteà in genere substantiæ sit infinitum, illimitatum, & actus purus.

24 Probatur secundò, nam etiam natura Angelica potentialis est, & limitata in genere substantiæ; ergò nequit per se ipsam esse vltimò completa, & terminata in tali genere, ac ideò debet compleri, & terminari per subsistentiam à se realiter distinctam.

§. III.

Argumenta soluuntur.

25 Arguitur primò contrà primam conclusionem: Ex eò quod natura humana fuerit assumpta à Verbo, & non persona non concluditur realis distinctio inter eius suppositum, & naturam; ergò ex Mysterijs Fidei non conuincitur realis distinctio in creatis inter suppositum, & naturam. Antecedens probatur, sufficit distinctio virtualis, ad hoc vt dicatur assumi naturam, non autem personam; ergò &c. Probatur antecedens, in diuinis sufficit distinctio virtualis, ad hoc vt dicatur personam assumere, & non naturam; ergò similiter sufficit &c. Antecedens patet, vnio enim hypostatica per se primò fuit facta in persona, & non in natura. Consequentia verò tenet à paritate rationis.

26 Respondetur negando antecedens. Ad probationem negatur antecedens. Ad probationem distinguitur antecedens, per se primò, concedo; absolutè, & simpliciter, nego antecedens, & consequentiam. Vnio ergò hypostatica asserente D. Thoma 3. p. q. 3. art. 2. in Corp. primò, & per se fuit facta tantùm in Diuina Persona, sed secundariò, & ex consequenti fuit etiam facta in Diuina natura propter realem identitatem inter naturam, & suppositum Diuinum; non autem absolutè, & simpliciter Persona Diuina assumpsit naturam humanam, & non natura Diuina. Cum autem absolutè, & simpliciter fuerit à verbo assumpta humana natura, & nullatenùs persona etiam secundariò, & ex consequenti, cum oppositum sit hæreticum, clarè liquet reperiri distinctionem realem inter suppositum, & naturam humanam; non enim ad realem separationem sufficit distinctio virtualis. Vltràquamquod in creatis multa distinguuntur realiter, quæ in Diuinis ob summam simplicitatem, eminentiam, & infinitatem sola ratione distinguuntur.

27 Instabis primò. Sola distinctio rationis sufficit ad hoc, vt dicatur, quòd Deus absolutè generat, & Deitas non generat; ergò sola distinctio rationis sufficiet ad hoc, vt dicatur verbum absolutè assumpsisse naturam, & non personam humanam, ac per consequens ex hoc non colligetur realiter distinctio inter personam, & naturam in creatis.

28 Respondetur distinguendo antecedens, in sensu formali, concedo; in sensu identico, nego antecedens, & consequentiam. Verum est ergò, quod sola distinctio rationis est sufficiens ad hoc, vt dicatur Deum in sensu formali generare, non Deitatem; tamen hæc non est sufficiens ad id verificandum in sensu identico, imò de facto in sensu identico generare tàm de Deo, quàm de Deitate verificatur. Cæterum ad verificandum, quod nedùm in sensu formali, verùm etiam nec identico Persona non fuerit assumpta à Verbo, benè verò natura humana exigitur realis distinctio, cum adsit realis separatio.

29 Instabis secundò. Si natura humana esset identificata cum supposito, per vnionem cum verbo, admitteret rationem personæ, & fieret pars compositi substantialis ipsius Christi; ergò tunc non posset verificari, quod persona humana esset assumpta à Verbo.

30 Respondetur negando antecedens, nam implicat in terminis, quod suppositum sit identificatum cum natura, & quod per vnionem cum verbo possit amitti; si enim assumitur ab illo natura, debet quoque assumi totum id, cum quo realiter identificatur. Nec quidem in tali hypotesi, Christus esset ens per se, sed tantum per accidens, cum resultaret ex pluribus in actu completis.

31 Arguitur secundò contrà secundam conclusionem. Natura, & suppositum se habent sicut abstractum, & concretum de genere substantiæ; sed abstractum, & concretum de genere substantiæ realiter non distinguuntur, sed solùm ex modo significandi; ergò etiam natura, & suppositum. Maior patet, nam suppositum humanum est homo, natura verò est humanitas. Minor verò probatur, non plus differunt concretum, & abstra-

ſtractum de genere ſubſtantiæ, quàm concretum, & abſtractum de genere accidentium; ſed concretum, & abſtractum de genere accidentium nõ diſtinguuntur realiter, ſed differunt ſolùm ex modo ſignificandi, & ex parte rei ſignificatæ idem omninò ſignificant; cum teſte Philoſopho cap. de ſubſtantia, album ſolam qualitatem ſignificet ſicut albedo; ergò &c.

32 Reſpondetur negando Minorem, ad probationem, nego Minorem, ad probationem diſtinguitur antecedens, de formali, concedo antecedens, de materiali, nego antecedens, & conſequentiam. Philoſophus ergò inquit, quod album ſignificat ſolam qualitatem, non quià abſolutè ſolam albedinem ſignificet, cum de materiali etiam connotet ipſum ſubiectum, quod habet albedinem, ſed quià de formali nihil aliud, quàm ipſam albedinem ſignificat. Et hoc idem currit in concreto, & abſtracto de prædicamento ſubſtantiæ: homo enim licèt de formali dicat ſolam humanitatem, tamèn de materiali importat etiam ſuppoſitum. Verum tamen eſt, quod ſuppoſitum poteſt duobus nominibus concretis ſignificari; primò nomine concreto naturæ, vt dicendo homo, & hoc pacto ſolùm de materiali importatur, ſecundò nomine concreto ipſius ſuppoſiti, vt dicendo Perſona, & hoc pacto ſubſiſtentia eſt ſignificatum formale, vt docet D. Thomas p. p. q. 39. a. 3. ad 4.

33 Inſtabis. Dato, quod concretum, & abſtractum differant realiter, tamèn definitio, & definitum non diſtinguuntur realiter, ſed ſolùm ex modo ſignificandi; ſed natura, & ſuppoſitum non magis diſtinguuntur, quàm definitio, & definitum; ergò non diſtinguũtur realiter. Maior patet, Minor probatur, ſuppoſitum, & natura illud idem ſignificant, quod important definitio, & definitum, nempè quidditatem, & naturam; ergò &c.

34 Reſpondetur negando Minorem, ad probationem, diſtinguo antecedens, de formali, concedo antecedens; de materiali, nego antecedens, & conſequentiam. Suppoſitum enim, vt dictum eſt, vltrà naturam, quam de formali ſignificat, importat etiam de materiali aliquid habens ipſam naturam, quod vocatur Perſona.

35 Arguitur tertiò, Si ſuppoſitum realiter diſtingueretur à natura, hoc maximè verificaretur in rebus materialibus; ſed in illis non diſtinguitur; ergò &c. Probatur Minor, ſuppoſitum in rebus materialibus eſt omninò idem cum cõpoſito ex hac materia, & ex hac forma; ſed natura indiuidua, & ſingularis nihil aliud eſt, quàm compoſitum ex hac materia, & ex hac forma; ergò ſuppoſitum in rebus materialibus non diſtinguitur realiter à natura indiuidua, & ſingulari. Minor patet, Maior verò eſt expreſsè D. Th. p. p. q. 29. a. 2. ad 3. vbi ait, *Quod compoſitum ex hac materia, & ex hac forma habet rationem perſonæ, & hypoſtaſis*; ergò &c.

36 Reſpondetur negando Minorem, ad probationem, nego Maiorem, ad probationem diſtinguo antecedens, tranſitiuè, concedo antecedens; intranſitiuè, nego antecedens, & conſequentiam. Compoſitum ergò ex hac materia, & ex hac forma habet rationem hypoſtaſis, & perſonæ tranſitiuè, quatenùs eſt ſubſiſtens per aliquod realiter ſuperadditum; non verò intranſitiuè, ità quod ſit ſubſiſtens per ſeipſum; & ideò ſemper ſaluatur realis diſtinctio inter ſuppoſitum, & naturam. Vel dicatur, quod hoc verificatur in ſenſu identico, in quantùm naturaliter connectuntur, & ſeparari non poſſunt, non verò in ſenſu formali, ità quod ſint idem.

37 Inſtabis primò. Suppoſitum habet, quod ſit incommunicabile tàm per modum actus, quàm per modum potentiæ; ſed hanc incommunicabilitatem ex ſe habet intranſitiuè compoſitum ex hac materia, & ex hac forma; ergò non diſtinguitur realiter à ſuppoſito. Maior patet, Minor probatur, nam per materiam quæ eſt primum ſubiectum, eſt incommunicabile alteri per modum formæ; & ratione formæ, quæ eſt eſſentialiter actus eſt incommunicabile alteri per modum potentiæ; ergò &c.

38 Reſpondetur negando Minorem, ad probationem diſtinguitur antecedens, & aliàs eſt communicabile, tàm exiſtentiæ, quàm

quam subsistentiæ, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Compositum ergò ex hac materia, & ex hac forma, licèt sit incommunicabile alteri formæ, & materiæ; tamen adhuc remanet communicabile subsistentiæ, & existentiæ, siuè propriæ, siuè alienæ, cum qua faciat vnũ ens per se, vt patet in humanitate Christi; suppositum autem hoc non habet, sed excludit quamcumque communicabilitatem alteri etiam vt supposito.

39 Instabis secundò. Persona à Boetio lib. de duabus naturis definitur; quod sit rationalis naturæ indiuidua substantia; sed compositum ex hac materia, & hac forma est rationalis naturæ indiuidua substantia, ergò compositum ex hac materia, & hac forma &c.

40 Respond. distinguendo Maiorem, per se subsistens, concedo Maiorem; secùs, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Quando ergò persona definitur, quod sit rationalis naturæ indiuidua substantia, debet quoque sub intelligi, per se subsistens: hoc enim exprimitur per ly, substantia indiuidua, cum denotet, quod natura debet esse vltimò completa, & terminata, quod quidem habet per subsistentiam; compositum autem ex hac materia, & forma est substantia indiuidua non completè, & adæquatè, sed inadæquatè, prout indiuiduum idem sonat, ac singulare. Et hæc est doctrina D. Tho. 3. p. q. 2. a. 2. ad 3. vbi ait: *non quodlibet indiuiduum in genere substantiæ, etiam in rationali natura habet rationem personæ, sed solùm illud quod per se existit, non autem illud, quod existit in alio perfectiori*: vndè clarum est in tali definitione implicitè importari ipsam subsistentiam, per quam natura vltimò completur, & incommunicabilis redditur.

41 Arguitur quartò. Ideò suppositum distinguitur realiter à natura in creatis, quia possunt accidere naturæ creatæ aliqua, quæ sint præter rationem speciei; sed ista ratio nulla est; ergò &c. Maior patet, Minor probatur, ad recipiendam aliquid extraneum à natura, non requiritur aliquid præter naturam; ergò ex eo quòd possint naturæ creatæ accidere aliqua, quæ sint præter rationem speciei, non arguitur per hoc realis distinctio inter suppositum, & naturam. Antecedens probatur, subsistentia est extranea à natura, & tamen ad illam recipiendam non requiritur aliquid præter naturam, sed immediatè recipitur in natura; ergò &c.

42 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego antecedens, ad probationem, distinguo Maiorem, & aliàs est vltimus terminus, & complementum naturæ, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Itaq; subsistentia est modus naturæ substantialis reddens illam terminatam, & incommunicabilem tanquam vltimum complementum illius, & ideò potest immediatè recipi in natura indiuidua, & singulari tanquam non omninò extranea ab illa. At accidentia non pertinent ad complementum naturæ, neque illam terminant in suo proprio, & substantiali esse, sed aliud nouum esse superaddunt, & ideò recipi nequeunt immediatè in natura, sed tantùm mediante aliquo superaddito.

43 Instabis primò. Stat quod subsistentia creata non distinguatur realiter à natura, & tamen possit dicere ordinem immediatum ad accidentia extranea naturæ tanquam susceptiuum illorum; ergò numquam ex hoc colligitur realis distinctio inter suppositum, & naturam. Antecedens probatur, subsistentia diuina non distinguitur realiter à natura diuina, & tamen immediatè terminat naturam humanam extraneam; ergò stat &c.

44 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Minorem, non recipiendo tamen aliquid extraneum à natura diuina, concedo Minorem, secùs, nego Minorem, & consequentiam. Itaq; subsistentia diuina non distinguitur realiter à natura diuina, quia in Deo nihil extraneum recipitur, nec habens diuersum esse, quæ omnia cum increatis contingant, consequenter in illis arguitur realis distinctio inter natu-

tu-

tûram, & suppositum. Si autem subsistentia diuina terminat alienam naturam, hoc non est recipere aliquid adueniens naturæ diuinæ, sed supplere vices suppositi alieni terminando naturam creatam propter infinitam eminentiam, quam habet, ad quod non requiritur, quod distinguatur à natura diuina, sed à natura humana.

45 Instabis secundò. Accidentia recipiunt suas proprias passiones tanquam eorum complementum, & sunt simul medium recipiendi alia accidentia; ergò etiam natura creata poterit immediatè recipere subsistentiam tanquam vltimum complementum, & simul accidentia extranea. Antecedens probatur, quantitas nedùm recipit suas proprietates, sed etiam est medium recipiendi omnia alia accidentia materialia; ergò &c.

46 Respondetur ex D. Tho. p. 2. q. 7. a. 1. ad 3. distinguendo antecedens, vt quo, concedo antecedens, vt quod, nego antecedens, & consequentiam. Vnum enim accidens non recipit aliud vt quod, sed hoc solùm habet substantia, sed tantùm est medium quo recipiendi alia accidentia. Cæterum suppositum vt quod recipit accidentia extranea à natura, & ideò est disparitas.

47 Instabis tertiò. Dato toto hoc, adhuc prædicta ratio non concludit, quod subsistentia realiter distinguatur à natura, sed solùm quod non sit de conceptu essentiali naturæ; ergò &c. Probatur antecedens, benè stat, quod aliquid identificatur cum alio, & non sit de conceptu essentiali illius, sicut rationale identificatur cum animali, & tamen non est de conceptu essentiali illius; ergò &c.

48 Respondetur negando antecedens; ad probationem distinguo antecedens, si ipsum essentialiter contrahat, & determinet, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaq; D. Tho. quodlib. 2. q. 2. a. 4. ad 1. ait. *Quod dupliciter aliquid potest accidere alicui præter eius rationem. Vno modo quià non cadit in definitione rei, sed tantùm determinat, & contrahit illam essentialiter, & ita licèt non constituat ipsam in se, tamèn cum ipsa constituit aliquam essentiam determinando gradum superiorem, sicut facit rationale respectu animalis. Alio modo dicitur accidere alicui rei, quià nec constituit ipsam essentialiter, nec ipsam essentialiter determinando aliquod tertium cum ipsa constituit, sicut est albedo respectu hominis. Primo modo stat aliquid accidere rei, & tamèn identificari cum ipsa, vt patet in rationali respectu animalis; secùs verò secundò modo, vt patet in albedine respectu hominis.* Cum autem in creatis existentia, accidentia, & ipsa etiam subsistentia accidat naturæ creatæ hoc secundo modo, consequenter concluditur non identificari realiter cum natura, sed ab ipsa realiter distingui.

49 Arguitur quintò contrà tertiam conclusionem ex Philosopho 7. Met. tex. 21. asserente, quod quid erat esse, esse idem cum eo cuius est, quod specialiter tex. 41. repetit de substantijs separatis à materia; sed quod quid erat esse, est idem ac essentia, & natura; & id cuius est, est idem ac suppositum; ergò de mente Philosophi suppositum, & natura maximè in substantijs separatis sunt idem, & non distinguuntur realiter.

50 Respondetur primò cum D. Thoma quæst. vnica de Vnione Verbi a. 3. ad vltimum vbi inquit, *Ad vltimum dicendum, quod quid est, seù essentiam vniuscuiusque esse idem cum eo cuius est, quantùm ad ea, quæ sunt per se, non quantùm ad ea, quæ sunt accidens, seù quantùm ad ea, quæ sunt extrà essentiam, quià illa omnia sunt naturæ specificæ accidentaria, & ideò quicquid sit illud, cui potest aliquid accidere præter naturam specificam non est omninò idem cum sua essentia.*

51 Respondetur secundò cum Nazario p. p. q. 50. a. 2. controu. 3. not. 2. explicando Philosophum, ly cuius est sumptum Logicè, concedo Maiorem, Metaphysicè, nego Maiorem, & cōcessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Itaq; ly cuius est potest dupliciter sumi, Logicè, & Metaphysicè. Metaphysicè idem est, ac suppositum; Logicè verò non solùm sumitur pro supposito, seù per-

persona, sed etiam pro specie. Primo modo realiter distinguitur à natura, Secundo verò modo est idem cum illa, & hoc pacto illud sumit Philosophus.

52 Instabis 1. D. Tho. q. 7. de Potentia art. 4. & p. p. q. 3. a. 3. inquit, *In ijs igitur quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, scilicèt per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet, quod ipsæ formæ sint supposita subsistentia, vnde in eis non differt suppositum, & natura*; ergò cum Angeli careant compositione ex materia, & forma, in illis realiter nō distinguuntur suppositum, & natura.

53 Respondetur cum Caietano p. p. loco citato explicando Sanctum Doctorem, ità quod nomine suppositi intelligat indiuiduum, concedo antecedens, ità quod intelligat ipsam subsistentiam, seu personalitatem, nego antecedens, & consequentiam. Suppositum ergò dupliciter potest sumi. Primò largè, & hoc pacto significat singularitatem naturæ. Secundò strictè, & hoc modo significat naturam vltimò completam, & terminatam per subsistentiam. Quandò ergò D. Thomas inquit, quod in rebus compositis ex materia, & forma distinguitur realiter suppositum, & natura; secùs verò in immaterialibus sumit suppositum lato modo pro indiuiduo, non verò stricto modo pro subsistentia.

54 Instabis secundò D. Tho. ponit differentiam inter res materiales, & spirituales; quod in illis distinguitur realiter suppositum à natura; secùs verò in istis; sed si nomine suppositi intelligeret indiuiduum, vana esset ista differentia; ergò &c. Probatur Minor, nam etiam in rebus materialibus indiuiduum non distinguitur realiter à natura, cum gradus specificus, & indiuidualis ab eadem entitate sumantur, & sola ratione distinguantur; ergò &c.

55 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, sumptum quò ad id, quod dicit in recto, concedo Minorem; in obliquo, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò in rebus materialibus indiuiduatio, & singularitas quò ad id quod important in recto non distinguantur realiter à natura, tamèn quò ad id, quod important in obliquo realiter distinguuntur ab ipsa. Natura enim tantùm dicit principia specifica; sed singularitas, & indiuiduatio important materiam vt connotantem quantitatem, ratione cuius vnum indiuiduum realiter distinguitur ab alio in eadem specie.

56 Instabis tertiò D. Thomas 4. contrà Gentiles cap. 55. ad 4. inquit: *Conuenientiùs assumpta est humana natura, quàm Angelica, quia in homine aliud est natura, aliud persona, cùm sit ex materia, & forma compositus, non autem in Angelo, cum sit immaterialis*; ergò in Angelo sentit etiam suppositum strictè sumptum pro subsistentia, seù personalitate non distingui realiter à natura.

57 Respondetur explicando D. Thomam, ità quod loquatur de persona fundamentaliter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Sumit ergò ibi personam fundamentaliter pro indiuiduo naturæ, quod clarè colligitur, ex eo quòd supponit Deum potuisse assumere naturam Angelicam, & solùm probat congruentiùs assumptam fuisse humanam. Certum autem est, quod non potuisset natura Angelica assumi à Verbo, nisi Persona formaliter sumpta esset ab ipsa realiter distincta: & quidem quò ad hoc Maior conuenientia assumptionis apparet in natura humana, quàm Angelica, quià in supposito humano Maior distinctio refulget, quàm in Angelico respectu propriæ naturæ. Suppositum enim humanum realiter distinguitur à natura, non solùm ratione subsistentiæ, sed etiam ratione singularitatis, quantùm ad id, quod in obliquo importat; suppositum autem Angelicum solùm ratione subsistentiæ.

58 Instabis 4. D. Thomas in 3. dist. 5. q. 1. a. 3. postquam docuit errorem Nestorij ponentis duas personas in Christo ortum habuisse ex eo, quod existimauerit idem esse suppositum, & naturam, inquit: *Quod in compositis ex materia, & forma suppositum, & na-*

& natura realiter distinguuntur, non verò in simplicibus, quæ carent materia; sed nomine suppositi tunc nequit sumere indiuiduum, aliàs non impugnaret Nestorium; ergò debet sumere Personam formaliter, & ideò in Angelis suppositum, & natura realiter non distinguuntur.

59 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego antecedens. Impugnaret enim, & egregiè Nestorium, nam si in compositis ex materia, & forma indiuiduum saltem quò ad id, quod in obliquo importat realiter distinguitur à natura, à fortiori quoque suppositum ab illa debet distingui, & ideò benè ex compositione materiæ, & formæ, quæ est in humanitate Christi, ex consequenti arguit distinctionem realem nedùm indiuidui, verùm etiam suppositi à natura. In simplicibus verò vtique inquit non distingui indiuiduum realiter à natura, sed ex hoc non sequitur non distingui etiam suppositum sumptum pro persona propter rationes assignatas in conclusione, & maximè quià vbi est compositio ex essentia, & existentia, qualis est in Angelis, ibi quoque est compositio ex supposito, & natura, ac per consequens realis distinctio. Et quidem D. Tho. ità euidenter ostendit hanc distinctionem realem in Angelis maximè in quodlib. 2. vt aut sibi apertè contradicere, aut in locis citatis ab aduersarijs sumere suppositum, ac personam fundamentaliter, vel latè, nempè pro indiuiduo necesse est, quod vel ipsi fateantur.

60 Instabis tertiò. Ex hoc, quod Deus non sit compositus ex materia, & forma, D. Thomas p. p. loco citato colligit, quod sit sua Deitas; ergò colligit, quod suppositum sumptum pro subsistentia, & personalitate non distinguatur realiter ab eius natura, & ideò si pari modo Angeli non sunt compositi ex materia, & forma, in eis nō distinguetur suppositū sumptū pro persona à natura.

61 Respondetur primò distinguendo antecedens; ità quod consequentia sit materialis, & teneat tantùm in Deo, concedo antecedens; ità quod consequentia sit formalis, & teneat in omnibus materia carentibus, nego antecedens, & consequentiam. Illa ergò consequentia est solùm materialis, & tenet tantùm in Deo, sicut ista est consequentia materialis, aliquis homo est animal, ergò omnis homo est animal, cum teneat solùm in materia necessaria; non enim valet similis forma in materia contingenti, vt si dicas aliquis homo currit, ergò omnis homo currit; cum possit dari antecedens verum, & consequens falsum. Non autem est consequentia formalis, ità quod teneat ratione formæ, & se extendat ad omnia carentia materia, sicùt ista est consequentia formalis, omnis homo est animal, ergò Petrus est animal; cum teneat etiam in materia contingenti, vt si dicas, omnis homo est doctus, ergò Petrus est doctus. Tenet ergò solùm in Deo, quià simul cum carentia materiæ excludit quamlibet aliam compositionem, & est actus purus nullius compos potentialitatis. Et hoc clarissimè deducitur ex S. Thoma ibidem, vbi subdit, *quod cum Deus non sit compositus ex materia, & forma, oportet, quod Deus sit sua Deitas, sua vita, & quidquid aliud sic de Deo prædicatur.* Vndè si teneret in omnibus carentibus materia, pari modo Angelus deberet esse sua vita, & quidquid aliud de Angelo prædicatur, quod absurdissimum est, aliàs Angelus esset infinitus, actus purus, & Deus per essentiam.

62 Respondetur 2. D. Thomam ibi sumere materiam non vniuocè pro vt dicit partem compositi substantialis materialis, sed analogicè pro vt dicit rationem potentiæ, quæ etiam Angelis competit, cum non sint actus purus.

63 Respond. vltimò ad instantias cum Petro Bergomensi in suis concordantijs dub. 114 (pluribus circà hunc difficilem locum relictis Thomistarum discordijs) quod suppositum, & natura possunt tripliciter sumi, Logicè, Physicè, & Metaphysicè. Primo modo sunt idem in omni ente per se, siuè composito, siuè simplici, sed solùm in ente per accidens differunt, vt habetur 7. Met. lect. 4. quià Logicus est artifex rationis considerans naturam, & suppositum abstractè, vt in intellectu habent esse sine ijs, quæ in re

Hh sunt,

sunt, secundùm quod natura sumitur pro secunda substantia, & suppositum pro prima, & sic sunt idem, vt dicitur in Prædicamentis. Secundo autem modo in omni re simplici siuè creata, siuè increata sunt idem, & tantùm in rebus materialibus differunt, quià Physicus est artifex realis, considerans res vt sunt extrà intellectum in rerum natura, & quià in re materiali est aliquid constituens suppositum, quod non constituit naturam speciei, non autem in re immateriali, ideò secundùm Physicum in simplicibus natura, & suppositum sunt idem, sed in compositis differunt. Tertiò tandem modo in omnibus creaturis differunt, & in solo Deo sunt idem, quià Metaphysicus est maximè abstractiuus, cum abstrahat à materia non solùm secundùm rationem, sed etiam secundum rem, & ideò sumit naturam pro ipsa forma totius in abstracto; suppositum autem pro re subsistente cum omni eo, quod est in re, & quià in omni re, præter quàm in Deo, sunt aliqua præter formam totius, ideò secundum Metaphysicum suppositum, & natura sunt idem in Deo, & in creaturis differunt. Et hæc solutio, inquit ipse, tangitur à D. Thoma 7. Met. lect. 11. eaque conciliantur omnia loca S. Doctoris, quæ videntur inter se discrepantia.

64 Arg. vltimò. Natura Angelica est forma per se subsistens; ergò non distinguitur realiter à supposito. Probatur consequentia, quià suppositum constituitur per subsistentiam; ergò si &c.

65 Respondetur distinguendo antecedens, idest nullum dicens ordinem ad materiam, per quam compleatur, & fiat independens ab alio, concedo antecedens; ità quod sit suamet subsistentia, nego antecedens, & consequentiam. Dicitur ergò forma per se subsistens, quià non respicit materiam, per quam compleatur, & cum qua constituat compositum substantiale per se stans, & independens ab alio, non ità quod sit sua subsistentia absq; reali distinctione ab illa, aliàs esset forma infinita, & actus purus in genere substantiæ.

66 Instabis primò. Vbi non est compositio ex materia, & forma, ibi neque est compositio ex natura, & subsistentia; sed Angeli sunt formæ per se subsistentes nullum dicentes ordinem ad materiam; ergò non componuntur ex natura, & subsistentia, ac per consequens in Angelis inter se istæ realiter non distinguuntur. Probatur Maior, nam ista compositio super illam videtur fundari, ergò &c.

67 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego antecedens, fundatur enim suprà potentialitatem, & limitationem naturæ. Si enim aliqua natura esset identificata cum sua subsistentia, esset ex se vltimò completa in genere substantiæ, & ità in hoc genere esset infinita, & actus purus; vndè cum natura Angelica sit potentialis, & limitata, indè stat, quod in ea realiter distinguatur natura à sua subsistentia.

68 Instabis secundò. In creatis debent admitti aliquæ substantiæ, in quibus natura, & suppositum sint idem realiter; sed hæ non sunt nisi substantiæ Angelicæ; ergò &c. Minor patet, sunt enim omnibus alijs substantijs creatis perfectiores. Maior verò probatur, nam quod dentur nulla est implicantia, cum adhùc essent Deo inferiores, & verè componerentur ex genere, & differentia, ex essentia, & existentia; & reciperent accidentia, quæ omnia Deo repugnant; ergò &c.

69 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego antecedens, inquit enim D. Thomas 3. p. loc. cit. *Quod solùm in illis rebus, in quibus nihil aliud est præter rationem speciei, & naturæ, non est aliud secundùm rem suppositum, & natura; in illis verò, in quibus inuenitur aliquid, quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia, & principia indiuiduantia, secundum rem differunt natura, & suppositum*. Vndè est implicantia in terminis, quod in Angelis dentur aliqua, quæ non pertineant ad rationem speciei, & quod suppositum in illis realiter non distinguatur à natura.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm ſuppoſitum addat ſuprà naturam aliquid poſitiuum, vel negatiuum?

§. I.

Quibuſdam præmiſſis referuntur ſententiæ.

1 PRo reſolutione huius difficultatis aduertendum eſt, quod cum ſuppoſitum, vt ex dictis conſtat, in creatis realiter diſtinguatur à natura, & hoc nequeat fieri niſi propter additionem alicuius ſuprà illam, videndum remanet, an hoc ſuperadditum ſit aliquid poſitiuum, vel negatiuum.

2 Prima ſententia defendit eſſe puram negationem. Ità Scotus cum ſua ſchola in 3. diſt. 1. q. 1. & in quodlib. q. 19. a. 3. licèt Scotus id dixerit tantum diſputatiuè; ex noſtris autem Durandus in 3. diſt. 3. q. 1. ad 4. & Ioannes de Neapoli quodlib. 9.

3 Secunda ſententia docet ſuppoſitum addere ſuprà naturam aliquid poſitiuum realiter ab ipſa diſtinctum. Ità D. Thomas cum ſuis diſcipulis, ex Scotiſtis Lichetus in 3. diſt. 1. q. 1. Rada, & Herrera ibidem, Centinus diſp. 1. de Incarnatione cap. 5. & Gauatius opuſ. 3. cap. 2. ſect. 1. ex Patribus Societ. Lugo de Incar. diſp. 12. Arriaga in Met. diſp. 4. Ouiedo in Met. cont. 4. Mazziotta tom. 1. ſelect. quæſtionum q. 10. Amicus de Incar. diſp. 1. ſect. 2. & alij Theologi ferè communiter; vndè ſit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COncluſio. Suppoſitum addit ſuprà naturam aliquid poſitiuum realiter ab ipſa diſtinctum.

5 Probatur primò ex D. Thoma 3. p. q. 4. a. 2. in o. & ad 3. vbi de perſona humana docet, *quod oporteret corrumpi ſi præexiſteret aſſumptioni Verbi Diuini*. Et in art. 1. eiuſdem quæſtionis ad 3. idem docet de Perſona Angeli addens, *quod aliquid perfectionis corrumperetur*, quæ omnia falſa eſſent, niſi ſuppoſitum importaret aliquid poſitiuum. Item q. 17. a. 2. inquit: *quod ſuſceptiuum exiſtentiæ non eſt natura, ſed perſona*. Et q. 35. a. 5. eiuſdem partis ſimili modo docet *ſuppoſitum, & non naturam eſſe ſubiectum filiationis realis*, quod vtique denotat ſuppoſitum aliquid poſitiuum eſſe; ergò de mente D. Thomæ vera Concluſio.

6 Probatur ſecundò ratione. Quotieſcumq; aliquid ex vi nominis non ſolùm pro materiali, ſed etiam pro formali ſignificat aliquid poſitiuum, dicendum eſt propriè conſtitui per aliquid poſitiuum; ſed ſuppoſitum ex vi nominis ſignificat non ſolùm pro materiali, ſed etiam pro formali aliquid poſitiuum; ergò dicendum eſt, quod conſtituatur per aliquid poſitiuum. Maior patet, hac enim ratione peccatum cōmiſſionis, fides, & in noſtra ſententia vnitas, conſtituuntur per aliquid poſitiuum, quià ex vi nominis tàm pro materiali, quàm pro formali ſignificant aliquid poſitiuum. E contrà verò hæc nomina, cæcum, non videns, tenebroſum conſtituuntur per aliquid negatiuum, quià ſaltem pro formali ſignificant aliquid negatiuum. Minor verò probatur, quià ſuppoſitum de materiali ſignificat naturam, de formali autem ſignificat eſſe in ſe ſiſtens, in ſe ſtans, ſeù eſſe vltimò completum in genere ſubſtantiæ; ſed hæc omnia ſunt aliquid poſitiuum; ergò &c.

7 Reſpondent primò Scotiſtæ, quod iſta nomina ſuppoſitum, ſubſiſtens, Perſona important quidem de materiali aliquid poſitiuum, ſcilicet naturam, tamen de formali importare ſolam negationem dependentiæ. Cæterum abſolutè loquendo importare aliquid poſitiuum dicens perfectionem, quià

sufficit, quod de materiali illud significent.

8 Sed contrà primò. In illorum sententia fides, spiritus, veritas non solùm de materiali, sed etiam de formali significant aliquid positiuum, connotando tamèn negationem euidentiæ, materię, & falsitatis; ergò similiter suppositum, hypostasis, & persona nedùm de materiali, sed etiam de formali significabunt aliquid positiuum, connotando tamèn negationem dependentiæ, & communicabilitatis, cum non videatur diuersa ratio de vtrisque.

9 Contrà secundò. Nam pari modo poterit dici, quod ista nomina Cæcum, non videns, & tenebrosum absolutè loquendo importent aliquid positiuum, cum saltem de materiali illud significent; ergò cum hoc sit absurdum, nulla est Scotistarum responsio.

10 Respondent secundò. Prædicta nomina importare de formali negationem, & hanc vtpotè negantem imperfectionem dicere perfectionem, sicut illam dicit incorruptibilitas, & immortalitas: vndè cum de facto suppositum, hypostasis, & persona dicant negationem dependentiæ, quæ est imperfectio, consequenter sequitur dicere imperfectionem, esto pro formali in aliquo negatiuo consistant.

11 Sed contrà primò. Nàm perfectio est proprietas intrinseca enti; ergò nequit excedere ipsum ens, ac per consequens competere negationi, quæ est non ens, etiamsi negatio tollat imperfectionem. Et quidem sicut incorruptibilitas, & immortalitas priùs de formali dicunt aliquid positiuum, nempè rationem spiritus, & posteà negationem corruptionis, & mortis, ità quoque suppositum, hypostasis, & persona priùs de formali importabunt aliquid positiuum, nempè vltimum complementum naturæ, & posteà negationem dependentiæ, & communicabilitatis, quæ fundantur in illo.

12 Contrà secundò. Quià Scotistæ censent personam pro formali consistere in negatione dependentiæ à diuino supposito; sed dependentia à diuino supposito non est imperfectio, sed potiùs summa perfectio, cum natura creata suscipiat maximam perfectionem ex coniunctione cum Deo; ergò si persona pro formali significaret negationem, non significaret negationem, quæ excludat imperfectionem, sed potiùs maximam perfectionem.

13 Contrà 3. Etiam in sententia Scoti relationes diuinæ non dicunt perfectionem, sed abstrahunt à perfectione, & imperfectione; ergò à fortiori negationes, quæcumque illæ sint, non importabunt perfectionem, sed abstrahent à perfectione, & imperfectione.

14 Probatur 3. Conclusio. Formale constitutiuum suppositi est subsistentia; sed hæc non est aliquid negatiuum, sed positiuum; ergò suppositum est aliquod positiuum. Maior admittitur ab omnibus, licèt non conueniant in explicando, quid sit subsistentia, vt videbimus articulo sequenti. Minor verò probatur primò, siquidem subsistentia est vltimum complementum substantiæ in linea substantiæ; sed hoc nequit esse aliquid negatiuum; ergò &c. Probatur Minor, nam vltimum complementum alicuius in linea entis, scilicet existentia, in linea operandi, scilicet operatio, in linea vitæ, scilicet intellectio, vel sensatio, in linea quantitatis, scilicet figura, & punctum est aliquid positiuum; ergò &c. Probatur secundò eadem Minor, ità se habet subsistentia ad substantiam, sicuti inhærentia ad accidens; sed inhærentia non est aliqua negatio, sed modus realis positiuus; ergò etiam subsistentia, aliàs inhærentia esset perfectior subsistentia. Probatur 3. eadem Minor, ex natura, & subsistentia fit vnum per se in genere substantiæ; sed si in subsistentia esset aliquid negatiuum, hoc esset falsum, cum magis distent positiuum, & negatiuum, quàm substantia, & accidens, ex quibus non resultat vnum per se; ergò &c.

15 Respondent Scotistæ ad primam probationem, omnia prædicta, scilicet existentiam, operationem, intellectionem, sensationem, figuram, & punctum non ex eo consistere in positiuo, quià habent rationem termini, & vltimi complementi, sed quià exercent alia munera, quæ necessariò exigunt

fieri

fieri ab aliquo positiuo; non autem ità se habere subsistentiam, cum solùm habeat tollere dependentiam, & communicabilitatem, quod fieri potest per negationem.

16 Sed contrà primò. Etiam subsistentia non est terminus, & complementum naturæ vtcumque, sed exercens diuersa munera realia, & positiua; ergò etiam ipsa non consistet in negatiuo, sed positiuo. Probatur antecedens, nam habet constituere naturam per se stantem non indigam alterius sustentatione, illique habet dare nomen principij quod respectu suarum operationum; sed hæc omnia sunt munera realia, & positiua; ergò &c.

17 Contrà secundò. Quod aliqua res non dependeat ab alia oritur ex summa perfectione, quam in se habet, vt patet in Deo, qui à nullo dependet, quià in se perfectissimus est; & in Angelis, & anima rationali, quæ non dependent à corpore, quià in se habent perfectionem spiritus; ergò subsistentia ponitur ad exercendum munus summæ perfectionis, ac ideò erit aliquid positiuum, & non pura negatio.

18 Probatur quartò. Omnis independentia, seù negatio dependentiæ fundatur in aliqua positiua perfectione; ergò similiter independentia, seù negatio dependentiæ vel actualis, vel aptitudinalis in supposito debet fundari in aliqua positiua perfectione, per quam constituatur ipsum suppositum, ac ideò superaddet suprà naturam aliquid positiuum. Antecedens probatur, nam omnis dependentia creaturæ à Deo fundatur suprà positiuam limitatam perfectionem creaturæ; ergò à fortiori omnis independentia, seù negatio dependentiæ fundari debet in aliqua positiua perfectione. Probatur consequentia, impossibile est, quod independens non sit perfectius dependente; ergò si omnis dependentia fundatur in positiuo, à fortiori in illo fundabitur omnis independentia. Consequentia patet, seclùs independens esset imperfectius dependente, cum negatiuum imperfectius sit positiuo. Antecedens verò, licèt ex se constet, tamen etiam probatur, nam plures Theologi ponunt constitutiuum Diuinæ essentiæ, pro vt essentia est in aseitate, seù in esse à se, & independens ab alio tanquam à causa efficiente; ergò clarum est independentiam maximam importare perfectionem suprà quamcumque rem dependentem, & ità esse aliquid positiuum; seclùs enim natura Diuina perfectissima non esset, imò à præfatis Theologis poneretur consistere in nihilo.

19 Respondent contrarij, quod independentia quidem fundatur suprà positiuam perfectionem, sed hæc positiua perfectio non est aliquid superadditum substātiali naturæ indiuiduæ, vt nos contendimus, sed ipsamet natura indiuidua quouis alio excluso.

20 Sed contrà, nam subsistens formaliter qua tale, & non solùm materialiter ex parte naturæ est perfectius non subsistente; sed subsistens est independens, ergò independentia debet fundari suprà positiuam perfectionem se tenentem ex parte subsistentiæ formaliter, & non solùm materialiter, & ex parte naturæ.

21 Probatur quintò. Constitutiuum suppositi est illud, per quod habet, quod sit incommunicabile alteri, seù per quod habet repugnantiam ad faciendum vnum per se cum altero supposito; sed suppositum habet hanc incommunicabilitatem, & repugnantiam ratione alicuius positiui realiter superadditi ipsi naturæ; ergò constitutiuum suppositi est aliquid positiuum. Maior patet, ratio enim suppositi in hoc consistit, quod sit substantia omninò completa in genere substantiæ, ac proindè omninò incommunicabilis alteri supposito ad faciendum vnum per se cum illo. Minor verò probatur primò, ideò ex duobus suppositis nequit fieri vnum ens per se, quià sunt in actu completa; ergò &c. Probatur secundò eadem Minor, negatio inhærentiæ in substantia fundatur in ratione essendi per se, & negatio irrationabilitatis in homine fundatur in ipsa rationalitate, vndè nec substantia, nec homo constituuntur per negationem essendi in alio, vel per negationem irrationabilitatis, sed per esse per se, vel ipsam rationalitatem; ergò suppositum &c.

22 Res-

22 Respondet Scotus non esse necessè, quod negatio dependentiæ, & communicabilitatis, quam dicit suppositum fundetur suprà aliquid positiuum: nam priuatio visionis beatæ in intellectu hominis non sequitur ad positiuam entitatem, quæ repugnet cum visione beata, aliàs numquam intellectus humanus posset videre Deum. Similiter negatio lucis in aere non sequitur ad aliquam positiuam entitatem, quæ cum luce repugnet, alioquin nunquam posset fieri lucidum; & ità similis ratio erit de negatione dependentiæ, & communicabilitatis in supposito.

23 Sed contrà. Nam istæ negationes visionis beatæ, & lucis non sunt negationes repugnantiæ, & incapacitatis, sed potiùs sunt negationes non repugnantiæ, & capacitatis, ità quod positiuè, nec lucem, nec visionem beatam excludant, negationes autem dependentiæ, & communicabilitatis in supposito sunt negationes repugnantiæ, & incapacitatis, ità quod positiuè tùm dependentiam, tùm communicabilitatem excludant: inter has autem negationes hoc discrimen versatur, quod primæ non exigunt fundari supra aliquid positiuum, benè verò secundæ, vt liquet in exemplis adductis de substantia, & de homine, & in alijs plurimis, vt de negatione euidentiæ in Fide, ineuidentiæ in scientia, certitudinis in opinione, possessionis in spe, &c.

24 Probatur sextò. Implicat illud, quod est perfectissimum in toto genere substantiæ constitui formaliter per aliquid negatiuum; sed suppositum importat illud, quod est perfectissimum in toto genere substantiæ; ergò implicat, quod constituatur per aliquid negatiuum. Maior patet, quià constitutum est tale per suum constitutiuum. Minor probatur, suppositum significat substantiam vltimò completam, & cui nulla potest fieri additio in genere substantiæ; ergò &c.

25 Probatur septimò ad hominem contrà Scotum, & Fabrum nobiliorem Scotistam: nam Scotus in 3. dist. 11. q. 1. probans Christum non posse dici creaturam vtitur ratione S. Thomæ, quià ratio creaturæ denominaret nedùm naturam, sed etiam suppositum; quod est Diuinum: quam rationem amplectens Faber in 3. disp. 24. num. 20. inquit, quod creatura est nomen denominatiuum, quod non solùm natum est denominare naturam, sed etiam suppositum, & vtrumque per se &c. Vndè contingere potest, quod natura separetur à supposito, & suppositum sit creatum; vndè stante hac doctrina sic formatur ratio: suppositum, vt suppositum formaliter iuxtà Scotum est per se terminus creationis, & natum est, quatenùs distinguitur à natura denominari creatura; ità vt hanc denominationem non participet ratione naturæ, sicut neque natura eandem denominationem habet ratione suppositi; & iuxtà Fabrum si suppositum separaretur à natura, adhùc diceretur creatura; ergò tùm Scotus, tùm Faber debent dicere, quod suppositum vt tale formaliter sit aliquid positiuum, & ideò quod superaddat ad naturam aliquid positiuum. Probatur consequentia, nam si esset aliquid negatiuum formaliter, nec esset terminus creationis, nec per se subiret denominationem creaturæ; ergò si est terminus creationis &c. Probatur antecedens, negatio non est capax creationis, sed potiùs est terminus à quo, non ad quem creationis, cum hæc sit productio entis ex nihilo. Hoc argumentum adeò efficax est contrà Scotistas, vt Ganatius non ignobilis Scotista opusc. 3. cap. 2. sect. 2. nostram sententiam defendens, acriter Scotistas torquere fateatur.

26 Probatur octauò alia ratione ad hominem contrà Scotum. Iuxtà Scoticam Scholam ratio substantiæ abstrahens à creata, & increata est vniuoca, sicut est ens respectu substantiæ, & accidentis; ergò etiam in eorum sententia subsistentia abstrahens à creata, & increata erit vniuoca; tunc sic, sed iuxtà sententiam Scoti non datur commune vniuocum positiuo, & negatiuo, seù enti, & non enti; ergò oportet, quod fateatur, vel quod subsistentia Diuina sit formaliter quid negatiuum, vt est subsistentia creata in eius sententia, vel debet statuere subsistentiã creatam in aliquo positiuo, vt est

Diui-

Diuina. Vndè Centinus Scotista disp. 1. de Incarnatione cap. 5. rationis robore pressus ait, probabilius esse iuxtà Scoti principia, quod subsistentia creata consistat in positiuo, ne Scotus inconstans sibi esse videatur.

27 Probatur nonò ratione desumpta ex Mysterio Sanctissimæ Trinitatis. Constitutiuum suppositi, seù personæ creatæ est quædam participatio constitutiui formalis Personæ Diuinæ; sed hoc est aliquid positiuum, ergò etiam constitutiuum suppositi, seù personæ creatæ est aliquid positiuum. Maior patet, nam sicut persona creata est quædam participatio Personæ Diuinæ, ità constitutiuum personæ creatæ est quædam participatio constitutiui Personæ Diuinæ. Minor verò probatur, constitutiuum Personæ Diuinæ est relatio Diuina, ità quod constitutiuum Patris sit Paternitas, Filij Filiatio, & Spiritus Sancti spiratio passiua; sed relatio Diuina est aliquid positiuum; ergò &c.

28 Respondet primò Mastrius hanc rationem potiùs conuincere oppositum, nam si personalitas creata est participatio personalitatis Diuinæ, iam debet ab ipsa in perfectione deficere, ac per consequens constitui per aliquid negatiuum.

29 Sed quidem ridicula responsio est, si enim personalitas creata est participatio Diuinæ personalitatis, non ideò debet deficere à perfectione illius, vt nihil in se sit, & nihil participet, sed partem illius capere debet, participatio enim est partis captio; ergò per hoc non concluditur consistere in negatiuo, sic enim nihil participaret.

30 Respondet secundò. Istam consequentiam non tenere, Personalitas creata est participatio personalitatis Diuinæ; ergò debet esse aliquid positiuum; sic enim quoque valeret dicere, Sapientia creata est participatio sapientiæ Diuinæ; ergò est substantia, sicut est illa.

31 Sed contrà. Potest res creata participans Deitatem subterfugere hanc, vel illam rationem particularem inferiorem ad ens nequit tamen subterfugere rationem vniuersalissimam entis; si enim hanc non participat, nihil prorsùs participat, cum non detur alia ratio prior ente, quam possit participare; vndè quidem non valet ista consequentia, Sapientia creata est participatio sapientiæ Diuinæ, ergò est substantia, sicut est illa; quià ratio substantiæ est inferior ad ens; vndè potest participare illam secundùm rationem entis, boni, veri &c. & non secundum rationem substantiæ. Cæterum optimè valet ista consequentia, Personalitas creata est participatio personalitatis Diuinæ; ergò est aliquid positiuum; si enim aliquid positiuum non esset, nihil esset, & ità nihil participaret.

32 Respondet tertiò. Disparitatem esse quià personalitas Diuina exercet aliquod munus positiuum, præsertim in ordine ad actus notionales, quorum est principium; personalitas autem creata nullum munus positiuum exercet, nam licèt sit conditio sine qua non, tamèn non est propriè principium operandi.

33 Sed contrà primò. Etiam subsistentia creata, vt diximus, habet sua munera positiua, scilicèt constituere naturam vltimò completam, per se stantem, & habet constituere saltem vt conditio principium quod operationum; ergò pari ratione erit aliquid positiuum.

34 Contrà secundò. Ex eo quod subsistentia creata non sit propriè principium operandi, non sequitur non esse aliquid positiuum, cum approximatio ignis ad combustibile, & apprehensio obiecti respectu voluntatis sint tantùm conditio sinè qua non, & tamèn sunt aliquid positiuum.

35 Contrà tertiò. Substantia Diuina non est principium operandi tanquam forma agens, sed vt terminus naturæ, sicut est subsistentia creata, cum relatio etiam Diuina actiua non sit; ergò quò ad hoc curret eadem paritas inter subsistentiam Diuinam, & creatam.

36 Respondent quartò alij Scotistæ Personalitatem creatam esse participationem Diuinæ personalitatis quantùm ad duplicem negationem communicabilitatis, & dependentiæ tàm actualis, quàm aptitudinalis, non verò quantùm ad negationem depen-

pendentiæ potentialis, quæ necessariò importat positiuam perfectionem; vndè non sequitur personalitatem creatam esse quid positiuum, sicut est Diuina.

37 Sed contrà primò. Dicere personalitatem creatam consistentem in negatiuo participare illam duplicem negationem, est idem ac dicere, nihil participare nihil, cùm vtrobique negatio sit nihil; ergò absurda est ista responsio.

38 Contrà secundò. Natura Diuina præ intellecta personis Diuinis habet subsistentiam absolutam etiam in sententia plurium Scotistarum, & præcipuè Mastrij, & tamèn Personæ Diuinæ addunt aliquid positiuum suprà naturam Diuinam; ergò à fortiori naturæ creatæ, quæ ex se nullam habet subsistentiam, debet personalitas superaddere aliquid positiuum, & ità participare aliquid positiuum, & non tantùm negationem dependentiæ, & communicabilitatis.

39 Probatur vltimò alia ratione Theologica desumpta ex Mysterio Incarnationis: Illud quod Verbum Diuinum primò suppleuit in Humanitate Christi est illud, quod simul cum ea constitueret personam hominis in ratione Personæ; sed hoc non est aliquid negatiuum; ergò &c. Maior patet, nam vnio hypostatica primò, & per se fuit facta in Persona Diuina. Minor probatur primò, negatio nihil est; ergò si Verbum suppleuit aliquid negatiuum, nihil suppleuit. Probatur secundò, illud quod Verbum Diuinum suppleuit est id, in quod refunderentur actiones humanitatis Christi, si de facto Verbum Diuinum illam non terminasset; sed nulla actio potest refundi in aliquid negatiuum, cum vnumquodque agat in quantùm est in actu; ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

40 Arguitur primò ex D. Ioanne Damasceno lib. 3. de Fide cap. 6. vbi ait: *Verbum assumpsisse quidquid in humana natura plantauit*; sed in humana natura plantauit quidquid in ea positiuum est; ergò cum Verbum non assumpserit personam creatam, ista non consistet in aliquo positiuo.

41 Respondetur explicando D. Ioannem Damascenum, spectans ad naturam humanam indiuiduam, concedo Maiorem, spectans ad suppositum, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Satis enim se explicauit D. Ioannes Damascenus dicens Verbum assumpsisse quidquid in humana natura plantauit, non verò in homine, vt denotaret assumptum fuisse id, quod spectabat ad naturam, non verò ad suppositum: Et hoc magis constat ex eius sequentibus verbis, cum subdat: *Omnia assumpsit, Corpus, animam rationalem, & intellectiuam, & earum proprietates, quod enim vnius horum expers animal, non homo est*. Vbi patet dicere assumptas à Verbo fuisse solas humanitatis partes, non verò illud quod constituit suppositum siuè sit positiuum, siuè negatiuum.

42 Instabis primò. D. Ioannes Damascenus ibidem subdit: *Illud, quod non est à Verbo assumptum non esse sanatum*; ergò si aliquid positiuum est in homine, quod non fuit assumptum, erit aliquid, quod non est sanatum; ergò cum hoc dicendum non sit, videtur apertè dicere Personam consistere in aliquo negatiuo.

43 Respondetur primò explicando D. Ioannem Damascenum, si sit assumptibile, concedo antecedens; secùs, nego antecedens, & consequentiam. Loquitur enim de eo tantùm, quod est assumptibile: vndè cum persona humana non sit assumptibilis ad faciendum vnum per se cum Verbo, non sequitur non esse sanatam, ex eo quod non fuerit assumpta. Vltrà quam quod ibi disputabat contrà hæreticos, qui negabant Verbum assumpsisse animam; vndè benè inquit, quod non fuisset sanata, si non fuisset assumpta.

44 Respondetur secundò, Illud quod non fuit assumptum non fuisse sanatum formaliter, & in se; secùs tamen radicaliter, & in aliquo, à quo pullulat, Vndè etiam Perso-

nali-

nalitas creata sanata fuit radicaliter, nempè in ipsa natura, quæ est radix subsistentiæ.

45 Instabis secundò. D. Thomas 3. p. q. 4. art. 2. ad 2. ait: *Quod naturæ assumptæ non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem naturæ humanæ pertineat, sed propter additionem alicuius, quod est suprà naturam humanam, quod est vnio ad Diuinam Personam,* ergò etiam per D. Thomam Personalitas est aliquid negatiuum.

46 Respondetur negando consequentiam; ibi enim D. Thomas solùm intendit docere subsistentiam non spectare ad perfectionem specificam, & essentialem humanæ naturæ, qua ratione natura est assumptibilis à Verbo sine propria subsistentia; non verò quod subsistentia non sit aliquid positiuum realiter superadditum, cum oppositum clarissimè doceat locis cit. in probatione conclusionis.

47 Instabis tertiò. D. Thomas in 3. dist. 6. q. 1. art. 2. ait; *dicendum, quod hoc, quod facit coniunctum ex anima, & corpore esse hominem non est præter animam, & corpus, & vnionem aliquid positiuum*; ergò sentit suppositum esse aliquid negatiuum, & non positiuum superadditum.

48 Respondetur negando consequentiam. Negat enim D. Thomas tantùm dari tertiam entitatem superadditam animæ, & corpori, non verò excludit subsistentiam ab hoc, quod sit aliquid positiuum, cum non spectet ad rationem naturæ, sed sit eius vltimus terminus illam complens in ratione substantiæ.

49 Arguitur secundò. Si subsistentia esset aliquid positiuum superadditum naturæ, vel componeret cum illa, vel non; neutrum est dicendum; ergò &c. Probatur Minor quò ad secundam partem, nam suppositum creatum non est quid simplex, sed compositum ad differentiam suppositi Diuini. Probatur quò ad secundam partem, si componeret cum natura, vel hoc faceret vt actus, & forma substantialis, vel vt actus, & forma accidentalis; neutrum est dicendum; ergò &c. Probatur Minor quò ad primam partem, nam secùs plures formæ substantiales essent in eodem composito. Probatur etiam quò ad secundam, quia aliàs persona non esset substantia, sed accidens, & non vnum ens per se, sed per accidens; ergò &c.

50 Respondetur negando Minorem, & dico, quod componeret simul cum natura suppositum, nec tamen compositio, quæ resultaret esset compositio ex his, quæ sit ex partibus, sed potiùs cum his, nempè ex natura, & vltimo termino, & complemento naturæ, quod maximè verificatur in subsistentia Diuina, quæ nequit habere imperfectionem partis. Ad probationem nego consequentiam, non enim subsistentia, vt dictum est, propriè est forma, sed terminus substantialis naturæ completæ, habens rationem modi, non rei; & si dicitur accidens respectu naturæ, est tamèn accidens prædicabile, non verò prædicamentale respectu illius.

51 Instabis primò. Philosophus 2. de Anima tex. 2. adæquatè diuidit substantiam materialem in materiam, formam, & compositum; sed subsistentia est nullum ex his; ergò non habet rationem substantiæ, & ità cum neque habeat rationem accidentis prædicamentalis non erit aliquid positiuum, sed negatiuum.

52 Respondetur explicando Philosophum; per modum rei, concedo Maiorem, per modum modi, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo; Philosophus enim ibi tradidit diuisionem substantiæ, quæ habet rationem rei, & non modi, cuiusmodi est subsistentia. Vndè ex eo quod subsistentia non sit materia, nec forma, nec compositum, non sequitur non esse substantiam: & hoc euidenter patet in existentia substantiæ creatæ, quæ non est materia, forma, aut compositum, & tamèn substantia est. Item in sententia admittente modum vnionis realiter distinctum à materia, & forma, certum est talem modum esse substantiam, & tamèn non est materia, forma, aut compositum.

53 Instabis secundò. Subsistentia est extrà essentiam naturæ; ergò si esset aliquid positiuum non posset esse substantia, sed ac-

cidens, & ità cum neque accidens esse possit, erit aliquid negatiuum. Probatur antecedens, subsistentia neque est natura, neque aliqua pars illius, neque materia, vel forma; ergò est extrà essentiam illius.

54 Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens, & aliàs est vltimus terminus, & complementum illius, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itàque licèt subsistentia non sit ipsa natura, neque in rebus materialibus aliqua pars illius, nempè materia, & forma, tamèn propriè nequit dici extrà essentiam naturæ, cum illam vltimò compleat in genere substantiæ, aut ad minùs non erit extrà naturam, sicut requiritur, ad hoc vt aliquid sit accidens, quià accidens dicitur esse extrà essentiam naturæ, non vtcumque, sed vt vltimò completæ in genere substantiæ, quod non habet ipsa subsistentia. Vltrà quam quod, ex eo quod sit extrà essentiam naturæ, solùm sequitur, quod sit accidens prædicabile; sicut pari modo in creatis est existentia, non verò prædicamentale, sicut sunt nouem genera accidentium.

55 Arguitur tertiò. Si suppositum creatum adderet suprà naturam aliquid positiuum, sequeretur Humanitatem Christi carere aliqua perfectione sibi maximè connaturali, & debita; sed hoc non est dicendum; ergò suppositum creatum non addit suprà naturam aliquid positiuum. Maior patet, nam careret sua propria subsistentia, quæ per nos est positiua perfectio. Minor probatur, quia secùs Humanitas Christi esset in statu violento; sed hoc est absurdum; ergò non est dicendum carere aliqua perfectione sibi maximè connaturali, & debita. Probatur Maior, quæcumque res caret aliqua perfectione sibi maximè connaturali, & debita, dicitur esse in statu violento, vt patet in lapide, dum est extrà proprium centrum; ergò &c.

56 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego Maiorem, ad probationem distinguo antecedens, si talis perfectio non suppleatur per aliquid perfectius, concedo antecedens; secùs, nego antecedens, & consequentiam. Non dicitur ergò Humanitas Christi esse in statu violento, ex eo quod careat sua propria subsistentia, quià ista suppletur per subsistentiam increatam Verbi, quæ in infinitum illam excedit in perfectione, eamque eminenter continet modo perfectiori in infinitum, illi conferens quidquid posset expectare à sua propria subsistentia.

57 Instabis primò. Ex eo quod subsistentia Verbi sit perfectior subsistentia creata, non sequitur Humanitatem Christi illa terminatam, non appetere suam propriam subsistentiam; ergò cum illa perpetuò sit priuata, erit in statu violento; quod cum nequeat dici, asserendum est subsistentiam consistere in negatiuo. Antecedens probatur, estò anima rationalis sit perfectior quacumque alia forma, tamen materia adhuc sub illa appetit alias formas imperfectiores; ergò pariter &c.

58 Respondetur negando antecedens. Ad probationem nego consequentiam, disparitas est, quià materia informatur anima rationali amissibilitèr, & ideò retinet appetitum naturalem ad alias formas imperfectiores, ad hoc vt conseruetur, & manu teneatur in esse. Cæterum Humanitas Christi inamissibilitèr terminatur subsistentia increata Verbi, & ideò non retinet appetitum naturalem ad propriam subsistentiam.

59 Instabis secundò. Licèt de potentia ordinaria subsistentia increata Verbi non possit relinquere Humanitatem Christi, tamèn de potentia Dei absoluta id facere potest; ergò semper Humanitas Christi retinebit appetitum naturalem ad propriam subsistentiam, ad hoc vt mediante illa conseruetur in esse.

60 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quià appetitus naturalis non fertur nisi in aliquod possibile naturaliter, non verò supernaturaliter. Qua ratione dicunt Theologi non dari appetitum naturalem ad Visionem Beatam Dei, quià hæc non est possibilis naturaliter, sed solùm supernaturaliter.

61 Insta-

61 Instabis tertiò. Ideò ad Visionem Beatam non datur appetitus innatus in homine, quià nedùm est possibilis solùm supernaturaliter, sed etiam quià est aliquid supernaturale, & indebitum; sed propria subsistentia est perfectio connaturalis, & debita Humanitati Christi; ergò ad illam habebit appetitum innatum, si semel subsistentia increata Verbi est amissibilis de potentia Dei absoluta.

62 Respondetur distinguendo Maiorem, si ly ideò dicat rationem sufficientem, concedo Maiorem, adequatam, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Non enim requiritur ad hoc, vt aliquid nequeat terminare appetitum innatum, quod sit aliquid supernaturale, & indebitum semper quò ad substantiam, sed sufficit, quod sit supernaturale saltem quò ad modum, idest, quod naturaliter non sit assequibile. Vt patet in visu, qui licèt sit aliqua perfectio naturalis, tamen ad illum semel amissum non habet homo appetitum naturalem, quià illum naturaliter recuperare non potest, cum à priuatione ad habitum non detur naturaliter regressus; Vndè cum etiam humanitas Christi naturaliter non possit recuperare propriam subsistentiam; indè stat, quod ad illam, estò sit perfectio connaturalis, non habet appetitum naturalem.

63 Instabis quartò. Materia prima retinet appetitum etiam ad formas amissas in sententia saltem probabili, ergò etiam humanitas Christi retinebit appetitum ad subsistentiam creatam.

64 Respondetur negando consequentiam. Admissa enim tali sententia licèt opposita sit probabilior, vndè in physicis media via processimus admittendo appetitum quò ad substantiam, non verò quò ad modum, sicut est in anima separata respectu reunionis cum corpore, admissa inquam, adhuc disparitas inter ipsas viget, nam materia prima specificatur à forma qua forma est, cùm sit potentia vniuersalissima, ac ideò debet respicere actum vt sic in communi. Humanitas verò Christi respicit vnicam tantùm subsistentiam, cum sit indiuidua, & particularis, & ideò ad creatam nequit retinere appetitum.

65 Arguitur quartò. Si subsistentia esset positiua entitas realiter à natura distincta, vel posset natura produci, & conseruari sinè illa, vel non; neutrum est dicendum; ergò &c. Probatur Minor quò ad primam partem, omne prius, & realiter distinctum à posteriori potest produci, & conseruari sinè illo, sed natura singularis, & indiuidua est prior subsistentia; ergò potest &c. Probatur quò ad secundam partem, natura completa, & totalis debet subsistere in se, cum per hoc distinguatur substantia completa ab incompleta; ergò &c.

66 Respondetur primò negando Minorem quò ad primam partem, ad probationem distinguo antecedens, si essentialiter non dependeat à posteriori, concedo antecedens; secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itàque illud axioma, omne prius, & realitèr distinctum à posteriori potest produci, & conseruari sinè posteriori solùm est verum, quandò priùs essentialiter non dependet à posteriori: materia enim est prior forma, & tamèn nequit produci, & conseruari sinè forma. Similiter quantitas est prior figura, & tamèn nequit produci, & conseruari sine illa, & ità benè stat, quod natura sit prior subsistentia, & tamèn nequeat produci, & conseruari sine illa, quià essentialiter dependet à subsistentia in subsistendo, sicut materia essentialiter dependet à forma in existendo.

67 Respondetur secundò negando Minorem quò ad secundam partem, ad probationem distinguo antecedens, aptitudinaliter, concedo antecedens, actualiter, nego antecedens, & consequentiam. Petit ergò natura, cum sit completa, & totalis, subsistere in se, non tamèn hoc habet actualiter, nisi per subsistentiam illi realiter superadditam, quam si de facto non habeat, erit subsistens solùm aptitudinaliter, non verò actualiter. Sicut in sententia admittente posse diuinitùs separari passiones ab essentia, data tali separatione essentia habet suas proprietates solùm aptitudinaliter, seù radicalitèr, non

verò actualitèr, seù formalitèr. Vltrà quam quod potest dici, quod natura subsisteret solùm negatiuè, quatenùs non esset in alio supposito, non verò positiuè; sicut proportionali modo accidentia in Sacramento Altaris dicuntur per se subsistere solùm negatiuè, quatenùs non sunt in aliquo subiecto.

68 Instabis primò. Natura completa, & totalis est subsistens per se, formalitèr, actualitèr, & positiuè absque aliquo superaddito; sed natura singularis, & indiuidua est completa, & totalis; ergò est per se subsistens formaliter, actualiter, & positiuè. Minor patet, nam constat ex materia, & forma. Maior probatur, in hoc enim differt natura completa, & totalis à partiali, & incompleta; ergò &c.

69 Respondetur distinguendo Maiorem, si sit vltimò completa, concedo Maiorem; secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam, ad probationem respondetur eodem modo. Non ergò quælibet natura completa, & totalis est subsistens formalitèr, & actualitèr, & positiuè, nisi sit vltimò completa per ipsam subsistentiam, quam de facto exigit tanquam suum vltimum complementum, sed solùm id habebit aptitudinalitèr, radicalitèr, & negatiuè ad differentiam naturæ partialis, & incompletæ, quæ nullo modo id petit, & ità solùm mediante subsistentia erit actu subsistens, cum ratio subsistendi sit effectus formalis subsistentiæ, & nequeat haberi effectus formalis sinè forma.

70 Instabis secundò. Natura quæ est principium quod suarum operationum est subsistens formalitèr, actualitèr, & positiuè; sed natura singularis, & indiuidua est principium quod suarum operationum; ergò est subsistens &c. Probatur Minor, forma est principium quo; ergò conflatum ex materia, & forma erit principium quod suarum operationum.

71 Respondetur distinguendo Maiorem, si sit principium quod perfectè, & adæquatè, concedo Maiorem, imperfectè, & inadæquatè, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam, ad probationem respondetur eodem modo; Itàque natura singularis, & indiuidua casu quo careret subsistentia propria, vel aliena esset principium quod suarum operationum; sed imperfectè, & inadæquatè, & veluti negatiuè, cum illi deesset conditio sine qua non operandi, quæ est ipsa subsistentia; & ità solùm suppositum est principium quod completum, & adæquatum operandi: qua ratione solet dici, quod actiones sunt suppositorum. Imò hoc totum deberet dici in sententia Scoti, si auferretur à natura illa negatio dependentiæ, & communicabilitatis; vndè multa quæ aduersus nos objiciunt Scotistæ, contrà illos possumus retorquere.

72 Arguitur quintò. Ponendo substantiam in aliquo negatiuo faciliùs conuincitur Nestorius dicens in Christo fuisse duas Personas; ergò sententia Scotistarum est tutior Thomistica. Probatur antecedens, dicendo, quod subsistentia humana consistit in negatione vnionis cum Verbo, iam liquet subsistentiam humanam in Christo non esse, cum de facto eius humanitas fuerit vnita Verbo; ergò &c.

73 Respondetur negando antecedens, & eius suppositum, quod, scilicet possit poni in aliquo negatiuo. Nam Concilium Ephesinum contrà Nestorium decreuit Verbum assumpsisse humanitatem, & non hominem, seù personam hominis, & quod verbum impediuit, seù retardauit pullulationem propriæ subsistentiæ humanitatis. Ex quibus verbis clarè patet Concilium conuincere Nestorium in nostra sententia, sustinendo subsistentiam esse aliquid positiuum, quod non assumpsit, sed impediuit ne resultaret. In sententia autem sustinente subsistentiam esse aliquid negatiuum, Verba Concilij faciunt hunc sensum, quod Verbum fecit, quod humanitas esset sibi vnita, vbi nullum impedimentum, aut retardatio pullulationis, aut non assumptio verificatur.

74 Instabis, eo ipso quod subsistentia constituitur in aliquo positiuo, non saluatur, quod etiam Persona non potuerit assumi à Verbo; ergò non saluatur, quod non sit

fit gemina persona in Christo. Antecedens probatur, omnis entitas, seu realitas creata est æquè in potentia obedientiali respectu personæ diuinæ, ad hoc vt assumatur, ergò &c.

75 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, si non connotet negationem communicabilitatis, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaq; licèt entitas positiua, quæ non connotat negationem communicabilitatis sit assumptibilis à Deo, tamèn entitas positiua, quæ illam connotat, sicuti est persona, neutiquam est assumptibilis à Verbo, & ideò non saluatur, quod gemina persona sit in Christo, ex eo quod subsistentia consistat in positiuo. Vndè eadem ratio de inassumptibilitate est, siuè persona consistat in negatiuo, siuè in positiuo. Sicut enim fides scientiam excludit, estò non consistat in eius priuatione, sed in aliquo positiuo connotante negationem euidentiæ; & motus excludit terminum, estò non sit priuatio, sed ratio positiua cum negatione termini; ità similiter persona creata excludit vnionem cum Verbo, quià licèt non consistat in negatione vnionis, tamèn consistit in positiuo, quod illam essentialiter connotat.

76 Arguitur sextò. Non sunt multiplicanda entia sinè necessitate; sed nulla est necessitas superaddendi positiuam entitatem realiter distinctam ab ipsa natura; ergò de facto non datur. Minor probatur, siquidem intelligitur sufficienter constitui suppositum per solam negationem communicabilitatis, & dependentiæ additam ipsi naturæ; ergò nulla est necessitas &c. Antecedens probatur, intellecta negatione communicabilitatis, & dependentiæ, iam natura habet duplicem perseitatem independentiæ, & incommunicabilitatis; sed hæ sunt effectus formales subsistentiæ; ergò &c.

77 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego antecedens, ad probationem distinguo antecedens, ità tamèn quod vtramque habeat ratione alicuius positiui superadditi, concedo antecedens; ratione sui, nego antecedens, & consequentiam. Natura ergò secundùm se nequit fundare hanc duplicem perseitatem, aliàs humanitas Christi pro illo priori ad assumptionem fuisset personata, & subsistens; vndè priùs intelligitur esse in se vltimò completa, quàm quod sit independens ab alio, illique incommunicabilis, cum vtrumque habeat rationem sui vltimi completiui, quod quidem est aliquid positiuum. Et ità sicut innascibilitas in diuinis non est ratio constitutiua patris, sed tantùm notio, qua ipsum explicamus, ità incommunicabilitas, & independentia non sunt formale constitutiuum personæ, sed solùm notiones, quibus illam declaramus.

78 Instabis primò. Eo ipso quod vna pars aquæ separetur ab alijs, fit suppositum, & tamèn per hanc diuisionem non acquiris aliquid positiuum, sed tantùm negationem vnionis, & communicabilitatis cum alijs partibus aquæ; ergò natura vtramque negationem nequit habere ratione alicuius positiui, ac ideò suppositum non constituitur per aliquid positiuum. Minor probatur, nulla enim videtur esse causa productiua talis positiui; ergò &c.

79 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo antecedens, per se, concedo antecedens, per accidens, nego antecedens, & consequentiam. Sicut enim ex diuisione continui resultant puncta, lineæ, & superficies; & agens diuidens continuum dicitur causa per accidens illarum: ità eo ipso quod vna pars aquæ separetur ab alijs, resultat aliquid positiuum; & agens diuidens aquam dicitur causa per accidens subsistentiæ positiuæ ex tali diuisione resultantis.

80 Instabis secundò. Licèt diuidens aquam possit dici causa per accidens talis subsistentiæ, tamèn illi, sicut & cuilibet alteri nequit assignari causa per se efficiens; sed quælibet entitas positiua debet habere causam per se efficientem; ergò nunquam sequitur subsistentiam esse aliquid positiuum. Maior probatur, si aliqua causa per se efficiens posset assignari maximè agens, quod producit naturam; sed hoc est distans, & for-

& forsan non est in rerum natura; ergò &c.

81 Respondetur primò negando Maiorem, ad probationem distinguo Minorem, distantia suppositi, concedo Minorem; virtutis, nego Minorem, & consequentiam. Quodlibet ergò agens, quod producit naturam alicuius, est quoque causa per se efficiens subsistentiæ; vel illicò, vel post aliquod spatium temporis resultantis, quià licèt non sit præsens immediatione suppositi, est tamen præsens immediatione virtutis, sicuti de causa productiua motus grauium, & leuium dicitur in Physicis. Ipsa autem natura est causa efficiens vt quo, & etiam causa materialis subsistentiæ, cum ab illa emanet, & in ea recipiatur.

82 Respondetur secundò. In aliorum sententia subsistentiam immediatè à solo Deo produci, sicùt ab illo tantùm producitur existentia.

83 Arguitur septimò. Si subsistentia adderet aliquid positiuum suprà naturam, esset perfectior ipsa natura; sed hoc est falsum; ergò &c. Minor patet, nam subsistentia est modus, natura autem est res. Maior verò probatur, quià subsistentia magis elongatetur à potentialitate materiæ, & esset propinquior existentiæ; ergò si &c. Probatur consequentia, quò magis aliquid elongatur à materia, & accedit ad existentiam, eò est perfectiùs, cum in creatis materia sit imperfectissima, & existentia perfectissima; ergò &c.

84 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem, nego consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, si cætera sint paria, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam; cum enim subsistentia sit modus, & quid incompletum; natura autem sit res, & quid completum, perfectior est natura, quàm sua subsistentia, licèt subsistentia magis recedat à materia, & accedat ad existentiam, quàm faciat ipsa natura. In sententia autem sustinente subsistentiam esse rem, conceditur subsistentiam esse perfectiorem natura.

85 Arguitur vltimò. Vnitas in sententia probabiliori Thomistarum non consistit in aliquo positiuo, sed tantùm negatiuo; ergò similiter subsistentia &c. Probatur consequentia, sicut vnitas dicit entitatem indiuisam, ità subsistentia dicit naturam incommunicabilem; ergò si &c.

86 Respondetur in nostra sententia, quæ est communis inter Thomistas modernos vnitatem consistere in positiuo, nimirùm in entitate reduplicatiuè sumpta, vt connotat negationem diuisionis, & ità potiùs retorquetur argumentum. In aliorum autem sententia, negatur consequentia. Ad probationem pariter negatur consequentia. Disparitas est, quià ens est transcendens, & ideò nihil positiuum illi superaddi potest; natura autem non est transcendens, & ideò aliquid positiuum illi potest superaddi, in quo ipsa subsistentia consistat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm in substantia creata realiter distinguantur subsistentia, & existentia.

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis cum posset conuerti, an illud positiuum, quod addit suppositum suprà naturam sint principia istam naturam indiuiduantia, vel aliquod accidens, aut ipsa existentia, vel denique aliqua realitas substantialis ab istis omnibus distincta, quæ vocetur subsistentia, suppono hoc positiuum non esse principia indiuiduantia naturam; primò, quià suppositùm aduenit naturæ singulari, & indiuiduæ, ergò supponit iam principia indiuiduantia naturam, cum natura fiat singula-

laris, & indiuidua per principia illam indiuiduantia. Secundò quià si suppositum adderet suprà naturam principia indiuiduantia sequeretur in Angelo suppositum non distingui realiter à natura, cum in illis non distinguatur realiter indiuiduū à natura, sed per se ipsos sint indiuidui. Suppono pariter hoc positiuum, non esse aliquod accidens, quià suppositum est aliquod vnum per se in genere substantiæ; hoc autem esset falsum, si formale constitutiuum suppositi esset aliquod accidens, cum ex substantia, & accidente non fiat vnum per se; neque in hoc dissidium reperio apud Doctores; vndè tota difficultas deuoluitur, an hoc positiuum sit ipsa existentia, ità quod subsistentia non sit entitas realiter distincta ab illa.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc sustinent Paludanus in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. Medina 3. p. q. 4. a. 2. Deza in p. dist. 4. q. 2. Zumel p. p. q. 3. a. 3. Biescas p. p. q. 3. a. 4. dub. 11. Blasius à Concept. in Met. disp. 8. q. 3. Arubal de Conc. lib. Arb. cum Gratia lib. 3. disp. 3. cap. 4. Mahilat in Met. p. 3. disp. 2. sect. 2. & citant etiam pro hac Capreol. sed immeritò, vt dicunt Cippullus, & Brunus.

3 Secunda sententia est affirmatiua. Hanc docent Caiet. 3. p. q. 4. a. 2. Ferrar. 4. cont. gent. c. 43. Nauarete tom. 1. in p. p. cont. 19. Ledesma de diuin. perfect. q. 4. art. 3. Nazar. p. p. q. 58. a. 2. contr. 3. Cabrera 3. p. q. 4. a. 2. disp. 3. Bannez p. p. q. 3. a. 3. dubit. 1. Io: à S. Tho. p. p. q. 3. a. 2. disp. 4. Cippullus 3. p. q. 17. a. 2. dub. 3. Marletta p. p. q. 3. a. 4. cont. 11. Brunus in Met. q. 11. a. 4. quibus adhæret Mazziotta tom. 1. select. quæst. q. 10.

§. II.

Veritas aperitur.

4 Conclusio. Subsistentia est entitas realiter distincta ab existentia.

5 Probatur 1. ex D. Tho. quodl. 2. q. 2. art. 4. ad 2. vbi docet *quod esse non est de ratione suppositi Angelici*. Item p. p. q. 50. art. 2. ad 3. cap. 5. de ente, & essentia, & quodlib. 9. art. 5. habet: *quod esse facit compositionem realem cum eo, quod est, scilicet cum supposito;* sic etiam in 3. dist. 6. q. vnica art. 2. ad 2. inquit: *quod esse est actus suppositi.* Tandem 3. p. q. 17. art. 2. in corpore ait: *esse autem pertinet, & ad naturam, & ad hypostasim; ad hypostasim quidem sicùt ad id, quod habet esse, ad naturam autem sicùt ad id, quo aliquid habet esse.* Et ad primum subdit: *quod esse consequitur naturam, non sicùt habentem esse, sed sicùt quâ aliquod est. Personam autem, siuè hypostasim consequitur, sicùt habentem esse;* & ibi probat in Christo esse vnicam existentiam, quià est vnicum suppositum; vbi probaret idem per idem, si non supponeret distinctionem realem inter illa, ergò de mente D. Th. vera Conclusio.

6 Probatur secundò ratione. Ità se habet existentia, & subsistentia in substantia, sicùt existentia, & inhærentia in accidente, sed existentia, & inhærentia in accidente realiter distinguuntur, ergò similiter existentia, & subsistentia in substantia, probatur Minor, quæ realiter separantur, realiter distinguuntur, sed inhærentia, & existentia in accidente realiter separantur, ergò realiter distinguuntur, probatur Minor, nam in Sacramento Altaris accidentia existunt, & tamèn non inhærent subiecto, ergò &c.

7 Probatur tertiò. Ratio constitutiua suppositi est realiter distincta ab existentia, sed subsistentia est ratio constitutiua suppositi, ergò est realiter distincta ab existentia. Probatur Maior, suppositum nequit intelligi antecedenter ad illud, quod est ratio formalis constitutiua illius, sed suppositum intelligitur constitutum antecedenter ad existentiam, ergò &c. Maior patet, Minor probatur, illud quod se habet vt subiectum, seù potentia receptiua alicuius formæ, aut actus debet præintelligi antecedenter ad illud, sed suppositum est subiectum, seù potentia receptiua existentiæ, vt docet S. Doctor locis adductis; ergò &c.

8 Probatur quartò. Quæ in diuinis virtua-

tualiter distinguuntur, ità tamèn quod spectent ad diuersam lineam, in creatis realiter distinguuntur, sed subsistentia, & existentia in diuinis virtualiter distinguuntur, ità quod spectent ad diuersam lineam, ergò in creatis realiter distinguuntur, Maior patet inductiuè in intellectu, & voluntate, in essentia, & attributis, in misericordia, & iustitia &c. Probatur Minor, existentia spectat ad genus absolutum, subsistentia verò, vt dicit incommunicabilitatem spectat ad genus relatiuum, qua ratione datur vnica existentia in diuinis, & multiplicantur tres subsistentiæ; ergò &c.

9 Probatur quintò; Effectus formales realiter diuersi debent prouenire à formis realiter diuersis, sed effectus formalis existentiæ est realiter diuersus ab effectu formali subsistentiæ, ergò similiter existentia, & subsistentia debent esse realiter diuersæ; probatur Minor, effectus formalis subsistentiæ est naturam esse vltimò completam in genere substantiæ, effectus formalis existentiæ est eandem naturam esse vltimò completam in genere entis, sed isti sunt effectus formales realiter distincti, ergò &c. Probatur Minor, in accidente esse vltimò completum in genere accidentis, & esse vltimò completum in genere entis sunt effectus formales realiter diuersi, cum realiter possint ad inuicem separari, vt dixi in Sacramento Altaris, vbi accidentia sunt vltimò completa in genere entis, vtpotè existentia, non autem in genere accidentis, vtpotè non inhærentia, ergò in substantia similiter isti effectus sunt realiter diuersi.

10 Respondet Mahilat subsistentiam esse complementum intrinsecum substantiæ, inhærentiam verò esse complementum extrinsecum accidentis, vndè in accidente realiter possunt distingui existentia, & inhærentia, secùs autem in substantia existentia, & subsistentia.

11 Sed contrà. Subsistentia non est ità complementum intrinsecum substantiæ, quasi quod spectet ad conceptum realem substantiæ, sed quià intrinsecè illam afficit, sed hoc pacto etiam inhærentia intrinsecè afficit ipsum accidens, ergò quò ad hoc nulla est disparitas.

12 Probatur vltimò. Si existentia, & subsistentia realiter non distinguerentur, sequeretur Verbum Diuinum in humanitate assumpta æquè primò supleuisse tùm existentiam, tùm subsistentiam illius, sed hoc est falsum, ergò subsistentia, & existentia realiter distinguuntur; probatur Minor, vnio hypostatica primò, & per se fuit facta in aliquuo relatiuo, qualis est subsistentia, non verò in absoluto, qualis est existentia, alias tota Trinitas incarnata fuisset, ergò falsum est Verbum Diuinum &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

13 Arguitur primò. Subsistentia est ratio constitutiua suppositi, sed existentia est ratio constitutiua suppositi, ergò existentia non est realiter distincta à subsistentia, Minor probatur ex D. Tho. 3. p. q. 19. art. 1. ad 4. vbi ait: *quod esse pertinet ad constitutionem Personæ.* Et quodlib. 2. q. 2. art. 4. probat suppositum in creatis distingui à natura, quià addit suprà eam esse, ergò &c.

14 Respondetur negando Minorem, ad probationem explico D. Tho. esse in linea substantiæ, concedo antecedens, esse in linea entis, nego antecedens, & consequentiam. Loquitur ergò D. Tho. de esse in linea substantiæ, quæ pacto dicit solam subsistentiam, quæ de facto est constitutiua personæ. Vel si loquitur de esse præcisè solùm intelligit existentiam aliquo modo pertinere ad constitutionem suppositi, scilicet extrinsecè, in quantùm suppositum constituitur ad hoc vt existat per se. In secundò autem loco S. Doctor expresè docet oppositum dum inquit: *licèt ipsum esse non sit de ratione suppositi, quia tamèn pertinet ad suppositum, & non est de ratione naturæ, manifestum est quod suppositum, & natura non sunt omninò idem, in quibuscumque res non est suum esse*, Vndè cum D. Tho. dicit sup-

suppositum in creatis distingui à natura, quià addit suprà eam esse, solùm vult quod existentia aliquo modo pertineat ad constitutionem suppositi, nimirùm extrinsecè.

15 Instabis primò. Per illud constituitur suppositum intrinsecè, per quod habet substantia quod existat per se, & in se, sed substantia habet hoc per existentiam, ergò existentia constituit suppositum intrinsecè; Maior patet, nam suppositum non est aliud, quàm substantia per se, & in se existens; Minor probatur, existentia in substantia est illa, quæ facit existere per se, ad differentiam existentiæ in accidente, quæ facit existere in alio.

16 Respondetur distinguendo Maiorem, dispositiuè, concedo Maiorem, formaliter, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Licèt ergò supposito conueniat existere per se, hoc tamen non habet formaliter per suum formale constitutiuum, sed tantùm dispositiuè, in quantùm quod per subsistentiam habet, quòd sit proximè susceptiuum existentiæ, formaliter autem per suum formale constitutiuum, habet quod sit vltimò completum in genere substantiæ, & quod sit principium quod operandi.

17 Instabis secundò. Existentia ex vi proprij conceptus habet, quod sit vltimus terminus, & actualitas rei, ergò nequit admittere aliam vltimam actualitatem, quæ præstatur formaliter à subsistentia, ac ideò vel ista superfluit, vel est eadem cum existentia

18 Respondetur distinguendo antecedens, in linea entis, concedo antecedens, in linea substantiæ, nego antecedens, & consequentiam. Existentia enim est vltima actualitas in linea entis, subsistentia autem in linea substantiæ; nec in diuerso ordine duo vltima implicant, sed de facto dantur, vt patet in ipsa existentia, quæ est vltima actualitas in linea entis, & in operatione, quæ est vltima actualitas in linea operandi:

19 Instabis tertiò. Licèt existentia, quæ est communis substantiæ, & accidenti sit vltima actualitas in linea entis, tamèn existentia substantialis est vltima actualitas in linea substantiæ, sed hic est sermo de existentia substantiali, ergò non distinguitur à subsistentia.

20 Respondetur negando Maiorem. Nam etiam in substantia datur gradus entis intimè imbibitus in illa, cuius vltima actualitas est ipsa existentia, nec existentia, quæ est communis substantiæ, & accidenti habet quod sit vltima actualitas in linea entis exercitè, sed tantùm in actu signato; vndè existentia dicitur substantialis, vel accidentalis solum identicè, & materialiter, quià nimirùm reperitur in substantia, vel accidente, non autem formaliter ex vi conceptus proprij existentiæ. Eo modo quo voluntas in Deo dicitur assimilatiua solùm identicè, & materialiter, quià scilicet est Diuina, non autem formaliter ex vi conceptus voluntatis analogicè communis voluntati diuinæ, & creatæ, sicùt id habet intellectus.

21 Arguitur secundò. In Angelis solùm datur vna compositio realis, nimirùm essentiæ cum existentia, & in rebus materialibus duplex, scilicet essentiæ cum existentia, & materiæ cum forma, sed si daretur subsistentia media inter essentiam, & existentiam, in Angelis daretur duplex compositio, & in rebus materialibus triplex, ergò non datur subsistentia media inter essentiam, & existentiam. Maior est D. Tho. p. p. q. 50. art. 2. ad 3. Minor verò probatur, nam vltrà assignatas daretur compositio ex natura, & subsistentia.

22 Respondent aliqui subsistentiam compositionem non facere cum natura, cum sit terminus illius; sed hæc responsio est apertè falsa; compositio enim est distinctorum vnio, quorum vnum se habeat vt actus, aliud verò vt potentia, certum autem est quod natura, & subsistentia realiter distinguuntur, & quod natura habet rationem potentiæ, subsistentia verò rationem actus, vndè liquet facere veram compositionem. Quarè ad argumentum.

23 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego consequentiam. Argumentum enim est negatiuum quod nihil

concludit; ex eo enim quod D. Th. ibi enumerauit vnam compositionem in Angelis, & duas in substantijs materialibus non sequitur quod non sint plures, ibi enim solùm intendit ponere discrimen inter substantias spirituales, & materiales quò ad componi, vel non componi ex materia, & ità solùm vult denotare, quod in Angelis datur tantùm compositio Metaphysica, in substantijs verò materialibus compositio Physica, & Metaphysica.

24 Instabis D. Tho. ibidem exprimit quænam sit ista compositio Metaphysica dicens esse ex essentia, & existentia, ergò non cognouit aliam compositionem ex natura, & subsistentia, aliàs fuisset diminutus.

25 Respondetur negando consequentiam, sufficit enim quod ad explicandam compositionem Metaphysicam D. Tho. ponat exemplum in vna, quæ sit inter cæteras nobilior, ità tamèn, quod alias non excludat. Imò D. Th. vltrà Auctoritates suprà citatas in probatione conclusionis, etiam in præfato loco tradidit hanc aliam compositionem ex natura, & subsistentia, dum dicit, quod non natura, sed suppositum est subiectum existentiæ.

26 Arguitur 3. Si existentia realiter distingueretur à subsistentia, sequeretur Deum posse supplere existentiam creatam in natura iam subsistenti, & supposicata, & ità simul cum supposito creato facere vnum per se, sed hoc est absurdum, ergò falsum est &c. Maior patet, nam existentia in suo conceptu formali nullam importat imperfectionem. Minor verò probatur, quià suppositum creatum dicit negationem communicabilitatis cum quocumq; alio ad faciendum vnum per se cum illo, ergò &c.

27 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, in ea linea in qua supponitur iam completum, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. In illa ergò linea suppositum dicitur alteri incommunicabile, in qua est iam completum, per solam autem subsistentiam creatam licèt suppositum esset completum in genere substantiæ, non tamèn esset completum in genere entis, vndè benè posset vniri Deo ad existendum eius existentia, non tamèn ad subsistendum eius subsistentia, eo ipso quod in se non esset existens, benè verò subsistens.

28 Respondetur secundò negando sequelam Maioris, ad probationem distinguo consequens, absolutè, concedo consequentiam, ex suppositione, nego consequentiam. Ex eo ergò, quod existentia in suo proprio conceptu nullam includat imperfectionem solùm sequitur posse suppleri à Deo absolutè, non verò facta suppositione, quod velit conseruare in natura creata propriam eius subsistentiam.

29 Instabis. Ideò Deus potest supplere subsistentiam creatam etiam ex suppositione quod velit conseruare eius naturam, quià distinguitur realiter à natura, sed etiam existentia distinguitur realiter à subsistentia, ergò similiter potest supplere existentiam creatam etiam ex suppositione quod velit conseruare in natura creata propriam subsistentiam.

30 Respondetur distinguendo Maiorem, præcisè per hoc, nego Maiorem, & quià natura creata est communicabilis subsistentiæ diuinæ, concedo Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Ex suppositione ergò quod Deus velit conseruare naturam creatam potest supplere subsistentiam creatam, quià natura est communicabilis ipsi subsistentiæ diuinæ ad faciendum vnum per se cum illa, cum autem natura creata iam subsistens non sit communicabilis existentiæ diuinæ ad faciendum vnum per se cum illa, indè stat quod Deus nequit supplere existentiam creatam ex suppositione quod natura sit iam subsistens, & supposicata.

31 Arguitur quartò. Si existentia, & subsistentia realiter distinguerentur deberent in substantia poni duæ potentiæ realiter diuersæ ad eas recipiendas, sed hoc est falsum, ergò non distinguuntur realiter, Minor patet, nam ratio entis, & ratio substantiæ realiter non distinguuntur, sed sunt vna, & eadem res, sed substantia habet po-

ten-

tentiam ad existendū quatenùs est ens, & ad subsistendum quatenùs est substantia, ergò &c. Maior verò probatur, nam secundùm diuersitatem actuum oportet esse diuersitatem potentiarum; hac enim ratione D. Tho. p. p. q. 54 art. 2. probat in Angelis intellectum distingui realiter ab essentia, quià illis correspondent diuersi actus, scilicet esse, & intelligere, ergò si &c.

32 Respondetur primò negando Maiorem, ad probationem, distinguo antecedens, si per se primò, & immediatè respiciantur à potentia, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Tunc ergò secundùm diuersitatem actuum oportet ponere diuersitatem potentiarum, quandò quilibet actus per se primò, & immediatè respicitur à potentia, secùs autem si non per se primò, & immediatè respiciatur, vt patet in materia prima, quæ vna, & indiuisibili potentia respicit tùm formam substantialem, tùm accidentalem, vnam primariò, & immediatè, alteram secundariò, & mediatè, sic autem est in præsenti, cum natura priùs respiciat subsistentiam, & posteà existentiam. Et hoc explicatur magis in accidente, in quo estò existentia, & inhærentia sint actus realiter distincti, tamèn quià ordine quodam se habent, ideò recipiuntur in eadem potentia, non sic autem se habent esse, & intelligere, cum vtrumque per se primò, & immediatè respiciatur, vnum ab essentia, aliud ab intellectu.

33 Respondetur secundò negando Minorem, ad probationem, distinguo Minorem, ità tamèn, quod sit potentia receptiua existentiæ mediante aliquo superaddito, concedo Minorem, secùs, nego Minorem, & consequentiam. Itaque potentia receptiua subsistentiæ est diuersa realiter à potentia receptiua existentiæ, nam prima est natura nudè sumpta, secunda verò est natura simul cum subsistentia; sicùt potentia receptiua formæ substantialis, & accidentalis sunt realiter diuersæ per hoc quod prima est materia nudè sumpta, secunda verò est materia simul cum forma.

34 Arguitur vltimò. Si propter aliquam rationem subsistentia esset realiter distincta ab existentia, maximè quià illa est vltimum complementum in genere substantiæ, & ista in genere entis, sed ista ratio potiùs conuincit oppositum, ergò &c. Minor probatur, substantia, & ens realiter non distinguuntur, ergò similiter vltimum complementum in genere entis, & vltimum in genere substantiæ.

35 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego consequentiam. Substantia enim, & ens nec diuinitùs separari possunt, & ideò realiter non distinguuntur, vltimum autem complementum in genere substantiæ, & vltimum in genere entis, scilicet subsistentia, & existentia saltem diuinitùs separari possunt; sicùt pari modo existentia, & inhærentia in accidente, cum eadem ratio currat; & quidem hoc patet in humanitate Christi, quæ adhuc spoliata propria subsistentia poterat non terminari à subsistentia verbi, & fuisset tunc existens, & non subsistens; vndè non currit paritas de substantia, & ente, & de subsistentia, & existentia. Vltrà quā quod essentia, & natura tantùm virtualiter distinguuntur, & tamèn existentia, & operatio, quæ illis correspondent tanquam vltimum complementum realiter distinguuntur, ex eo, quod non debet esse tanta amplitudo in termino, quanta est in principio: vndè cum eadem ratio sit in præsenti non est cur subsistentia, & existentia realiter non distinguantur, licèt ens, & substantia sint idem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm in Natura priùs recipiatur subsistentia, quàm existentia?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis tanquam certum, & indubitatum supponendum est stante reali distinctione inter subsistentiam, & existentiam non posse æquè primò, & immediatè ambas recipi in natura, aliàs se haberent vt duo actus omninò disparati, & non possent constituere vnum ens per se. Debent ergò recipi ordine quodam, & vna post aliam; vndè orta est differentia inter Doctores quænam illarum priùs actuet naturam.

2 Prima sententia tenet existentiam priùs actuare naturam. Ità aliqui Recentiores, vt hic citat Cippullus.

3 Secunda sententia docet subsistentiam priùs actuare naturam. Ità Caietanus 3. p. q. 17. a. 2. Ferrariensis 2. contrà gent. cap. 52. Cabrera q. 2. a. 11. dist. 2. Ledesma de diuin. perfect. q. 4. a. 3. Marletta p. p. q. 3. a. 4. contr. 9. Membro 6. Cippullus 3. p. q. 17. a. 2. dub. 4. Brunus in Met. q. 11. a. 4. & alij; vndè sit,

§. II.

Veritas aperitur.

4 NAtura substantialis priùs recipit subsistentiam, quàm existentiam.

5 Probatur primò ex D. Tho. locis suprà citatis, vbi docet, quod proprium, & immediatum susceptiuum existentiæ est suppositum, & quod esse sequitur naturam, & hypostasim, ergò sentit subsistentiam priùs recipi in natura, quàm existentiam.

6 Probatur secundò ratione; priusquam recipitur existentia in natura substantiali debet intelligi in se subsistens, sed nequit natura in se intelligi subsistens, nisi recipiendo subsistentiam, ergò natura substantialis priùs recipit subsistentiam, quàm existentiã. Probatur Maior, proprium susceptiuum existentiæ est suppositum, ergò &c. Antecedens probatur, illud est proprium, & immediatum susceptiuum existentiæ, cui per se competit fieri vt quod, cum productio ordinetur ad esse, sed hoc non est natura, sed totum suppositum, cum actiones sint suppositorum, tàm eliciti uè, quàm terminatiuè, ergò &c.

7 Probatur tertiò. Existentia substantialis supponit naturam vltimò completam in genere substantiæ, sed natura redditur vltimò completa in genere substantiæ per subsistentiam, ergò existentia supponit in natura subsistentiam, ac ideò priùs recipit istam, quam illam; probatur Maior, existentia est vltima actualitas rei, & omnium, quæ sunt in ipsa re, ergò existentia substantialis supponit naturam vltimò completam in genere substantiæ.

8 Probatur quartò. Ità se habet subsistentia respectu naturæ, sicùt se habet punctum respectu lineæ, sed linea priùs natura habet terminari per punctum, quam quod recipiat suam existentiam, ergò etiam natura priùs debet terminari per subsistentiam &c. Minor ex se patet, Maior quoq; videtur clara; sicùt enim punctum est proprius terminus lineæ, ità subsistentia est proprius terminus naturæ substantialis.

9 Probatur quintò. Eodem ordine naturæ humana habet propriam subsistentiam, & existentiam, quo in Christo habuit subsistentiam, & existentiam verbi, sed in Christo habuit priùs subsistentiam, quàm existentiam verbi, ergò etiam in se ipsa priùs habet subsistentiam, quàm existentiam; Maior patet,

tæ; nam ille subrogatæ fuerunt loco istarum. Minor probatur, Vnio hypostatica primò, & per se fuit facta in subsistentia Verbi, quæ est aliquod relatiuum, consequenter autem,& secundariò in eius existentia, quæ est aliquod absolutum, ergò &c.

10 Probatur vltimò. Existentia est actus vltimus, & vniuersalissimus actuans naturam, & omnia ea, quæ afficiunt naturam, sed hoc esset falsum si præueniret subsistentiam, ergò illam non præuenit, sed potiùs subsequitur. Maior patet. Minor quoque videtur clara,non enim prius actuat posterius, sed posterius prius,

§. III.

Argumenta soluuntur.

11 Arguitur primò. Si subsistētia priùs reciperetur in natura, quàm existentia antecedenter ad existentiam iam intelligeretur constitutum suppositum, sed antecedenter ad existentiam non potest intelligi constitutum suppositum, ergò subsistentia priùs non recipitur in natura; Maior patet, nam subsistentia est formale constitutiuum suppositi; Minor verò probatur, suppositum est quoddam totum simpliciter in genere substantiæ, sed antecedenter ad existentiam nequit intelligi hoc totum simpliciter in genere substantiæ, ergò &c. probatur Minor, totum simpliciter est illud, cui nihil deest in tali genere, sed cui deest existentia, deest illud quod est perfectius in genere substantiæ, cum existentia sit substantialis, ergò &c.

12 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego Minorem, ad probationem distinguo antecedens, identicè, & materialiter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Existentia ergò dicitur substantialis solùm materialiter, & identicè, quia id, quod vltimò actuat substantia est; Cæterùm formaliter, & ex vi sui proprij conceptus solùm habet quod sit vltimum complementum in linea entis, vndè suppositum antecedenter ad existentiam præintelligitur esse totum simpliciter in genere substantiæ, cum subsistentia vltimò compleat naturam in tali genere.

13 Instabis primò. Ad hoc vt aliquod sit totum simpliciter in genere substantiæ oportet quod non habeat rationem partis, sed si suppositum non includeret existentiam esset pars in genere substantiæ, ergò suppositum includit existentiam. Minor probatur, illud habet rationem partis in aliquo genere, quod cum alio eiusdem generis constituit aliquod totum simpliciter, sed stante quod suppositum non includeret existentiam,iam posset facere cum ipsa aliquod totum simpliciter in genere substantiæ, ergò &c.

14 Respondetur negando Minorem; ad probationem nego Minorem, nam existentia solùm complet naturam in genere entis, non verò in genere substantiæ: Et si dicitur esse substantiam, hoc est solùm identicè, & materialiter, non verò formaliter.

15 Instabis secundò. Existentia contradistincta tùm à natura, tùm à subsistentia est vera entitas positiua, ergò vel substantia, vel accidens; non secundum, aliàs non faceret vnum per se cum supposito, ergò primum, ergo faciet vnum per se totale in genere substantiæ cum supposito.

16 Respondetur distinguo consequens, implicitè, concedo consequentiam, explicitè, nego consequentiam, & concessa Minori subsumpta, distinguo vltimum consequens eodem modo. Existentia ergò substantialis implicitè quidem est substantia,sed explicitè hoc non exprimit, sed solùm dicit esse vltimum complementum in linea entis.

17 Arguitur secundò. Si subsistentia priùs reciperetur in natura, quàm existentia, hoc ideò esset quia subsistentia est ipsi naturæ ratio recipiendi existentiam, sed hoc est falsum, ergò &c. Maior patet, hac enim ratione forma priùs recipitur in materia quam existentia, quià est illi ratio recipiendi existentiam; Minor verò probatur, si subsistentia esset naturæ substantiali ratio recipiendi existentiam, sequeretur nec de potentia Dei absoluta aliquod posse existere sinè subsistentia, sed hoc est absurdum, ergò &c. Minor patet, nulla enim adest implicantia in

in substantia, quod existat sinè subsistentia, sicut non adest in accidente quod existat sinè inhærentia; vt patet in Sacramento Altaris. Maior verò probatur, ideò materia prima neque diuinitùs potest existere sinè forma, quia ista est ratio quarè materia recipiat existentiam, ergò &c.

18 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, si esset ratio essentialis, concedo Maiorem, connaturalis, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo. Ad probationem distinguo antecedens, quia est ratio essentialis, concedo antecedens, connaturalis, nego antecedens, & consequentiam. Itaque forma est ratio essentialis quare materia recipiat existentiam, & ideò nec diuinitùs potest materia existere sinè forma; subsistentia autem, sicut & inhærentia sunt tantùm rationes connaturales ad hoc vt substantia, & accidens recipiant existentiam, sicut dispositiones sunt tantùm rationes connaturales, quare materia recipiat formam; Vndè sicut diuinitùs potest introduci forma in materiam indispositam, ità substantia, & accidens diuinitùs possunt existere sinè subsistentia, & inhærentia exercita, licèt semper adsit signata.

19 Respondetur secundò negando Maiorem, ad probationem, nego consequentiam. Non enim est similis ratio de existentia respectu materiæ ratione formæ, ac de existentia respectu naturæ ratione subsistentiæ; ideò enim priùs subsistentia afficit naturam, quià cum existentia sit actus vniuersalissimus debet actuare naturam, & quidquid naturam ipsám afficit, quod nullatenùs verificaretur, si existentia priùs in natura reciperetur, quàm subsistentia.

20 Instabis, Si natura hac ratione priùs reciperet subsistentiam, quàm existentiam sequeretur quod subsistentia posset stare sinè existentia, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Minor patet, nihil enim potest esse extrà causas nisi sit existens; Maior verò probatur, nam prius quomodocumque sit illud potest esse sinè posteriori, ergò &c.

21 Respondetur primò distinguò Maiorem, si talis prioritas sit in essendo, & in quo, concedo Maiorè, si sit prioritas naturę, & à quo, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Illud ergò solùm verificaretur casu quo subsistentia antecederet existentiam prioritate in essendo, & in quo, non autem solùm prioritate naturæ, & à quo, sicut de facto illam præcedit.

22 Respondetur secundò negando sequelam, ad probationem nego antecedens vniuersaliter; Quantitas enim præcedit figuram, & materia formam, & tamèn nec quantitas sinè figura, nec materia sinè forma existere potest.

23 Arguitur tertiò. Eodem ordine se habent existentia, & subsistentia respectu naturæ in creatis, ac se habeant in Diuinis, sed in natura Diuina priùs intelligitur esse existentiam, quàm subsistentiam, ergò similiter in natura creata priùs recipietur existentia, quam subsistentia. Maior patet, nam existentia, & subsistentia creatæ sunt participationes formales existentiæ, & subsistentiæ Diuinæ. Minor verò probatur, existentia in Diuinis est aliquod absolutum, subsistentia verò est aliquod relatiuum, nec dantur tres existentiæ relatiuæ, sicut dantur tres subsistentiæ relatiuæ, vt suppono ex Theologicis, sed absoluta in Deo sunt priora relatiuis, ergò &c.

24 Respondetur primò distinguo Maiorem, loquendo de subsistentia absoluta, concedo Maiorem, relatiua, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque in Diuinis præter tres relatiuas subsistentias, quæ tribuunt perseitatem incommunicabilitatis datur subsistentia absoluta, quæ tribuit perseitatem independentiæ, & hæc reperitur in natura Diuina præintellecta personis. Licèt ergò existentia, vtpotè aliquod absolutum, & essentiale præintelligatur subsistentijs relatiuis, non tamèn præintelligitur subsistentiæ absolutæ, sed hanc nostro modo intelligendi supponere debet in essentia Diuina tanquam constitutiuum illius in ratione subsistentis, & principij quod operationum ad extrà, quomodo est immediatè suscep-

sceptilua existentiæ Diuinæ per nostrum conceptum. Subsistentias autem relatiuas præuenit ipsa existentia, quia absoluta est, & absoluta sunt priora relatiuis.

25 Respondetur secundò in sententia non admittente subsistentiam absolutam in natura Diuina præintellecta personis; negando Maiorem, ad probationem, nego consequentiam. Sicut enim, licèt intellectus, & voluntas in Deo, vt potè perfectiones absolutę, supponantur antecedenter ad subsistentiam, quæ est de genere relatiuo, tamèn in creatis, vtpotè accidentia supponunt subsistentiam tanquam terminum intrinsecum complétiuum naturæ in genere substantiæ, ità pariter existentia in Diuinis potest præcedere subsistentiam, in creatis verò subsequi ad illam. Vltrà quam quod existentia in Deo est formalissimè ipsa essentia absque distinctione etiam virtuali in plausibili sententia intèr vtramque; non sic autem est in creatis, sed potiùs realiter distinguuntur.

26 Arguitur quartò. In natura substantiali priùs recipitur actus, qui debet illam complere in genere entis, quàm ille, qui eam complet in genere substantiæ, sed existentia complet naturam in genere entis, subsistentia verò in genere substantiæ, ergò priùs &c. Probatur Maior, eundem ordinem seruant hi duo actus inter se in ordine ad complendam naturam, quem seruant ratio entis, & ratio substantiæ in natura, sed in natura substantiali ratio entis est prior, quàm ratio substantiæ, ergò &c. Maior patet, quià natura secundùm has duas rationes est potentia receptiua horum actuum; Minor verò probatur, ratio entis est communior, & vniuersalior, quàm sit ratio substantiæ, sed vniuersaliora sunt priora, ergò &c.

27 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego Maiorem, ad probationem distinguo Minorem, in intentione concedo Minorem, in exequutione, nego Minorem, & consequentiam. Et dico quod licèt existentia actuet naturam in ratione entis, & subsistentia in ratione substantiæ, & ratio entis sit prior ratione substantiæ, tamèn existentia debet esse posterior subsistentia, quia est actus vniuersalissimus naturæ, & omnium, quæ afficiunt naturam, cum sit vltima actualitas simpliciter, & absolutè, non sic autem esset si priùs afficeret naturam, cum nihil possit actuare id, quod sequitur, sed tantùm illud, quod antecedit; vndè argumentum solùm conuincit existentiam esse priorem subsistentia solùm in intentione, non verò in exequutione.

28 Arguitur quintò. Existentia vnitur naturæ immediatè, sed si reciperetur in natura post subsistentiam hoc esset falsum, ergò &c. Minor patet, nam sic priùs naturæ vniretur subsistentia, quàm existentia, ergò hęc nō vniretur, nisi mediatè. Maior verò probatur, ex natura, & existētia fit vera compositio, sed extrema, quę faciunt veram cōpositionem inter se immediatè vniuntur, ergò &c.

29 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego consequentiam. Etenim quod subsistentia recipiatur in natura substantiali priusquam in illa recipiatur existentia, non facit quod existentia immediatè non recipiatur in natura, siquidem subiectum immediatè susceptiuum existentiæ, non est sola subsistentia, sed potiori iure natura, vndè liquet recipi existentiam immediatè in natura, cum afficiat tàm subsistentiam, quàm naturam, ex eo quod est actus vniuersalissimus, atque adeò immediatè afficiens omnia. Imò vt ait D. Tho. 1. p. q. 8. art. 1. *esse est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium, quæ in re sunt.*

30 Instabis primò. Realis compositio supponit extrema existentia, sed subsistentia facit realem compositionem cum natura, ergò supponit naturam iam existentem.

31 Respondetur distinguo Maiorem, pro eodem instanti reali, concedo Maiorem, præsuppositiuè, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Materia enim facit realem compositionem cum forma, & tamèn non præsupponitur existens, sed per vnionem cum forma acquirit existentiam; ità similiter natura componit cum subsisten-

tia,

tia, sed tamen non præsupponitur existens, sed per subsistentiam existentiam acquirit.

32 Instabis secundò. Relatio realis prædicamentalis præsupponit extrema realiter existentia, ergò similiter realis compositio. Probatur consequentia, sicut extrema referuntur, ità realiter componunt, sed quæ non existunt, non possunt realiter referri, nec realiter componere, ergò &c.

33 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo Minorem, vel præsuppositiuè, vel pro eodem instanti, concedo Minorem, semper præsuppositiuè, nego Minorem, & consequentiam. Itaque extrema relationis realis prædicamentalis debent præsupponi existentia, quia non se habent per modum actus, & potentiæ, & sic cum nullum illorum acquirat existentiam per aliud, vtrumque præsupponitur existens. Cæterum extrema realis compositionis se habent per modum actus, & potentiæ, loquendo de compositione per se, vt est in proposito, & ità cum vtum illorum acquirat existentiam per aliud, non est necessè, quod præsupponatur existere, sed sufficit quod pro eodem instanti habeat existentiam, quam per vnionem cum alio acquirit.

34 Instabis tertiò. Compositum resultat ex vnione partium habentium esse extrà causas, ergò per priùs existere debent ipsæ partes, ergò si natura facit compositionem cum subsistentia priùs debet supponi existens.

35 Respondetur distinguo antecedens, concomitanter, vel in fieri, concedo antecedens, antecedenter, vel in facto esse, nego antecedens, & consequentiam; Concomitanter ergò solùm, vel in fieri partes componentes debent esse extrà causas, non verò antecedenter, vel in facto esse, vt euidenter constat in materia componente cum forma.

36 Instabis quartò. Non possunt duo extrema vniri in aliquo tertio, nisi priùs vniantur inter se, sed natura, & existentia vniuntur in aliquo tertio, nempe in supposito, ergò debent vniri priùs inter se, ergò natura est priùs existens, Minor patet, Maior quoque videtur clara in materia, & forma, quę priùs vniuntur inter se, quàm quòd constituant compositum.

37 Respondetur ex D. Tho. in 3. dist. 5. quæst. vnica art. 2. distinguendo Maiorem, si vniantur ad hoc vt vnum constituant, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Non enim existentia, & natura vniuntur ad hoc vt constituant suppositum, sicut vniuntur materia, & forma, ad hoc vt constituant suppositum, sed existentia afficit naturam, ad hoc vt omnia, quæ sunt in natura simul cum ipsa sint vndequaque completa, quod quidem exigit existentiam esse vltimam.

38 Arguitur sextò. Natura humana in Christo priùs intelligitur producta, quàm vnita Verbo Diuino, ergò priùs intelligitur existens, quàm subsistens; probatur antecedens, si non esset producta, non posset vniri Verbo Diuino; id enim quod non est, alteri vniri non potest, ergò &c.

39 Respondetur distinguẽdo antecedens, producta incompletè, & in fieri, concedo antecedens, completè, & in facto esse, nego antecedens, & consequentiam. Priùs ergò natura humana intelligitur producta, quàm vnita verbo incompletè, & in fieri, sed non completè, & in facto esse, quia si fuisset totaliter extrà suas causas, & existens, non potuisset vniri verbo ad faciendum vnum per se cum illo, imò existeret existentia creata, quod est falsum. Vndè natura humana in Christo à Verbo habuit tùm existentiam, tùm subsistentiam, sed priùs subsistentiam, cum qua primò, & per se fuit facta vnio, & postea existentiam, cum qua fuit facta vnio solùm identicè, & concomitanter.

40 Arguitur vltimò. Si subsistentia, priùs reciperetur in natura, quàm existentia, sequeretur essentiam substantiæ, esse imperfectiorem essentia accidentis, consequens est absurdum, ergò & antecedens; Minor patet, sequela verò Maioris probatur, illud, quod priùs ordinatur ad existentiam est perfectius, sed essentia accidentis priùs ordinaretur ad existentiam, quam essentia subs-

stan-

stantiæ, cum essentia accidentis priùs reciperet existentiam, quàm inhærentiam; essentia verò substantiæ, priùs reciperet subsistentiam, quam existentiam, ergò &c.

41 Respond. negando sequelam Maioris, ad probationem distinguo Maiorem, si cætera sint paria, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego cõsequentiã. Cum enim existentia accidentis sit existentia secundum quid, sicut eius essentia, cum qua proportionari debet, est essentia secundum quid, existentia verò substantiæ sit existentia simpliciter, ideò non sequeretur essentiam accidentis perfectiorem esse essentia substantiæ, estò illa immediatè reciperet existentiam, ista verò non. Vltrà quam quod etiam essentia accidentis priùs recipit inhærentiam, quam existentiam, vndè argumentum non concludit.

42 PRO CORONIDE QVÆSTIONIS QVÆRES PRIMO. An subsistentia sit vnica, & indiuisibilis in toto composito?

43 Respondetur affirmatiuè; Et probatur primò ex D.Th. opusc.48. cap.2. vbi ait: *Materia propriè non dicitur esse per se, cum non habeat esse nisi per formam. Similiter etiam forma non dicitur esse per se, cum solùm habeat esse in materia; Compositum autem propriè dicitur esse per se*, ergò de mente D. Tho. subsistentia, quæ per esse per se explicata. est vnica, & indiuisibilis in toto composito, ità quod immediatè composito, & mediatè eius partibus conueniat.

44 Probatur secundò ratione. Effectus formalis primarius subsistentiæ est reddere naturam vltimò completam in genere substantiæ per se, & in se sistentem, atque independentem ab alio, sed hoc potest competere soli composito, ergò subsistentia est vnica, & indiuisibilis in toto composito; probatur Minor, siquidem tùm materia, tùm forma sunt quid incompletum, & materia dependet à forma, sicut forma dependet à materia saltem vt à subiecto in quo, si est spiritualis, compositum verò est completum, & à nullo dependet, ergò &c.

45 Probatur tertiò. Terminus in quantùm terminus nequit esse compositus, sed omninò simplex, & indiuisibilis, sed subsistentia est terminus naturæ substantialis, ergò nequit esse composita &c. Minor patet ex eius definitione; Maior quoque videtur clara, siquidem terminus habet rationem vltimi, vltimum autem, sicut, & primum est indiuisibile, & sicut non dantur duo prima, ità nec duo vltima.

46 Arguitur primò. Substantia materialis est composita tùm ex partibus essentialibus, tùm ex partibus integralibus, ergò similiter subsistentia erit composita, & non indiuisibilis; probatur consequentia, subsistentia est modus naturæ, sed de ratione modi est habere aliqualem identitatem cum re cuius est modus, ergò si &c.

47 Respondetur negando consequentiam; ad probationem, nego consequentiam. Subsistentia enim est vtique modus afficiens naturam, sed hoc facit per modum vltimi termini immediatè afficientis totum, & mediatè partes, cùm sit in re formaliter indiuisibilis, & virtualiter diuisibilis; & hæc proportio est sufficiens inter naturam, & subsistentiam. Sicut sufficiens est inter lineam, & punctum, quod habet illam terminare, licèt linea sit diuisibilis, & punctum sit solùm virtualiter diuisibile, & formaliter indiuisibile; neque ex hoc sequitur subsistentiam esse totam in toto, & totam in qualiber, parte, sicut dicitur de anima rationali, sed tantùm sequitur totam esse immediatè in toto composito, & mediatè in eius partibus, quod non repugnat.

48 Arguitur secundò. Subsistentia, quæ terminat naturam humanam non est vnica, & indiuisibilis, ergò nulla subsistentia est simplex, & indiuisibilis; consequentia tenet à paritate rationis; antecedens verò probatur, talis subsistentia nec est purè spiritualis, nec purè materialis, ergò &c. probatur antecedens, humana natura ex parte materiæ est materialis, ex parte formæ est spiritualis, ergò cum subsistentia sit modus naturæ, nec erit purè spiritualis, nec purè materialis.

49 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego antecedens, ad probationem, nego consequentiam. Siquidem subsi-

stentia totius compositi humani non est alia, quàm subsistentia ipsius animæ rationalis. Sicut existentia ipsius hominis non est alia, quàm existentia animæ, vt docet D. Tho. 1. p. q. 76. art. 1. ad 5. Et primò contrà gent. cap. 68. & ità stat quod subsistentia hominis sit purè spiritualis, nec tamèn repugnabit mediatè afficere ipsam materiam primam, sicut non repugnat, quod forma spiritualis, qualis est anima rationalis, ipsam immediatè informet.

50 Arguitur tertiò. Omnis subsistentia, quæ afficit naturam materialem, ipsa quoque est materialis, sed quid quid est materiale, est compositum, & diuisibile, ergò subsistentia, quæ afficit naturam materialem est composita, & diuisibilis.

51 Respondetur negando Minorem, & affertur instantia in animabus animalium perfectorum, quæ vtique sunt materiales, & tamèn sunt indiuisibiles, quia informant corpus pro vt stat sub vna ratione indiuisibili, nimirùm sub perfecta organizatione, quæ in indiuisibili consistit; Vndè cum quoque subsistentia terminet naturam materialem, vt stat sub ratione indiuisibili, scilicet sub ratione completi, indè stat subsistentiam esse vnicam, & indiuisibilem, estò sit materialis.

52 Arguitur vltimò. Si subsistentia non esset composita sequeretur, quod eadem subsistentia esset in locis maximè distantibus, vt eadem subsistentia aquæ in extremis maris confinibus; & quod ad diuisionem aquæ corrumperetur præcedens subsistentia, & aliæ duæ generarentur; Et denique quod totum Oceanum mutaret subsistenriam, si ei vna gutta aquæ adderetur, vel demeretur, sed hæc omnia sunt absurda, ergò subsistentia non est simplex, & indiuisibilis.

53 Respondetur negando Minorem quò ad primas duas instantias, nec sunt inconuenientia, sed necessariò debent dici, ne admittamus subsistentias propèmodum infinitas in omnibus guttis maris; vndè vnica tantùm assignata formalitèr indiuisibili, & virtualiter diuisibili informat partes materiæ aquæ, & se extendit ad terminandas partes aduenientes, & desinit terminare separatas. Sicut eadem anima animalis perfecti formaliter indiuisibilis, & virtualiter diuisibilis informat partes materiæ aduenientes, & desinit informare illas, quæ deperduntur, vel abscinduntur absque vlla mutatione in ipsa anima. Ex quo patet ad tertiam instantiam, quod totum Oceanum non mutaret subsistentiam, si demeretur, vel adiungeretur gutta aquæ, quia eius subsistentia licèt formaliter sit indiuisibilis, tamèn est virtualiter diuisibilis. Sicut pari ratione corpus non mutat animam ex eo, quod adueniant, vel recedant nouæ partes materiæ.

54 QVÆRES SECVNDO. An subsistentia sit modus, vel res?

55 Respondetur esse modum.

56 Probatur primò ex D. Tho. q. 9. de Potentia art. 1. ad primum vbi ait: *Subsistentiam esse modum subsistendi in singulari substantia.* Et art. 2. inquit; *Persona significat naturam cum quodam modo existendi incommunicabiliter.*

57 Probatur secundò ratione. Sustinendo quod subsistentia sit modus substantialis enacuantur difficultates, quare subsistentia spectet ad genus substantiæ, & non sit materia, forma, vel compositum, quare subsistentia sit extrà essentiam specificam, & non sit accidens prædicamentale, sed tantùm prædicabile, quare subsistentia actuet naturam, & non sit forma, sed conditio sinè qua non operandi, quare subsistentia creata non possit terminare alienam naturam; Et denique quare ex subsistentia, & natura non resultet noua natura perfectior, quam sit ea, quæ consurgit ex materia, & forma; asserendo enim subsistentiam esse purum modum naturæ cessant omnes istæ difficultates, quæ aliundè insurgunt asserendo subsistentiam esse rem, ergò dicendum est subsistentiam esse modum.

58 Probatur tertiò. Subsistentia ex vna parte spectat ad lineam substantialem, cum sit terminus intrinsecus naturæ illam complens in genere substantiæ, & ex alia parte non est natura completa, v. g. humanitas, neque pars essentialis illius, nempè materia, aut forma, cum verbum assumpserit humanita-

nitatem, & omnes partes essentiales illius, & tamen non assumpsit subsistentiam, ergò nequit aliud dici, nisi quod sit modus substantialis.

59 Arguitur primò. Si subsistentia esset modus, esset modus absolutus, non relatiuus, sed hoc est falsum, ergò subsistentia non est modus. Maior patet, nam spectaret ad genus substantiæ; probatur Minor, non datur modus absolutus, ergò &c. probatur antecedens, de ratione modi est non posse existere etiam diuinitùs sinè re modificata, sed omne absolutum saltem diuinitùs potest per se existere, vt patet in accidentibus, ergò subsistentia &c.

60 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego antecedens; in sententia enim probabili datur modus substantialis inter materiam, & formam, inter naturam, & subsistentiam, qui vtique absolutus est, cum sit de genere substantiæ. Similiter figura in sententia probabili est modus, & tamèn est quid absolutum, cum spectet ad genus quantitatis; vndè ad probationem distinguo Minorem, absolutum per modum rei concedo Minorem, per modum modi, nego Minorem, & consequentiam. Omne absolutum ergò potest diuinitùs à subiecto separari, si sit absolutum per modum rei, non verò per modum modi; vndè accidentia in Sacramento Altaris possunt diuinitùs existere sinè subiecto, non quià præcisè sint absoluta, vt putat Mastrius, sed quia sunt absoluta per modum rei. Nec ex ipso nomine absolutum importat absolutionem dependentiæ à subiecto, sed tantùm dicit aliquid contrà distinctum à relatiuo.

61 Arguitur secundò. Modus intrinsecus non potest separari à re, cuius est modus; sed subsistentia de facto separatur à natura, ergò subsistentia non est modus, sed res distincta à natura. Probatur Minor, Verbum Diuinum assumpsit humanitatem, non tamèn eius subsistentiam, ergò &c.

62 Respondetur distinguo Maiorem, ità quod separatus existat, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Non est ergò contrà rationem modi separari à re, cuius est modus, sed tantùm quod separatus existat; vndè cum subsistentia ab humanitate separata existere nequeat, sed necessariò pereat, indè stat, quod potest esse modus.

63 Arguitur vltimò. Subsistentia constituit naturam completam per se existentem, & ab alio independentem, sed hoc repugnat rationi modi, ergò non est modus; probatur Minor. Modus ex sua natura petit esse alteri affixus, & alligatus, ergò &c.

64 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego consequentiam. Siquidem etiam existentia constituit rem formaliter extrà suas causas, & tamèn ipsa non est formaliter existens, nisi vt quo; Albedo constituit subiectum album vt quod, & tamèn ipsa non est alba, nisi vt quo; vndè quoque subsistentia benè potest esse modus incompletus, & alteri affixus, & tamèn reddere naturam completam, & independentem ab alio. Imò retorquetur argumentum contrà Mastrium qui constituit subsistentiam in aliquo negatiuo, & tamèn sustinet illam reddere naturam in se formaliter sistentem, & independentem ab alio.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA

DE EXISTENTIA.

PRælibata essentiæ, ac subsistentiæ notitia, de existentia agere superest. Existentia autem definitur, quòd sit vltima actualitas, per quam res ponitur extrà suas causas. Diuiditur in substantialem, & accidentalem, in Creatam, & Increatam, pro vt Deo, vel Creaturis, substantiæ, vel accidenti habet competere, licèt in suo formali conceptu præcisè exprimat esse vltimum complementum in linea entis; de hac ergò sermo erit in præsenti quæstione. Vndè sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum existentia realiter distinguatur ab essentia?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, nomine essentiæ, vt ex dictis in sua quæstione liquet intelligi id, quod primò, & per se de quacumque re dicitur, vndè licèt in Petro v. g. sit risibilitas, quantitas, & albedo, tamèn sola humanitas est illius essentia, quia hæc tantùm primò, & per se de illo dicitur. Nomine verò existentiæ intelligimus id, per quod quælibet res habet, quod sit actu in se ipsa, & completè, & adæquatè extrà suas causas.

2 Aduertendum est secundò difficultatem non procedere de essentia, & existentia in Deo: Certum est enim realiter inter se non distingui, cùm Deus sit ipsum esse purissimum, ad quod nullatenùs se habet in potentia, aliàs amitteret rationem actus puri, vndè solùm deuoluitur ad essentiam, & existentiam in creatis repertam.

3 Aduertendum est tertiò, essentiam cuiuslibet rei creatæ in duplici statu posse considerari, nimirùm in statu possibilitatis; quandò est intrà causas; & in statu actualitatis, quandò iam est producta in se, & in actu. Si quidem cum producitur Petrus, non solùm producitur eius existentia, verùm etiam essentia. Quæstio in præsenti non procedit de essentia primo modo accepta, certum est enim realiter distingui ab existentia, vt quid negatiuum à positiuo, sed tantùm de ipsa in secundo statu considerata.

3 Prima sententia ponit solam distinctionem rationis ratiocinantis, & ex parte nostri modi concipiendi absque fundamento in re inter essentiam, & existentiam. Ità Arriaga in Met. disp. 2. sect. 4. Ouiedo contr. 2. Met. punc. 3. Auersa q. 8. Phil. Pasqualigo disp. 82. sect. 6. Hurtado in Met. disp. 8. §. 53.

4 Secunda sententia statuit inter illas distinctionem rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re. Ità Durandus in 1. dist. 8. q. 2. Herueus quodlib. 7. q. 8. Gregor. q. 3. art. 1. Gabriel in 3. dist. 6. q. 2. art. 1. Almaynus q. 2. not. 2. & 3. Suarez in Met. disp. 31. Vasquez 3. p. dist. 12. Arrubal. 1. p. q. 3. disp. 1. cap. 1.

Tertia

6 Tertiā sententia inter illas cognoscit distinctionem formalem ex natura rei, non verò realem. Ità Scotus in 3. dist. 6. q. 1. cum suis discipulis, licèt plures explicent talem distinctionem pro distinctione rationis ratiocinatæ.

7 Quarta sententia docet Essentiam, & existentiam realiter inter se distingui. Ità B. Albertus Magnus, & Angelicus Doctor cum sua schola, D. Bonau. in 2. dist. 1. p. 2. 1. q. 1. Ægid. in 2. dist. 3. p. p. q. 1. a. 7. quodl. 1. q. 7. Argentin. in 2. dist. 3. q. 1. a. 2. Ricchar. a. 1. q. 1. Henricus in sum. a. 27. q. 1. Molina p. p. q. 3. a. 4. disp. 2. Albertin. tom. 2. princ. in Phil. dist. 2. q. 1. Fonseca lib. 4. Met. cap. 2. q. 14. sect. 5. Mazziotta tom. 1. select. quæstionum q. 3. & 10. Aleman p. p. Sum. Phil. q. 23. a. 3. & alij. Videat ergò Mastrius an, vt ipse dicit, opposita sententia communis sit apud Doctores.

§. II.

Veritas aperitur.

8 CONclusio. Existentia in rebus creatis realiter distinguitur ab essentia.

9 Probatur primò ex Sacra Scriptura Exodi 3. vbi Deus de se ipso inquit. *Ego sum, qui sum* & iterum; *sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos*, vbi habetur esse proprium Dei, quòd sit suum esse, seù quod eius essentia sit idem cum existentia, quod etiam frequenter docent Sancti Patres, præcipuè Nazianzenus lib. 3. Theologiæ, Aug. super Psalm. 134. Hieronym. Epist. ad Damasum, Gregorius lib. 16. Moralium cap. 18. & Bernardus in sermone de triplici cohærentia; sic etiam Boetius in libello de Trinitate ait: *in ijs, quæ sunt aliud est id, quod est, aliud verò ipsum esse*; ergò &c.

10 Probatur 2. ex Philosopho, & D. Thoma, nam Phil. 2. Post. cap. 7. inquit: *quod autem est homo, & esse hominem diversa sunt, non eadem*, & posteà subdit: *esse verò rei nullius est, vt patet substantia*, idest essentia, D. Tho. quoque cap. 1. & 6. de ente, & essentia dicit: *id quod est, & quo est aliquid ens actu existens sunt aliud, & aliud*. Item op. 15. docet, *quod existentia realiter recipitur in essentia*. Et op. 48. tractatu de substantia cap. 2. ait: *esse essentiæ, & esse actualis existentiæ differunt realiter, vt duæ diversæ res*, sic etiam primo cont. gent. cap. 22. asserit: *quod ex essentia, & existentia fit realis compositio*, & cap. 3. subdit: *quod in solo Deo essentia, & esse non distinguitur realiter, in creaturis verò sic*, & tandem quodlib. 3. q. 8. a. 1. ait: *omnis alia res præter Deum est ens participatiuè, ità quod aliud sit in eo substantia participans esse, aliud ipsum esse participatum*, ergò de mente Philosophi, & D. Thomæ vera Conclusio.

11 Respondent Contrarij, D. Th. loqui de subsistentia, non verò de existentia.

12 Sed contrà. Quià S. Doctor in diuersis Articulis inquirit distinctionem existentiæ ab essentia, & subsistentiæ à natura, vt patet in p. p. q. 3. a. 3. & 4. Item p. p. q. 1. a. 2. ad 3. de ipsa forma Angelica per se subsistente dicit distingui realiter à propria existentia, & facere compositionem cum ipsa. Tandem 3. p. q. 17. a. 2. & quodlib. 9. a. 2. inquit, *quod esse pertinet ad naturam, & ad hypostasim, seu subsistentiam & quod natura conuenit vt quo, suppositio autem, vt quod*, ergò non loquitur de subsistentia, sed præcisè de existentia.

13 Respondent 2. D. Thomam sumere essentiam in statu possibilitatis, non verò dum actu est in se ipsa.

14 Sed contrà primò. Nam inquit, essentiam facere compositionem cum existentia, & ipsam recipere, sed essentia in statu possibilitatis, nec facit compositionem cum existentia, nec illam recipit, cum in se nihil sit, & tunc non intelligatur esse existentiæ; ergò non sumit essentiam in statu possibilitatis, sed vt actu est in se ipsa.

15 Contrà secundò. Quià p. p. q. 1. a. 2. ad 3. De forma Angelica dicit, comparari ad esse tanquam potentiam ad actum, & facere compositionem cum ipso esse; sed forma Angelica non est in statu possibilitatis, sed actu in se ipsa, ergò semper loquitur

de

de essentia, vt actu est in se ipsa.

16 Respondent 3. D. Thomam solùm velle, essentiam, & existentiam inter se ratione distingui, non verò realiter.

17 Sed contrà. Nam pluribus in locis expressè inquit, inter se differre realiter, vt liquet ex assignatis: In alijs verò, vel statuit compositionem, vel receptionem vnius in alia, quæ profectò indicant realem distinctionem, sicùt per hoc materia, & forma realiter inter se distinguuntur.

18 Probatur 3. ratione. Quidquid recipitur in alio tanquam actus in potentia, realiter ab ipso distinguitur; sed existentia in rebus creatis recipitur in essentia, vt actus in potentia, ergò realiter distinguitur ab essentia: Maior patet; nihil enim recipitur in se ipso; Minor probatur, nulla existentia creata est irrecepta, ergò debet recipi in essentia. Consequentia patet, cum non possit assignari aliud subiectum, in quo recipiatur. Antecedens verò probatur. Essentia irrecepta est actus purus, sed nulla existentia creata potest esse actus purus, ergò nulla existentia creata potest esse irrecepta. Maior probatur, actus purus est ille, qui nulli potentiæ permiscetur, sed existentia irrecepta nulli potentiæ permiscetur, ergò &c. Probatur Minor, actus permiscetur potentiæ, vel quià est actus alicuius potentiæ, vel quià est in potentia ad vlteriorem actum, sed existentia irrecepta, nec est actus alicuius potentiæ, cum in nulla recipiatur, nec ordinatur per modum potentiæ ad vlteriorem actum, cum sit vltima actualitas cuiuscumque rei; ergò &c.

18 Respondent primò Contrarij existentiam creatam non esse actum purum, quià licèt non recipiatur in essentia, recipit tamèn subsistentiam.

19 Sed contrà 1. D. Tho. p. p. q. 2. a. 4. & q. 4. a. p. ad 3. ait, *esse non comparari ad alia, sicut recipiens ad receptum, sed sicut receptum ad recipiens*, & ipsam existentiam vocat actualitatem omnium rerum, etiam formarum, ergò constat existentiam non recipere subsistentiam.

20 Contrà secundò. Suppositum est illud, quod recipit existentiam vt suprà vidimus, ergò existentia non recipit subsistentiam, sed potiùs è contrà subsistentia vt quo recipit existentiam.

21 Respondent secundò Contrarij existentiam non esse actum purum, quià dependet à causa efficiente, à qua etiam finitur, & limitatur.

22 Sed contrà primò. Implicat existentiam esse actum purum, & habere dependentiam à causa efficiente, ideò enim Deus à nullo dependet, quià est actus purus, ergò existentia irrecepta à nulla causa efficiente poterit limitari.

23 Contrà secundò. Actus, qui actus non limitatur nisi per subiectum, sed existentia est actus, ergò totam suam limitationem accipiet à subiecto, si ergò est irrecepta, infinita erit, & illimitata, eo modo, quo forma Angelica secundùm quòd irreceptibilis est in materia est infinita, licèt posteà quià recipit subsistentiam, & existentiam finiatur, & limitetur.

24 Contrà tertiò. Limitatio sumpta ex parte causæ efficientis est omninò extrinseca, & supponit intrinsecam capacitatem ad limitationem in ipsa re producta, ergò non potest existentia limitari à causa efficienti.

25 Contrà quartò. Si sola dependentia à causa efficiente haberet limitare, non implicaret substantia creata supernaturalis, quià limitaretur eo ipso, quod à Deo crearetur, ergò dicendum est existentiam ideò posse à causa efficienti pendere, quià est capax limitationis, non verò è contrà.

26 Probatur quartò. Quæ realiter separantur, realiter distinguuntur, sed existentia in rebus creatis realiter separatur ab essentia, ergò realiter ab ipsa distinguitur. Minor probatur, humanitas Christi non existit per existentiam creatam, sed per existentiam Verbi Diuini, sicùt non subsistit per subsistentiam creatam, sed per subsistentiam Verbi Diuini; ergò &c.

27 Respondent Contrarij vtique naturam humanam subsistere in Christo subsistentia Verbi Diuini, tamèn existere propria existentia, quæ nil aliud est, quam ipsa hu-

humanitas vt est extrà suas causas, sicùt de facto est.

28 Sed contrà primò. Nam in 6. Synodo Generali Actione 11. habetur, *quod in Christo vnum esse sortitur duplex natura*: & Concilium Ephesinum dicit, *In Christo nec esse duas personas, nec duas existentias*, aliàs esset aggregatum per accidens, cum constaret ex duobus entibus per se completis, vltimò terminatis, & existentibus &c.

29 Contrà secundò. Quià secùs Beatissima Virgo non posset dici Mater Dei, cum eius causalitas per existentiam creatam intelligeretur totaliter terminata antè aduentum suppositi Diuini, eo modo, quo si humanitas Petri iam existens assumeretur ab aliqua persona Diuina, Mater quæ genuit Petrum non posset dici Mater Dei, cum eius causalitas fuisset totaliter terminata ad Petrum existentem, ergò Responsio est nulla.

30 Probatur 5. In sententia sustinente essentiam ab æterno esse aliquid positiuum. Id, quod conuenit naturæ specificæ absque omni causa effectiua distinguitur realiter ab eo, quod illi conuenit non nisi per aliquam causam effectiuam, sed essentia conuenit rei absque omni causa effectiua, existentia autem non conuenit rei, nisi per aliquam causam effectiuam, ergò existentia realiter distinguitur ab essentia: Maior patet, sic enim admittitur realis separatio. Minor probatur, essentia Dei ab æterno habet esse per solam dependentiam à Deo in genere causæ exemplaris, existentia verò indispensabiliter exposcit causalitatem causæ efficientis, ergò &c.

31 Respondent Contrarij, id verificari de existentia, quæ competit essentiæ exercitè, seù in actu sumptæ, non autem signatè, seù in statu possibilitatis.

32 Sed contrà primò. In hac sententia essentia ab æterno exercitè est, & in actu, cum sit aliquid positiuum secundùm esse essentiæ, ergò ab ipsa etiam realiter distinguitur existentia.

33 Contrà secundò. Existentia, vt ex eius definitione liquet est vltima actualitas, qua res ponitur extrà omnes suas causas, ergò non datur existentia, quæ conueniat alicui essentiæ signatè, & in statu puræ possibilitatis sumptæ, nisi aliam existentiæ conceptum fingamus.

34 Probatur sextò. Quod non conuenit alicui essentialiter realiter distinguitur ab illius essentia, sed existentia nulli rei creatæ conuenit essentialiter, ergò realiter distinguitur &c. Minor probatur; existentia conuenit rei creatæ absque vlla Metaphysica corruptione subiecti; homo enim semper est animal rationale, siuè sit existens, siuè non, & hæc quidè est differetia inter existentiam diuinam, & creatam, quod illa essentialiter conuenit Deo; ista verò accidentaliter creaturæ, cum illa conueniat Deo independenter ab alio, ista verò dependenter à libera voluntate Dei, imò etiam à causis secundis, ergò vera Minor.

35 Probatur septimò. Nequit aliqua simplex realitas esse eadem realiter cum entitate composita ex rebus distinctis, sed existentia compositi Physici substantialis est aliqua simplex realitas, ipsa verò essentia est composita ex rebus distinctis, ergò saltem existentia compositi Physici substantialis realiter distinguetur ab illius essentia, Maior patet, Minor quoque quoàd secundam partem: humanitas enim componitur ex materia, & forma realiter inter se distinctis, quantùm verò ad primam partem probatur, si existentia compositi Physici substantialis esset aliqua realitas composita, deberet constare ex duabus partialibus existentijs, quarum vna esset actus, alia verò potentia, sed hoc est absurdum, cum existentia ex suo formali conceptu sit vltima actualitas cuiuscumque rei, ergò existentia &c.

36 Probatur vltimò. Nulla datur essentia rei creatæ, quæ sit per se ipsam vltimò completa, & perfecta in genere entis, sed petit perfici, ac compleri per aliquid à se realiter distinctum, sed existentia est vltima actualitas, perfectio, & complementum rei in genere entis, ergò nulla essentia rei creatæ est ipsa existentia &c. Probatur Maior inductiuè; nulla enim substantia creata est per se ipsam perfecta, & completa in gene-

re

ae substantiæ, sed indiget perfici per subsistentiã à se realiter distinctam. Item accidens non est per se ipsum vltimò perfectum, ac completum in genere accidentis, sed eget inhærentia à se realiter distincta. Similiter linea non est vltimò completa per se ipsam, sed per punctum ipsi realiter superadditum. Tandem nulla substantia viuens creata est per se ipsam vltimò perfecta, ac completa in genere vitæ, sed completur per operationem vitalem à se realiter distinctam; ergò &c.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

37 Arguitur primò ex D. Th. 1. p. q. 50. art. 5. in c, vbi ait, quod *esse comparatur ad formam, sicut rotunditas ad circulum,* sed rotunditas non distinguitur realiter à circulo, ergò neque existentia à forma.

38 Respondetur explicando S. D. quò ad aliquã, concedo Maiorem, quò ad omnia, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Comparatio ergò D. Tho. stat in hoc, quod sicut naturaliter non est separabilis rotunditas à circulo, ità neque existentia à forma, non autem, quod sicut rotunditas non distinguitur realiter à circulo, ità neque existentia à forma, cum rotunditas sit ratio constitutiua circuli formaliter sumpti; non autem existentia formæ, sed potiùs illi accidentaliter adueniat.

39 Instabis primò. D. Tho. q. 3. de Pot. art. 1. ad 2. dicit: *essentiam absque existentia nihil esse*, ergò comparatio, quam D. Th. facit loco citato est quò ad omnia.

40 Respondetur explicando D. Th. pro vt nihil opponitur enti participiali, concedo antecedens, enti nominali, nego antecedens, & consequentiam. Essentia ergò pro illo priori rationis, quo præuenit existentiam est nihil pro vt nihil opponitur enti participiali, non verò vt opponitur enti nominali, quo pacto verè est ens, sicut est materia prima pro illo priori, quo præuenit formam, cum vtraque habeat rationem potentiæ subiectiuæ, non verò obiectiuæ, & realiter recipiant vna formam, & altera existentiam.

41 Instabis secundò. D. Th. 1. p. q. 42. art. 1. ad 1. inquit: *primus effectus formæ est esse*, ergò sentit, quod existentia sit primus effectus formalis formę, sed primus effectus formalis non distinguitur realiter ab ipsa forma, ergò semper sentit existentiam non distingui realiter ab essentia; Minor probatur, nam primus effectus formalis est ipsa forma communicata subiecto, ergò &c.

42 Respondetur explicando S. D. extrinsecus, concedo antecedens, intrinsecus, nego antecedens, & distincto consequenti cum Minori subsumpta eodem modo, nego vltimam consequentiam. Solùm ergò vult S. D. quod existentia sit primus effectus extrinsecus, non verò intrinsecus; quandò autem dicitur, quod primus effectus formalis formæ est ipsa forma vt communicata subiecto sermo est de primo effectu formali intrinseco, non verò extrinseco.

43 Instabis tertiò. Differentia inter causam efficientem, & finalem ex vna parte, & formalem, ac materialem ex alia est quia primæ sunt causæ extrinsecæ, secundæ verò intrinsecæ, ergò forma non respicit esse tanquam primum effectum formalem extrinsecum, sed intrinsecum.

44 Respondetur distinguendo antecedens, adæquatè, concedo antecedens, inadæquatè, nego antecedens, & consequentiam. Differentia ergò est, quod primæ duæ sunt causæ extrinsecæ adæquatè, ità quod nullum effectum intrinsecum respiciant, sed solùm extrinsecum, secundæ verò sunt intrinsecæ, non adæquatè, sed inadæquatè, ità quod habeant effectus intrinsecos, & extrinsecos, cum de facto forma sit extrinseca materiæ, & materia formæ, & tamèn sunt sibi ad inuicem causæ, inter effectus autem extrinsecos formæ primus est existentia.

45 Arguitur secundò. Existentia est id, quo res ponitur extrà suas causas, sed vnaquæque res ponitur extrà suas causas per suam essentiam, ergò essentia est idem protsùs cum existentia: Maior patet, Minor quoque videtur clara, non enim est

sermo

fermo de essentia in statu possibilitatis, sed in statu actualitatis sumpta.

46 Respondetur distinguendo Maiorem, completè, & in facto esse, concedo Maiorem, incompletè, & in fieri, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Existentia ergò est id, quo res completè, & in facto esse ponitur extrà suas causas, per essentiam autem solùm ponitur incompletè, & in fieri; vndè sicut subsistentia, quià completè, & in facto esse perficit substantiam, à natura realiter distinguitur, & actio vitalis, quià completè, & in facto esse perficit vitam realiter à potentia vitali distinguitur, ità si existentia completè, & in facto esse perficit ens, realiter ab eius essentia debet distingui.

47 Instabis primò. Essentia per se ipsam est completè, & in facto esse extrà suas causas, ergò per se ipsam est existens: antecedens probatur, eo ipso, quod aliqua res terminat actionem agentis, intelligitur esse completè, & in facto esse extrà suas causas, sed essentia per se ipsam terminat actionem agentis, ergò &c. Minor probatur, nam existentia est terminus secundarius actionis supponês terminum primarium productum; ergò &c.

48 Respondetur negando antecedens; ad probationem, distinguo Maiorem, adæquatè sumptam, concedo Maiorem, inadæquatè, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Cum enim actio productiua alicuius tendat ad hoc, vt illud ponat sub existentia, implicat terminare actionem productiuam completè, & adæquatè, & quod illi non communicetur existentia, maximè cum eadem actio attingat essentiam, vt terminum primarium, & existentiam, vt terminum veluti secundarium.

49 Instabis secundò. Potest produci essentia absque vlla existentia, ergò per se ipsam potest terminare actionem productiuam adæquatè. Probatur antecedens, in sententia probabili cum ex speciebus sacramentalibus educitur forma vermis, tunc materia creatur à Deo absque vlla existentia, cum illius sit capax solùm mediante forma; ergò &c.

50. Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, ità quod talis actio comitetur actionem eductiuam vermis à materia, concedo antecedens, ità quod præintelligatur in instanti in quo antecedenter ad talem eductionem, nego antecedens, & consequentiam: Itaque talis actio est in eodem instanti reali simul cum actione eductiua formæ vermis à materia, licèt præintelligatur in instanti à quo antecedenter ad illam; vndè stat, quod actione adæquata, & completa nullatenùs possit produci essentia absque existentia.

51 Instabis tertiò. Potest remanere essentia separata ab omni existentia, ergò etiam potest produci essentia absque vlla existentia; consequentia patet, antecedens probatur, humanitas Christi modò stat sinè propria existentia, & aliundè simul potuit non terminari ab existentia increata Verbi, vel de potentia Dei absoluta ab illa potest dimitti, ergò verum antecedens.

52 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, destructa ipsa humanitate, concedo antecedens, ipsa humanitate remanente, nego antecedens, & consequentiam: Itaque casu quo Humanitas Christi spoliata propria existentia, non fuisset terminata ab existentia increata Verbi diuini, vel illam modo dimitteret, destruetur ipsa humanitas, cum implicet, quod aliquid sit in rerum natura actu in se ipso, & quod non existat, cum existentia sit ratio formalis, quarè aliquid sit in rerum natura actu in se ipso: sicut implicat, quod aliquid sit album sinè albedine, quià albedo est ratio formalis, quarè aliquid sit album; & quidem si argumentum ponit realem separationem, à fortiori ponit realem distinctionem inter essentiam, & existentiam.

53 Instabis quartò. Quidquid realiter distinguitur ab alio, potest sinè illo permanere absque sui destructione, sed humanitas Christi distinguitur realiter saltem ab existentia increata Verbi, ergò spoliata propria existentia potest permanere, etiamsi

non fuisset terminata à Verbo, aut modò dimetteretur.

54 Respondetur negando Maiorem; Materia enim realiter distinguitur à forma, & tamèn non potest separari ab illa. Totum in sententia probabili distinguitur realiter à suis partibus simùl sumptis, & tamèn non potest realiter permanere separatum ab illis. Item relatiua inter se distinguuntur realiter, & tamèn vnum non potest separari ab alio, & ità eadem ratio erit de Humanitate Christi spoliata propria existentia respectu existentiæ increatæ Verbi.

55 Instabis quintò. Dato quod essentia se sola non possit causari, tamèn se sola potest causare, ergò semper per se ipsam complete,& in facto esse est extrà suas causas: antecedens patet, nam de facto est subiectum receptiuum existentiæ; consequentia verò probatur, quià vnumquodque causat, in quantùm est extrà causas, ergò &c.

56 Respondetur distinguendo antecedens, in genere causæ materialis, concedo antecedens, in genere causæ efficientis, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens eodem modo. Essentia ergò est causa existentiæ in genere causæ materialis ipsam recipiendo, sicut materia est causa materialis formæ; vndè non debet præsupponi esse extrà suas causas, sed sufficit, quod sit concomitanter, eo modo, quò ad hoc, vt materia sit causa receptiua formæ, non requiritur quod antecedenter sit extrà causas, sed sufficit, quod solùm sit concomitanter.

57 Instabis 6. Essentia nedùm est causa materialis respectu existentiæ eam recipiendo, verum etiam est causa effectiua, ergò debet præsupponi esse extrà causas; consequentia patet, hæc enim est differentia inter causam materialem, & effectiuam, antecedens probatur; existentia est terminus secundarius, qui tanquam principium quod respicit ipsum agens, tanquam verò principium quo, respicit essentiam, à qua emanat, ergò &c.

58 Respondetur distinguendo antecedens, per modum realis emanationis, concedo antecedens, per modum propriæ efficientiæ, nego antecedens, & consequentiam: Ad cuius probationem distincto antecedenti eodem modo, nego consequentiam. Licèt ergò principium propriè effectiuum necessariò præsupponatur esse extrà suas causas, tamèn principium propriè emanatiuum non est necesse, quod præsupponatur esse extrà suas causas, sed solùm concomitantèr, vt patet in essentia respectu suarum proprietatum, cum autem essentia respectu existentiæ, non sit principium propriè effectiuum, sed solum emanatiuum, indè stat, quod non debet præsupponi esse extrà suas causas.

59 Arguitur 3. Ideò existentia creata realiter distinguitur ab essentia, quià in ipsa recipitur, sed hoc est falsum, ergò realiter non distinguitur: probatur Minor, si existentia realiter reciperetur in essentia, vel reciperetur in illa dum est in statu possibilitatis, vel dum est in statu actualitatis; neutrum est dicendum, ergò &c. Minor probatur, quò ad primam partem: Essentia in statu possibilitatis nihil est extrà Deum, & in sententia sustinente esse aliquid non facit compositionem cum existentia, quod requiritur, ad hoc, vt illam recipiat: probatur etiam quò ad secundam partem, nam per ipsam existentiam, essentia educitur extrà statum puræ possibilitatis; ergò &c.

60 Respond. negando Minorem quò ad secundam partem, ad probationem, distinguo antecedens, completè, & in facto esse, concedo antecedens, incompletè, & in fieri, nego antecedens, & consequentiam. Essentia ergò recipit existentiam dum est in statu actualitatis, non quidem completè, & in facto esse, sed incompletè, & in fieri; vndè benè potest per ipsam existentiam completè, & in facto esse educi extrà statum possibilitatis.

61 Instabis primò. Quod est purum nihil non potest aliud recipere, sed essentia præcisa existentia est purum nihil, in quocumq; statu, ergò in quocumque statu nequit existentiam recipere; probatur Minor; quod non est extrà causas est purum nihil, sed essentia præcisa existentia in quocumq; statu

ſtatu non eſt extrà cauſas, ergò eſt purum nihil.

62 Reſpondetur diſtinguendo Minorem, pro vt nihil opponitur enti participiali, concedo Minorem, enti nominali, nego Minorem, & conſequentiam: Ad probationem reſpondetur eodem modo: Eſſentia ergò præciſa exiſtentia eſt nihil ſecundum quid, ideſt non eſt ens participiale, non tamèn eſt nihil abſolutè, & ſimpliciter, ità quod excludat etiam ens nominale, eò vel maximè, quod præciſa exiſtentia eſt extrà cauſas in fieri, incompletè, & inchoatiuè.

63 Inſtabis 2. exiſtentia eſt id, quo res dicitur eſſe in actu, & extrà nihil, ergò antecedenter ad exiſtentiam res abſolutè, & ſimpliciter eſt nihil, & ideò non poteſt exiſtentiam recipere.

64 Reſpondetur diſtinguendo conſequens, ſi ſumatur eſſentia vt ſeparata ab exiſtentia, concedo conſequentiam, ſi ſumatur quatenùs per rationem præuenit exiſtētiam, nego conſequentiam. Non enim concipitur eſſentia, vt ſeparata ab exiſtentia, ſed tantùm ſecundum ſe, & vt in inſtanti à quo illam præuenit, vndè non eſt purum nihil, ſed verum ens nominale compoſitionem faciens cum exiſtentia.

65 Arguitur 4. Si exiſtentia realiter diſtingueretur ab eſſentia faceret compoſitionem cum illa, ſed hoc eſt falſum, ergò realiter non diſtinguitur. Maior patet, nam compoſitio eſt diſtinctorum vnio, Minor probatur, nulla res componit cum ſua realitate, ſed exiſtentia eſt ipſa realitas rei, ergò nulla res componit cum ſua exiſtentia.

66 Reſpondetur negando Minorem, ad probationem diſtinguo Maiorem, cum ſua realitate eſſentiæ, concedo Maiorem, exiſtentiæ, nego Maiorem, & conceſſa Minori, nego conſequentiam. Sicut ergò eſſe eſt duplex, ideſt eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ, ità etiam realitas eſt duplex, ideſt realitas eſſentiæ, & exiſtentiæ, & ſicùt nulla res componit cum eſſe eſſentiæ, benè verò cum eſſe exiſtentiæ, ità nulla res componit cum realitate eſſentiæ, benè verò cum realitate exiſtentiæ.

67 Inſtabis primò. Homo verus non componit cum ſua veritate, nec homo affirmans cum ſua affirmatione, ergò neque eſſentia componet cum realitate exiſtentiæ, probatur conſequentia, nam exiſtentia nihil aliud eſt, quàm poſitio veritatis rei, & affirmatio illius, ergò &c.

68 Reſpondetur diſtinguendo antecedens, cum veritate, & affirmatione eſſentiæ, concedo antecedens, exiſtentiæ, nego antecedens, & conſequentiam; veritas enim conuertitur cum ente, & re, & ideò ſicut ens eſſentiale componit cum ente exiſtentiali, ità verum eſſentiale componit cum vero exiſtentiali.

69 Inſtabis ſecundò. Ens in potentia non componit cum ente in actu, ſed eſſentia eſt ens in potentia, exiſtentia verò eſt ens in actu, ergò eſſentia non componit cum exiſtentia. Maior patet, quod enim actu non eſt componere nequit, probatur Minor, ſiquidem exiſtentia eſt actus vltimus cuiuſcumque rei, ergò &c.

70 Reſpondetur diſtinguendo Maiorem, in potentia obiectiua, concedo Maiorem, ſubiectiua, nego Maiorem, & diſtincta eodem modo Minori, nego conſequentiam. Cum enim loquamur de eſſentia in ſtatu actualitatis non eſt in potentia obiectiua, ſed ſubiectiua, & ideò bene componere poteſt cum exiſtentia, ſicut hac ratione materia prima componit cum forma.

71 Inſtabis tertiò. Ex hac ſolutione euincitur materiam primam confundi cum eſſentia, conſequens eſt abſurdum, ergò & antecedens; ſequela Maioris probatur, quia materia prima eſt in potentia ſubiectiua, ergò &c.

72 Reſpondetur negando ſequelam Maioris, ad probationem, diſtinguo antecedens, ſimpliciter, concedo antecedens, ſecundum quid, nego antecedens, & conſequentiam. Eſſentia enim eſt in potentia ſubiectiua, non ſimpliciter, ità quod non ſit collocata in determinata ſpecie, ſed ſecundum quid, in ordine ſcilicet ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, cum aliundè ipſa ſit compoſita ex materia, & forma, materia autem eſt pura

Mm 2 po-

potentia subiectiua simpliciter, itâ quod sit ex se indifferens ad quamcumque speciem, & ideò est dispar ratio.

73 Arguitur 5. Si existentia esset realiter distincta ab essentia cuiuslibet rei creatæ sequeretur quod esset accidens respectu illius; consequens est absurdum, ergò & antecedens; Minor patet, aliàs nulla res creata esset ens per se, sequela Maioris probatur; nam esset extrà essentiam cuiuslibet rei creatæ, ergò esset accidens respectu illius.

74 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem, distinguo consequens, prædicamentale, nego consequentiam, prædicabile, concedo consequentiam. Ex eo ergò, quod existentia sit extrà essentiam cuiuslibet rei creatæ solùm sequitur, quod sit accidens prædicabile respectu illius, aliàs etiam subsistentia respectu naturæ esset accidens, & rationale respectu animalis, cùm tàm subsistentia sit extrà essentiam naturæ, quàm rationale extrà essentiam animalis.

75 Instabis. Prædicata transcendentia non sunt extrà essentiam illorum, de quibus dicuntur, sed existentia est prædicatum transcendens respectu cuiuscumque rei creatæ, ergò non est extrà essentiam illius, ac proindè non distinguitur realiter ab illius essentia; Maior patet, in vno, vero, & bono, quæ ex eò quòd sunt prædicata transcendentia non sunt extrà essentiam illorum, de quibus dicuntur: Minor verò probatur, nam existentia non limitatur ad determinatum prædicamentum, sed per omnia genera diuagatur, ergò &c.

76 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo antecedens, & aliàs de illis essentialiter non prædicatur, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam; licèt ergò existentia de omnibus generibus prædicetur, tamèn non prædicatur essentialiter, neque includitur in conceptu vltimo illarum, & ideò semper est accidens prædicabile, ad differentiam existentiæ diuinæ, quæ essentialitèr dicitur de essentia diuina.

77 Arguitur 6. Illa, quæ eadem generatione producuntur, & eadem corruptione pereunt sunt vnum, & idem, sed existentia, & essentia sunt huiusmodi, ergò sunt vnum, & idem. Maior patet, hac enim ratione Philosophus 4. Met. cap. 2. probat ens, & vnum esse idem. Minor verò probatur; nam dum generatur homo illius essentia, & existentia simul producuntur, similitèr quando perit homo simul pereunt essentia, & existentia illius.

77 Respondetur distinguendo Maiorem, si eodem modo attingantur, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Non enim omnia, quæ simùl producuntur, & intereunt sunt vnum, & idem, aliàs substantia esset eadem cum quantitate, & essentia cum suis passionibus, sed solùm ea, quæ eodem modo attinguntur, sicùt accidit in casu citato à Philosopho; vndè cum essentia sit terminus per se inspectus, existentia verò solùm per modum complementi illius, & illa primariò, ista secundariò inspiciatur, sequitur, quod non eodem modo attingantur, ac ideò quod realiter distinguantur.

78 Instabis. Etiam ipsa existentia habet suam propriam essentiam, sed huiusmodi essentia, & existentia eodem modo producitur, & perit, ergò non omnis essentia creata realiter distinguitur à propria existentia; probatur Minor, nam secùs daretur existentia existentiæ, & ità admitteretur processus infinitum, ergò &c.

79 Respondetur distinguendo Maiorem, & aliàs existentia habet rationem modi, & est id quo, concedo Maiorem, habet rationem rei, & est id quod, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguitur consequens eodem modo; Itaq; non implicat, quod quidditas alicuius modi creati sit sua existentia, benè verò implicat, quod essentia alicuius rei creatæ sit sua existentia, & ratio est, quià ex primo non sequeretur, quod aliquod existeret per se ipsum vt quod, sed solùm vt quo; benè verò sequeretur ex secundo. Sicut pari ratione D. Thomas p. p. q. 6. a. 3. ad 3. Et de Veritate q. 21. a. 5. ad vltimum docet, quod nulla creatura est bona per essentiam, tamèn ipsa bonitas per se

ipsam

ipsam est bona, & per suam essentiam, quià ipsa bonitas non est id, quod est bonum, sed id, quo aliquid est bonum.

80 Arguitur 7. Si existentia realiter distingueretur ab essentia sequeretur quod in qualibet generatione substantiali essent duo termini totales, & formales, consequens est falsum, ergò, & antecedens: Minor patet, nam generatio, sicut, & quælibet alia mutatio haber suam vnitatem à termino: Maior verò probatur, & primò quò ad primam partem, nam in qualibet generatione esset duplex compositum, vnum ex materia, & forma, aliud ex essentia, & existentia, ergò &c. Similiter quò ad secundam, quià esset forma substantialis, & existentia, ergò iam essent duo termini formales.

81 Respondetur distinguendo Maiorem, vnus primarius, & alter secundarius, concedo Maiorem, ambo primarij, & per se primò inspecti, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam; itaque vtique in qualibet generatione sunt duo termini totales, idest compositum ex essentia, & existentia, & compositum ex materia, & forma, & etiam duo termini formales, scilicet forma, & existentia; verùm non sunt ambo primarij, sed vnus primarius, alter secundarius, cum compositum ex materia, & forma sit terminus totalis primarius compositum verò ex essentia, & existentia sit terminus totalis secundarius, sicut forma est terminus formalis primarius, existentia autem formalis secundarius, neque hoc implicat, cum generatio, sicut, & quælibet alia mutatio specificetur à termino primario, non secundario.

82 Arguitur 8. Ideò essentia realiter distinguitur ab existentia, quià indifferens est ad existendum, & non existendum, sed hæc ratio est nulla, ergò realiter non distinguitur. Maior patet; sic enim Rosa hyeme non existit, verè autem existit: Minor autem probatur, nam etiam essentia indifferens est ad esse actu, & non esse actu, cum ab æterno in probabiliori sententia non sit, & in tempore sit, & tamèn ridiculum est dicere, essentiam distingui realiter à se ipsa, ergò illa ratio est nulla.

83 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, pro vt dicit aliquam entitatem positiuam, concedo Maiorem, pro vt dicit connexionem prædicatorum essentialium, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam; ad probationem respondetur eodem modò. Si enim essentia sumatur, vt dicit connexionem prædicatorum essentialium non est indifferens ad esse, & non esse actu; sic enim rosa, siuè ab æterno, siuè in tempore semper est substantia corporea, si autem sumatur vt dicit entitatem positiuam, sic essentia ab æterno indifferens est ad esse, & non esse actu, & ab illa in tempore distinguitur, vt ens negatiuum, seù in potentia ab ente positiuo, & in actu.

84 Arguitur nono. Si essentia, & existentia realiter inter se distinguerentur importarent relationem realem ad inuicem, sed hoc est falsum, ergò realiter non distinguuntur; probatur Minor, relatio realis est inter extrema realiter existentia, sed essentia vt distincta ab existentia non existit, ergò &c.

85 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo Maiorem, realis prædicamentalis, concedo Maiorem, transcendentalis, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguitur consequens eodem modo: sola ergò relatio prædicamentalis est inter extrema realiter existentia, non verò transcendentalis, sicut est illa, quæ reperitur inter essentiam, & existentiam, cum essentia respiciat existentiam tanquàm proprium perfectiuum.

86 Arguitur vltimò. Sicut non sunt multiplicanda entia sinè necessitate, ità neque distinctiones, sed nulla necessitas adest ponendi distinctionem realem inter essentiam, & existentiam in creatis, ergò non datur. Maior patet, Minor verò probatur. Ideò ponitur distinctio realis ad hoc vt essentia creatá distinguatur ab essentia diuina, sed ad hoc non est necessaria, ergò &c. Minor probatur. Posita distinctione rationis exclusiua inter essentiam, & existentiam sufficienter distinguitur ab essentia diuina, cum illa di-

distinguatur ab existentia solùm penès implicitum, & explicitum, & ità retinet rationem actus puri, quod non habet essentia creata, quæ eo ipso, quod distinguitur ab existentia penès excludens, & exclusum iam est in potentia ad illam, ergò &c.

87 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem ly ideò dicente causam inadæquatam, concedo Maiorem, adæquatam, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Non ergò præcisè ponitur distinctio realis ad hoc vt essentia creata differat à diuina, quia ad hoc sufficeret distinctio rationis exclusiua, vt benè probat argumentum, sed potior causa est, quia ad sunt duo fundamenta, & principia distinctionis realis, nempè realis receptio, & compositio: Vndè cum implicet poni causam exercitè sine effectu, indè stat, quod si existentia realiter recipitur in essentia creata, & cum illa componit, quod quoque ab illa realiter distinguatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum existentia sit perfectior essentia?

§. I.

Quibusdam premissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod sermo est de existentia comparatiuè ad essentiam, quam terminat, non verò ad alienam; Certum enim est essentiam Angeli nobiliorem esse existentia hominis, & essentiam hominis existentia equi. Similiter non est sermo de essentia in statu possibilitatis, cum non possit esse dubium quin sit imperfectior existentia, sed de illa in statu actualitatis, nec denique loquimur de Maiori perfectione secundùm quid, sed simpliciter.

2 Prima sententia sustinet essentiam esse perfectiorem existentia. Ità Scotus cum sua Schola in 4. dist. 1. q. 1. & ex nostris Soncinas 4. Met. q. 13. Ferrar. 1. contrà gent. cap. 28. Zumel 1. p. q. 5. art. 4. Cippullus 3. p. q. 17. art. 2. dub. 2. Marletta 1. p. q. 3. art. 4. cont. 14. Biescas 1. p. q. 3. art. 4. dub. 12.

3 Secunda sententia vult, quod in diuerso genere vna sit alia perfectior. Ità Io: à S. Tho. 1. p. q. 3. disp. 4. art. 4. & Io: Martinez 1. p. Met. cont. 7. art. 6. §. 4.

4 Tertia Sententia docet existentiam esse perfectiorem essentia. Ità Caiet. 1. p. q. 4. art. 2. Bannez 1. p. q. 3. art. 4. dubit. 3. Nauarette cont. 14. §. 5. 8. 9. Ledesma de perfect. diu. q. 12. Blasius à concep. in Met. disp. 6. q. 4. Brunus in Met. q. 12. art. 2.

§. II.

Veritas aperitur.

5 COnclusio. Existentia est simplicitèr perfectior essentia.

6 Probatur primò ex D. Dionysio cap. 5. de Diuinis Nominibus vbi ait: *nulla maior perfectio est nobis à Deo collata, quam esse*. Item D. Th. 1. p. q. 4. art. 1. ad 3. vbi inquit: *esse, seu existere est perfectissimum omnium, quæ sunt in creatura, quia comparatur ad omnia vt actus ad potentiam*. Sic q. 7. de potentia art. 2. ad 9. asserit: *esse est actualitas omnium actuum, & perfectio omnium perfectionum*: Pariter quæst. de Anima art. 6. docet, quod *esse est actus vltimus, qui participabilis est ab omnibus, ipsum tamen non participat aliquid*, ergò &c.

7 Respondent contrarij S. Doctores loqui de perfectione secundum quid, non verò simpliciter, sicut pari modo, subsistentia est actualitas naturæ in linea substantiæ, & tamèn non euincitur esse perfectiorem illa simpliciter, sed tantùm secundum quid.

8 Scd

8 Sed contrà primò. Nam D. Tho. in 1. dist. 27. q. 1. art. 2. ait: quod *esse simpliciter est nobilius, quàm intelligere si posset intelligi intelligere sinè esse*.

9 Contrà secundò. Quia finis vltimus, & vniuersalis omnium est simpliciter perfectior omnibus, quæ ad ipsum ordinantur, sed per D. Th. q. 7. de Potentia art. 2. ad 10. esse est finis vltimus primi agentis, & rerum, quia res producuntur vt sint, ergò sentit existentiam esse simplicitèr perfectiorem essentia.

10 Probatur secundò ratione. Existentia in suo conceptu formali nullam potentialitatem includit, sed est illimitata, & infinita, ergò est simpliciter perfectior essentia: probatur antecedens; nam si existentia clauderet aliquid potentialitatis, esset in potentia ad hoc, vt reciperet aliquid à se distinctum, à quo actuaretur, quod est falsum; vndè finitur, & limitatur solùm per hoc, quod recipiatur in alio.

11 Probatur tertiò. Actus est simpliciter perfectior potentia, sed existentia respectu essentiæ habet rationem actus, hæc verò respectu illius rationem potentiæ, ergò existentia &c. probatur Minor, essentia recipit existentiam, à qua vltimò completur, & terminatur, ergò &c.

12 Probatur quartò. Illud est meliùs simpliciter, cuius oppositum est simpliciter peius, vt ait Aristoteles in ethicis, sed non esse, seù non existere est simpliciter pessimum omnium per ipsum Philosophum, ergò esse est simpliciter perfectissimum omnium.

13 Probatur vltimò. Perfectissimæ caussæ perfectissimus effectus debet correspondere, sed esse est proprius effectus Dei, ergò esse erit perfectissimum omnium &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

14 Arguitur primò. Illud quod est completum, & directè ponitur in prædicamento, nobilius est eo, quod est incompletum, & ponitur solùm reductiuè, sed essentia est quid completum, & directè ponitur in prædicamento, non verò existentia, ergò essentia est nobilior existentia.

15 Respondetur distinguendo Maiorem; secundum quid, concedo Maiorem, simpliciter, nego Maiorem, & concessa Minori distinguitur consequens eodem modo. Itaque id, quod est completum, & directè ponitur in prædicamento, solùm secundum quid est nobilius eo, quod non est tale. Genus enim significat quodam totum constitutum in recta linea prædicamentali, differentia verò ponitur à latere tanquam quid incompletum, & tamèn certum est, quod differentia absolutè, & simpliciter est nobilior genere.

16 Instabis primò. Totum compositum est simpliciter, & absolutè nobilius suis partibus non alia ratione, nisi quia totum est quid completum directè ponibile in prædicamento, partes verò sunt incompletæ solùm reductiuè ponibiles in prædicamento, ergò si essentia est quid completum directè ponibile in prædicamento, existentia autem non, essentia erit simplicitèr perfectior existentia.

17 Respondetur negando consequentiam: Disparitas est quia partes reducuntur ad prædicamentum sui compositi, tanquam imperfectum ad perfectum, existentia autem reducitur ad prædicamentum suæ essentiæ tanquam actuale ad potentiale, & per modum termini vltimò complentis, non autem per modum partis; id autem, quod hoc pacto reducitur est simpliciter, & absolutè perfectiùs, secùs autem illud, quod reducitur primò modo.

18 Instabis secundò. Punctum ponitur reductiuè in prædicamento quantitatis per modum termini vltimò complentis, & tamèn est imperfectius ipsa quantitate, ergò licèt existentia ponatur in prædicamento suæ essentiæ reductiuè per modum termini vltimò complentis, tamèn erit imperfectior essentia.

19 Respondetur distinguendo antecedens, accipientis esse, concedo antecedens, dantis esse, nego antecedens, & consequentiam.

Pun-

Punctum ergò terminat vltimò quantitatem accipiendo esse ab illa, existentia verò vltimò terminat essentiam dando illi esse, id autem, quod dat esse alteri est eo perfectius, & ideò stat, quod existentia sit simpliciter perfectior essentia.

20 Instabis tertiò. Non minùs punctum est modus respectu quantitatis, quàm existentia respectu essentiæ, sed modus est simpliciter imperfectior re, ergò sicut punctum est simpliciter imperfectius quantitate, ità existentia respectu essentiæ.

21 Respondetur distinguendo Maiorem, & cætera non sunt paria, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam. Itaque disparitas est inter punctum, & existentiam, nam existentia est finis cuius gratia respectu essentiæ; non autem punctum respectu quantitatis, quando autem modus est finis cuius gratia respectu alicuius est simpliciter perfectior illo, cum finis sit potissimus inter omnia. In sententia autem sustinente existentiam esse rem argumentum non currit.

22 Arguitur secundò. Existentia ideò est simpliciter perfectior essentia, quia illa habet rationem actus, hæc verò potentiæ, sed hæc ratio est nulla, ergò &c. probatur Minor, accidens respectu substantiæ habet rationem actus, hæc verò rationem potentiæ, cum illud recipiat, sed hoc non obstante est simpliciter perfectior accidente, ergò &c.

23 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, secundùm quid, concedo Maiorem, simpliciter, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Accidens ergò habet rationem actus, & substantia rationem potentiæ solùm secundum quid, cum illud solùm secundariò respiciat, & potiùs det illi esse: Cæterùm essentia habet rationem potentiæ simpliciter respectu existentiæ, cum illam per se primò respiciat, & ab illa extrahatur de non esse ad esse.

24 Arguitur tertiò. Quod est communissimum est imperfectissimum, sed esse est communissimum, ergò est imperfectissimum; probatur Minor, nam esse de omnibus prædicatur, ergò &c. Maior verò patet; materia namque est imperfectissima, quia est communissima.

25 Respondetur distinguendo Maiorem, per modum potentiæ, concedo Maiorem, per modum actus, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam; Itaque existentia est vtique quid communissimum, sed per modum actus, essentia verò per modum potentiæ ideò existentia est perfectior essentia: Imò retorquetur argumentum, essentia enim est communior existentia, cum competat tàm existentibus, quàm non existentibus, quod non facit existentia.

26 Arguitur quartò. Intellectus est perfectior voluntate, sed intellectus abstrahit ab existentia, voluntas verò illam concernit, ergò essentia est perfectior existentia.

27 Respondetur distinguendo Maiorem, quatenùs abstrahit à conditionibus indiuiduantibus, concedo Maiorem, quatenùs abstrahit ab existentia præcisè, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Cum enim conditiones materiales, & indiuiduantes comitentur existentiam, ideò intellectus dicitur perfectior voluntate, quia abstrahit à conditionibus indiuiduantibus, non verò ab existentia, quæ dicit summam actualitatem: sic enim cognitio intuitiua perfectior est abstractiua, quia prima concernit existentiam, non verò secunda.

28 Arguitur vltimò. Prædicatum necessarium, & per se nobilius est prædicato contingenti, & per accidens. Sed essentia est prædicatum necessarium, & per se respectu subiecti, existentia verò est prædicatum contingens, & per accidens, ergò essentia est nobilior existentia.

29 Respondetur distinguendo Maiorem, loquendo de prædicato contingenti prædicamentali, concedo Maiorem, prædicabili, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque solùm prædicatum contingens prædicamentale est imperfectius prædicato necessario, non autem prædicatum contingens prædicabile,

bile; cùm autem existentia sit prædicatum contingens prædicabile, indè stat, quod non est imperfectior essentia, licèt hæc sit prædicatum necessarium, cum sit illa actualior, imò dicat vltimam actualitatem cuiuscumque rei, quæ in hoc maximam suam dignitatem indicat, quòd soli Deo est necessaria.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum existentia sit vnica, & indiuisibilis in toto composito?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod loquimur de composito constante ex partibus Physicis, & integralibus, & inquirimus, an sicut dantur essentiæ partiales componentes vnam totalem essentiam, ità dentur duæ existentiæ partiales componentes vnam totalem, an potiùs vnica sufficiat, quæ primò, & per se correspondeat toti composito, & mediatè eius partibus.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc defendunt omnes exteri sustinentes essentiam identificari cum existentia.

3 Secunda sententia est affirmatiua. Hanc docent omnes Thomistæ cum Angelico Præceptore; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio. In toto composito substantiali datur vnica, & indiuisibilis existentia, quæ actuat totum, & partes.

5 Probatur primò ex D. Tho. p. 1. q. 4. art. 5. ad 2. vbi ait: *idem est esse formæ, & materiæ, & hoc quidem est esse compositi;* Item in secundo cont. gent. cap. 4. dicit: *quod in compositis ex materia, & forma, nec materia, nec forma potest dici ipsum quod est, nec etiam ipsum esse, ipsa autem tota substantia est ipsum quod est;* denique pluribus in locis docet, quod esse pertinet ad naturam, & ad suppositum, seù hypostasim, ad naturam vt quo aliquid est, ad suppositum verò vt ad id quod est, ergò vera conclusio de mente S. D.

6 Probatur secundò ratione. Sicut vnicuique rei creatæ conuenit fieri, ità illi conuenit esse, sed fieri conuenit tantùm supposito, cum actiones sint suppositorum, tàm actiuè, quàm passiuè, ergò esse conuenit soli composito, ac ideò est vnicum &c.

7 Probatur vltimò. Si darentur plures existentiæ partiales vna deberet per aliam actuari, sed hoc est absurdum, ergò non dantur plures existentiæ &c. Maior patet, deberent enim constituere vnum ens per se: Minor verò probatur, nam existentia ex suo formali conceptu est vltimus actus, quo res vltimò constituitur extrà suas causas, ergò nequit actuari per aliam, aliàs vltimus actus non esset.

8 Respondent contrarij id verum esse de existentia totali, & completa, non verò partiali, & incompleta, hæc enim est vltima solùm secundum quid, & in suo genere, non verò simpliciter, & absolutè.

9 Sed contrà primò. Sicut forma est actus primus, ità existentia est actus vltimus, sed forma ità est actus primus, vt sit talis simpliciter, & absolutè, vndè non dantur plures formæ partiales in eodem composito, quarum vna actuetur per aliam, ergò similiter existentia, ità &c.

10 Contrà secundò. Repugnant plura prima etiam partialia, ergò etiam repugnabunt plura vltima etiam partialia, sicut enim primum est indiuisibile, ità vltimum in indiuisibili consistit.

§. III.

Argumenta soluuntur.

11 ARguitur primò ex D. Tho. primò de Cælo lect. 6. vbi ait, *quod esse rei potest dici per accidens quantum, ratione subiecti, quod habet determinatam quantitatem,* ergò per D. Tho. existentia potest esse diuisibilis in plures existentias partiales.

12 Respondetur explicando S. Thomam virtualiter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens,& consequentiam; existentia ergò solùm est quanta per accidens virtualiter, quatenùs correspondere potest diuersis partibus terminando illas in toto. Sicut animæ animalium perfectorum dicuntur quantæ per accidens solùm virtualitèr, quatenùs correspondent diuersis partibus vt tamèn stant sub perfecta organizatione, quæ in indiuisibili consistit.

13 Instabis. Existentia debet proportionari cum natura cujus est existentia, sed natura, quam terminat multotiès est diuisibilis, non solùm virtualiter, sed etiam formaliter, ergò etiam ipsa existentia &c. Maior patet. Minor quoque videtur clara in animalibus imperfectis, plantis,& rebus in animatis.

14 Respondetur distinguendo Maiorem in ratione termini, concedo Maiorem, in ratione entis, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Proportio ergò, quæ seruari debet inter naturam, & existentiam non debet esse in linea entis, ità quod si illa est diuisibilis, hæc quoque debeat esse talis, sed in ratione termini, sicut anima rationalis non proportionatur corpori in linea entis, sed tantùm in linea formæ actuando ipsum, & dando illi esse, vnde non sequitur, quod si corpus est materiale, & diuisibile anima quoque rationalis sit materialis, & diuisibilis.

15 Arguitur secundò. Eadem indiuisibilis actio, quæ producit essentiam producit quoque existentiam, sed actio productiua materiæ est distincta ab actione productiua formæ, ergò existentia quoque materiæ erit distincta ab existentia formæ: Minor patet, nam materia solùm producitur per creationem, forma verò si est materialis per generationem habetur: Maior verò probatur, omnis actio terminatur ad esse, cùm ad hoc tendat vt ponat rem, seù essentiam extrà causas, ergò &c.

16 Respondetur distinguendo Maiorem, si sit productiua essentiæ totalis, concedo Maiorem, essentiæ partialis, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam: Cum enim pars non producatur per se, & vt quod, sed per accidens, & vt quo, nimirùm propter totum ad hoc, vt illud statuatur in esse non est quod producatur simul cum existentia, eo maximè, quod in eodem instanti adest alia actio productiua suæ compartis, quæ secum de fert existentiam, per quam ambæ vltimò actuentur, & terminentur, vt patet, quando ex speciebus Sacramentalibus generantur vermes, actio enim creatiua materiæ comitatur aliam actionem eductiuam formæ vermis,ad quam sequitur existentia vermis, vndè existentia sequitur ad formam, non ad materiam.

17 Instabis si materia prima in tali casu existeret per existentiam formæ vermis productæ ab agente creato, sequeretur materiam produci, & conseruari, ab ipso agente creato, consequens est absurdum, ergò, & antecedens; sequela Maioris probatur, nam res ab eo efficitur, & conseruatur, à quo producitur existentia per quam existit, sed existentia formæ vermis fit, & conseruatur ab agente creato, ergò si materia prima &c. Maior probatur producere existentiam rei non est aliud, quàm rem extrà causas statuere, ergò &c.

18 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem, nego Maiorem, ad probationem distinguo antecedens completè, & vltimò, concedo antecedens, incompletè, & vialiter, nego antecedens, & consequentiam; producere ergò existentiam rei est rem statuere extrà causas vltimò, & complete, non verò vialiter, & in fieri, sic enim existentia supponit productam ipsam rem in sen-

sententia admittente distinctionem realem inter essentiam, & existentiam, quam sententiam defendit etiam Hurtado, cuius est argumentum.

19 Arguitur vltimò. Existentia rerum spiritualium est simplicior existentia rerum compositarum, ergò licèt illa sit indiuisibilis, hæc saltem erit diuisibilis. Antecedens patet, consequentia probatur, talis Maior simplicitas saluari nequit, nisi per hoc, quod illa sit indiuisibilis, & hæc diuisibilis, cum vtraque, vtpotè creata habeat constare ex genere, & differentia, ergò si &c.

20 Respondetur negando consequentiam; ad probationem, nego antecedens, ad probationem, nego consequentiam, & dico quod Maior simplicitas saluatur in hoc, quod illa est magis abstracta, & est indiuisibilis tàm formaliter, quàm virtualiter, quatenùs non correspondet diuersis partibus, ista verò est minùs abstracta à materia, & licèt formaliter sit indiuisibilis, tamèn virtualitèr est diuisibilis, quatenùs correspondet diuersis partibus compositi.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm accidens habeat existentiam distinctam ab existentia substantiæ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quod tantùm procedit in nostra sententia distinguente realiter essentiam ab existentia, certum enim est quod in sententia contrariorum, cum accidentia habeant essentiam distinctam ab essentia substantiæ, habent quoque suam propriam existentiam.

2 Prima sententia est negatiua. Hanc tuetur Soto 1. Phys. q.6. & Bannes 1.p.q.3. art. 4 dub. 5. fatetur se aliquando in illam inclinasse, licet oppositum sustineat.

3 Secunda sententia est affirmatiua. Hanc docent Caietanus de ente, & essentia cap. 7. & 1. p. q. 28. art. 2. Soncinas 7. Met. q. 5. Marletta 1. p.q.3. art. 4. conc. 12. Fland. 3. Met. q. 1. art. 5. Blasius à concep. in Met. disp. 6. q. 3. Scotus cum suis in 4. dist. 12. quæst. 1. vndè fit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 COnclusio accidens habet existentiam distinctam ab existentia substantię.

5 Probatur primò ex D. Tho. 1. p.q. 17. art. 2. vbi inquit: *quod nihil prohibet multiplicari in Christo, vel in vna hypostasi esse, quod pertinet ad formam accidentalem, aliud enim est esse, quo fortes est albus, & quo fortes est Musicus*, ergò supponit accidens habere suam propriam existentiam. Idem docet in primo distinctione 3. q. 2. art. 3. & dist. 20. q. 1. art. 1. & 4. cont. gent. cap. 14.

6 Probatur secundò ratione; Potentiæ adæquatæ, & inter se realiter distinctę exigunt actus adequatos, & inter se realiter distinctos, sed essentia substantiæ, & essentia accidentis sunt duæ potentiæ adæquatæ, & inter se realiter distinctæ, ergò exigunt distinctas existentias. Maior patet, nam potentiæ specificantur ab actibus; Minor quoque videtur clara, cum substantia, & accidens sint primò diuersa.

7 Probatur tertiò. Per hoc quod materia prima recipiat formam substantialem, ità illam sibi determinat, vt neque per potentiam Dei absolutam possit aliam materiam informare, ergò etiam per hoc quod essentia substantiæ recipiat suam existentiam, ità illam sibi determinat, vt nec de potentia Dei absoluta possit essentiam accidentis terminare, consequentia probatur, omnis enim potētia limitatāctū, quem recipit, ergò si &c.

 8 Pro-

8 Probatur quartò. Duæ essentiæ vnitæ in eadem existentia non faciunt vnum per accidens, sed vnum per se, sed substantia, simul cùm accidente non faciunt vnum per se, sed vnum per accidens, ergò non vniuntur in eadem existentia. Minor patet, sunt enim res diuersorum generum; Maior quoque videtur clara, nam Christus Dominus est vnum ens per se, licèt habeat duas naturas in infinitum distantes, scilicet diuinam, & humanam, quia vna existentia existit.

9 Probatur quintò. Idem actus non potest esse dependens, & non dependens à subiecto, sed existentia accidentis est actus dependens à subiecto, existentia substantiæ est actus independens à subiecto, ergò nequit accidens existere per existentiam substantiæ.

10 Probatur sextò. Accidentia in Sacramento Altaris habent existentiam distinctam ab existentia substantiæ, sed eadem est ratio de omnibus, ergò accidens habet propriam existentiam. Maior patet, nam existunt sinè vllo subiecto, ergò &c.

11 Probatur vltimò. Multa accidentia sunt ordinis supernaturalis, ergò debent habere esse ordinis supernaturalis; sed hoc non potest esse substantiæ, cum implicet substantia supernaturalis creata, ergò saltem accidentia supernaturalia habebunt existentiam propriam.

§. III.

Argumenta soluuntur.

12 Arguitur primò ex Phil. 7. Met. in principio, vbi inquit: *quod accidens dicitur entis ens*, ergò debet habere idem esse cum esse substantiæ, consequentia probatur, nam dicitur entis ens in ordine ad substantiam, à qua participat esse, ergò si &c.

13 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, esse distinctum, concedo antecedens, indistinctum, nego antecedens, & consequentiam. Accidens ergò dicitur esse entis ens, non quia conueniat in eodem esse cum substantia, sed quia est affectio substantiæ, & non est propter se ipsum, sed propter substantiam sinè qua saltem naturaliter existere nequit.

14 Arguitur secundò. Si accidentia existerent per existentiam distinctam realiter ab existentia substantiæ, sequeretur quod accidentia nullatenùs ordinarentur ad substantiam, consequens est absurdum, ergò & antecedens; Minor patet, nam accidentia sunt entis entia; sequela verò Maioris probatur, quia existentia est vltimus terminus essentiæ non relinquens ipsam in potentia ad vlteriorem actum, ergò si &c.

15 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem distinguo antecedens, ad vlteriorem actum intrinsecum, concedo antecedens, extrinsecum, nego antecedens, & consequentiam; de ratione ergò existentiæ accidentis ad differentiam existentiæ substantiæ est terminare vtique essentiam intrinsecè, & ipsam non relinquere in potentia ad vlteriorem actum intrinsecum, tamèn habet relinquere illam in potentia ad vlteriorem actum extrinsecum, & sic licèt essentia accidentis intrinsecè terminetur à propria existentia, tamèn adhuc poterit extrinsecè terminari ab existentia subiecti, in quo recipitur, & à quo sustentatur.

16 Instabis primò. Eò ipso quod essentia vnius substantiæ completæ intrinsecè sit terminata à propria existentia, neque extrinsecè potest terminari ab existentia alterius substantiæ completæ, ergò si essentia accidentis intrinsecè terminatur à propria existentia, neque extrinsecè terminari poterit ab existentia substantiæ, consequentia patet à paritate rationis. Antecedens verò probatur, nam sicut suppositum excludit alienam subsistentiam, ità quoque excludit alienam existentiam, ergò &c.

17 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quia existentia accidentis vtpotè proportionata illius essentiæ est debilis, & infirma, & ideò relinquit locum, vt accidens terminetur extrinsecè ab existentia substantiæ, à qua dependet. Cæterùm existentia substantiæ est in linea substantiali, & essendi per se, & ideò non relinquit locum

cum ipsi substantiæ, vt terminetur extrinsecè ab existentia alterius substantiæ.

18 Instabis secundò. Si materia prima haberet propriam existentiam, illa vtique esset debilis, & infirma, & tamèn non relinqueret illi locum, vt terminaretur ab existentia formæ, ergò similiter si accidens haberet propriam existentiam, licèt debilem, & infirmam, illi non relinqueret locum, ad hoc vt terminaretur ab existentia subiecti.

19 Respondetur distinguendo Maiorem, in linea substantiæ, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Disparitas est, quia materia prima est in linea substantiæ facientis vnum per se cum forma aduenIente, si autem haberet propriam existentiam, non posset facere vnum per se cum forma, cum ex pluribus entibus in actu resultet tantùm vnum per accidens; cæterùm accidens non facit vnum per se cum subiecto, & ideò materia prima nequit habere propriam existentiam, benè verò accidens.

20 Arguitur tertiò. Illius est esse, cuius est fieri, sed fieri est solius substantiæ, non accidentis, ergò accidens non habet distinctam existentiam. Maior patet, Minor quoque videtur clara, cum enim producitur substantia, producuntur simul accidentia tanquam illius affectiones, & proprietates, ergò &c.

21 Respondetur distinguendo Minorem, per se, concedo Minorem, per accidens, nego Minorem, & consequentiam. Itaque eodem modo aliqua sunt, quo fiunt, & è contrà, & ità substantia petit esse per se, eò quia fit per se, & tanquam terminus primarius, accidens verò quia petit esse in alio fit per accidens, & tanquàm terminus secundarius, vndè habebit quoque suum esse per accidens.

22 Instabis primò. Materia prima ideò non dicitur habere propriam existentiam, quia non creatur, sed simul cum forma concreatur, ergò si accidentia non producuntur, sed comproducuntur simul cum subiecto, non habent propriam existentiam.

23 Respondetur distinguendo antecedens, concreatur tanquam pars termini totalis, concedo antecedens, tanquam terminus secundarius, nego antecedens, & consequentiam. Materia ergò prima non dicitur habere propriam existentiam quia concreatur vtcumque, sed tanquam pars compositi substantialis, quod est terminus totalis primarius creationis. Cæterùm accidens est terminus secundarius, & non pars substantiæ, sed extraneum ab ipsa, & ideò potest habere propriam existentiam.

24 Instabis secundò, Ea, quæ simul eadem actione generantur, & corrumpuntur debent habere eandem existentiam, sed sicut materia simul cum forma creatur, & anihilatur, ità accidens simul cum subiecto generatur, & corrumpitur, ergò sicut materia non habet diuersam existentiam à forma, ità nec accidens à subiecto.

25 Respondetur distinguēdo Maiorem, & corrumpuntur per se, & primariò, concedo Maiorem, per accidens, & secundariò, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Accidens ergò non per se, & primariò generatur, & corrumpitur simul cum subiecto, sed tantùm per accidens, & tanquàm terminus secundarius, & ideò semper exposcit diuersam existentiam ab existentia subiecti. Vltrà quàm quod multa accidentia habent suas peculiares actiones, per quas producuntur, qualitas enim producitur per alterationem, & quantitas per augmentationem.

26 Arguitur vltimò. Si accidentia haberent existentiam distinctam à substantia, vel illa esset inhærentia actualis, vel aptitudinalis, neutrum est dicendum, ergò non habent existentiam distinctam. Probatur Minor quò ad primam partem, accidentia in Sacramento Altaris existunt, cum sint extrà suas causas, & tamèn nulli subiecto actu inhærent, ergò &c. Probatur quò ad secundam partem, inhærentia aptitudinalis est essentia accidentis, vt probat Caietanus cap. 7. de ente, & essentia, ergò non potest esse illius existentia.

27 Resp. quod nec est inhærentia actualis, nec aptitudinalis, sed sistentia illorum ex-

extrà omnes suas causas, nam sicut in substantia realiter distinguitur subsistentia ab existentia, & illa explicatur per hoc quod sit vltimum complementum in linea substantiæ, ista verò in linea entis, ità quoque in accidente inhærentas, & existentia realiter distinguuntur, & prima explicatur per hoc quod sit vltimum complementum in linea accidentis, secunda verò in linea entis.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm existentia Creaturarum à Deo Causetur?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, nos in præsenti quærere de existentia rerum generabilium, & corruptibilium, certum enim est existentiam rerum ingenerabilium, & incorruptibilium, sicut sunt Angeli, anima rationalis, & Cæli à solo Deo produci, sicut & ipsæ res à solo Deo causantur.

2 Aduertendum est secundò, quod etiam causæ secundæ dant esse simpliciter, & absolutè suis effectibus, ad hoc enim sufficit quod vniant essentiam effectus cum eius existentia, sicut ad hoc vt homo dicatur generare hominem, sufficit, quod vniat animam rationalem corpori, modò insurgit difficultas an possint dici vera, & propria causa existentiæ rerum, quas producunt, ità quod equus generando alium equum non solùm producat formam, sed existentiam ipsius, & hoc an in genere causæ efficientis principalis, vel tantùm instrumentalis.

3 Prima sententia tenet causas secundas principaliter producere existentiam. Ità Caietanus p. p. q. 8. a. 1. Ferrariensis 2. contrà Gent. cap. 21. Soncinas 5. Met. q. 5. Nazarius p. p. q. 3. a. 4. cont. 2. & ex exteris Scotus in 4. dist. 1.

4 Secunda sententia defendit causas secundas nec etiam instrumentaliter producere existentiam. Ità Bannez p. p. q. 3. a. 4. dub. 4.

5 Tertia sententia docet solum Deum esse causam principalem productiuam existentiæ, Creaturas verò concurrere in genere causæ instrumentalis. Ità Flandria 4. Met. q. 3. a. 6. Nauarette cont. 15. cont. 2. Ledesma de perfectionibus diuinis q. 1. a. 2. Io: à S. Tho. p. p. disp. 4. a. 3. not. 2. Blasius à Conceptione in Met. disp. 2. q. 2. & alij; vnde sit.

§. II.

Veritas aperitur.

6 COnclusio. Solus Deus est causa principalis productiua existentiæ, creaturæ verò tantùm instrumentalis.

7 Probatur primò ex D. Th. p. p. q. 8. a. 1. vbi ostendens quomodo Deus sit intimè præsens omnibus, inquit: *quod esse creatum est proprius effectus Dei*. Item q. 3. de Potentia art. 1. in Corpore ait: *nulla res dat esse nisi in quantùm est in ea participatio diuinæ virtutis*. Et art. 8. ad 19. subdit: *esse per creationem fieri dicitur in quantùm omnis causa secunda dans esse hoc habet in quantùm agit virtute primæ causæ creantis*. Sed etiam art. 4. eiusdem quæstionis in corpore ait: *impossibile est quod causa secunda ex propria virtute sit principium esse, in quantùm huiusmodi, hoc enim est proprium causæ primæ, nam ordo effectuum est secundùm ordinem causarum; primus autem effectus est ipsum esse, quia omnibus alijs effectibus præsupponitur, & ipsum non præsupponit aliquem alium effectum, & ideo oportet quod dare esse, in quantùm huiusmodi sit esse-*

effectus primæ causæ solius secundùm propriam virtutem, & quæcumque alia causa dans esse, hoc habet in quantùm est in ea virtus, & operatio primæ causæ, & non per propriam virtutem; sicut, & instrumentum efficit instrumentalem actionem, non per virtutem propriæ naturæ, sed per virtutem mouentis, sicut calor naturalis per virtutem animæ generat carnem viuam, per virtutem autem propriæ naturæ calefacit, & dissoluit, ergò de mente D. Th. vera Conclusio.

8 Respondent contrarij, quod quælibet creatura attingit quidem esse vt sic in virtute solius Dei, sed esse tale determinatum, & hypostaticum virtute propria, & ità intelligendum esse D. Th.

9 Sed contrà primò. Nam esse vt sic nec instrumentaliter potest attingi à creatura, aliàs posset assumi tanquam instrumentum ad creandum, ergò quandò D. Tho. dicit, quod creaturæ virtute diuina attingunt esse loquitur de esse determinato.

10 Contrà secundò. Quià ideò esse vt sic nequit attingi à creaturis virtute propria, quia dicit summam actualitatem, quæ excedit in perfectione quamtumque causam creatam, vtpotè potentialem, sed etiam esse determinatum illam importat, ergò neque istud virtute propria poterit à creatura attingi.

11 Contrà tertiò. Siquidem actiones non terminantur ad esse vt sic in actu signato, sed ad tale esse in actu exercito, ergò quandò dicitur creaturas producere esse in virtute Dei, sermo est de existentia exercita, & determinata.

12 Probatur secundò ratione. Quod est tale per essentiam, est causa propria illius, quod est tale per participationem, sed solus Deus habet esse per essentiam, omnia autem entia creata sunt talia per participationem, ergò solus Deus est causa propria existentiæ. Minor patet, Maior quoque videtur clara, sic enim ignis tantùm est causa omnium ignitorum; quià formam ignis ab ipso participant.

13 Probatur tertiò. Causa producens aliquid non in virtute propria, sed aliena, non producit illud in genere causæ principalis, sed instrumentalis, sed nullum agens creatum producit existentiam in virtute propria, sed solius Dei, ergò illam non producit principaliter, sed tantùm instrumentaliter. Probatur Minor primò, nulla causa secunda virtute propria producere potest effectum causæ primæ, sicut nulla causa instrumentalis virtute propria producere potest effectum principalis agentis, sed esse, cùm sit actualissimum est effectus causæ primæ, ergò nullum agens &c. Secundò probatur eadem Minor, nulla causa secunda virtute propria potest producere id, quod ipsam excedit in perfectione, causa enim principalis debet esse maioris, vel æqualis perfectionis cum effectu, sed existentia excedit in perfectione quamcumque causam secundam, cum in suo conceptu nullam dicat potentialitatem, sed vltimam actualitatem, ergò &c.

14 Probatur vltimò. In omnibus agentibus subordinatis, quod est vltimum in exequutione, & primum in intentione est proprius effectus primi agentis, sed in qualibet actione existētia est vltima in exequutione, & prima in intentione, ergò existentia est proprius &c. Minor patet, nam finis cuiusuis agentis est dare esse effectui; Maior quoque videtur clara, nā hac ratione forma Domus est effectus architecti, qui est primum agens respectu illius, quia est prima in intentione, & vltima in exequutione.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

15 ARguitur primò ex D. Th. q. 7. de Potentia art. 2. in Corpore vbi docet, *omnes causas conuenire in hoc, quod causant esse*. Sic p. p. q. 62 a. 1. ad 1. inquit: *primus effectus formæ est esse*. Et q. 12. art. 5. q. 90 art. 2. ad 1. q. 21. de Veritate art. 4. ad 6. fatetur *quod esse sequitur ad formam*. Denique 2. cont. Gent. cap. 54. asserit: *quod sicut se habet lux ad lucidum, & albedo ad album, ità forma ad esse*,

sed

sed lux dat esse lucidum, & albedo album in genere causæ principalis, ergò similiter forma dabit esse in genere causæ principalis.

16 Respondetur ad primum explicando S.D. in genere causæ effectiuæ instrumentalis, concedo antecedens, principalis, nego antecedens, & consequentiam. Ad alias auctoritates explico similiter D. Tho. in genere causæ materialis dispositiuæ, vel formalis determinatiuæ, concedo antecedens, in genere causæ effectiuæ principalis, nego antedens, & consequentiam. Esse ergò sequitur ad formam in genere causæ materialis dispositiuæ, quatenùs forma dando esse simpliciter materiæ, ipsam disponit ad hoc vt recipiat existentiam, & vltimum complementum in genere entis, vel sequitur ad formam in genere causæ formalis determinatiuæ, quatenùs forma determinat materiam ad receptionem existentiæ. Sicq; paritas de luce, & albedine tenet tantùm quò ad aliqua, non verò quò ad omnia.

17 Arguitur secundò. Quando equus generat alium equum verè producit illum in genere causæ principalis, ergò etiam in eodem genere producet existentiam illius, antecedens patet, consequentia verò probatur, nam generare est dare esse, quâ ratione generatio definitur quod sit transitus de non esse ad esse, ergò si quandò equus &c.

18 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, esse formæ, concedo antecedens, esse existentiæ, nego antecedens, & consequentiam. Vel subdistinguo antecedens, in genere causæ instrumentalis, concedo antecedens, principalis, nego antecedens. Sicut enim ad hoc vt homo dicatur generare hominem non est necessè, quod producat animam rationalem, sed sufficit quod vniat animam cum corpore; & sicut ad hoc vt Beata Virgo dicatur Mater Christi non est necessè, quod existentiam Christi attingat, ità ad hoc vt equus dicatur generare alium equum non erit necessè, quod eius existentiam producat, maximè in genere causæ principalis.

19 Instabis primò. Causa effectiua producens gradus inferiores eodem modo etiam producit superiorem, sed equus eo ipso, quod dat esse formæ alteri equo effectiuè producit gradus vegetandi, & sentiendi in genere causæ principalis, ergò etiam in eodem genere producit existentiam, quæ est gradus superior, probatur Maior, gradus superior continetur in inferioribus, ergò &c.

20 Respondetur distinguendo Maiorem, si contineatur in illis essentialiter, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque producens effectiuè gradus inferiores, producit quoque eodem modo gradum superiorem in illis essentialiter contentum; sicut est gradus sensitiuus respectu hominis, viuens respectu animalis, &c. cum essentialiter de illis prædicetur, non tamen eodem modo producit gradum superiorem solùm contingenter in illis contentum, cuiusmodi est existentia, quę accidentaliter prædicatur de quolibet gradu creato; vndè non sequitur, quod equus producendo formam equi producat etiam eius existentiam in genere causæ principalis.

21 Instabis secundò. Qui dat formam, dat etiam consequentia ad formam, sed existentia sequitur ad formam, licèt contingenter contineatur in gradibus inferioribus, ergò equus generando formam equi generabit quoque eius existentiam.

22 Respondetur distinguendo Maiorem, in genere causæ effectiuæ, concedo Maiorem, materialis, vel formalis, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Qui dat ergò formam, dat consequentia ad formam in genere causæ effectiuæ, non verò in genere causæ materialis dispositiuæ, vel formalis determinatiuæ; vndè cum existentia tantùm his duobus modis postremis sequatur ad formam, non verò primo modo, indè stat quod effectiuè non producitur ab equo generante formam equi, nisi instrumentaliter.

23 Instabis tertiò. D. Th. p. p. q. 104. art. 1. in Corpore ait: *si aliquod agens non est* can-

causa formæ inquantùm huiusmodi non erit per se causa esse, quod consequitur ad talem formam, ergò sentit quod si ab opposito causat formam, causet quoque eius existentiam.

24 Respondetur distinguendo cõsequens, si causet formam in quantùm huiusmodi, concedo consequentiam, secùs, nego consequentiam. Dicit ergò S. D. quod causans formam non quomodocumque, sed in quantùm huiusmodi causat quoque existentiam, quod non habet equus respectu alterius; subdit enim: *manifestum est, quod si aliqua duo sint eiusdem speciei, vnum non potest esse per se causa formæ alterius in quantùm est talis forma, quiá sic esset causa propriæ formæ, cum sit eadem ratio vtriusque, sed potest esse causa huiusmodi formæ secundùm quod est in materia, idest quod hæc materia acquirat hanc formam, & hoc est esse causa secundùm fieri; sicut cum homo generat hominem, & ignis ignem.*

25 Instabis quartò. D. Tho. in eodem corpore subdit: *quod ad minùs agentia æquiuoca, vt sunt corpora cælestia possunt esse causa formæ secundum rationem talis formæ, & non solùm secundùm quod acquiritur in hac materia*, ergò ad minùs ista poterunt esse causa principalis existentiæ.

26 Respondetur explicando S. D. inadæquatè, concedo antecedens, adæquatè, nego antecedens, & consequentiam. Non sunt ergò corpora Cælestia causa formæ secundùm rationem talis formæ adæquatè, ità quod principaliter attingant omnes gradus, & præcipuè rationem entis, sed tantùm inadæquatè; attingere enim rationem entis est proprium Dei, vndè creatio, quæ habet pro termino ens, vt ens, soli Deo attribuitur, & ideò non sequitur quod Corpora Cælestia possint esse causa principalis existentiæ. Imò ibidem D. Tho. vniuersaliter de omnibus creaturis inquit: *Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aer ad Solem illuminantem*, certum autem est, quod aer non est radix luminis, sed totam lucem participat à Sole; vndè neque creatura erit radix existentiæ, sed totum esse participabit à Deo.

27 Instabis quintò. Eodem modo causæ se habent ad productionem, ac ad conseruationem, sed D. Th. ibidem art. 2. ostendit quod non solùm Deus, sed etiam creaturæ conseruant esse, & nedùm indirectè, verùm etiam directè, ergò etiam illud producent; probatur Maior, non minùs enim requiritur ad conseruationem, quàm ad productionem, cum conseruatio sit continuata productio, ergò &c.

28 Respondetur explicando D. Tho. in genere causæ instrumentalis, concedo Minorem, principalis, nego Minorem, & consequentiam. Creaturæ ergò conseruant esse solùm in genere causæ instrumentalis, & ideò non sequitur, quod producant esse in genere causæ principalis.

29 Arguitur vltimò. Si propter aliquam rationem nulla creatura posset principaliter produce e existentiam maximè quià hæc est summa actualitas, sed hæc ratio est nulla, ergò &c. Probatur Minor, etiam actio est summa actualitas agentis, & tamèn illam principaliter producit, ergò ex eo quod &c.

30 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, In linea operandi, concedo Maiorem, in linea essendi, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; actio enim non est vltima actualitas in linea essendi, sed in linea operandi supponens suum principium quod operatiuum, vndè potest principaliter produci ab agente creato. Existentia autem est vltima actualitas in linea essendi, vndè solum à primo ente, quod est Deus potest principaliter produci.

31 Respondetur secundò, quod actio non est effectus qui, sed quo, & est simul causalitas agentis constituens illud in actu secundo ad hoc vt producat effectum qui; vndè non implicat quod producatur principaliter ab agente creato; existentia autem est effectus qui supponens æqualem actualitatem, vel maiorem in causa principali, & ideò repugnat, quod principaliter producatur nisi à Deo.

32 Respondetur 3. quod quælibet actio potest dupliciter considerari, vel vt actus

secundus, & vitalis est, vel sub ratione existentis, primo modo principaliter producitur ab agente creato, secundo verò modo solùm instrumentaliter, neque hoc implicat, nam corpora cælestia producunt principaliter corpora sublunaria secundùm gradum corporis, sed secundùm gradum vitæ solùm instrumentaliter, & quatenùs intelligentijs motricibus subordinantur.

33 PRO CORONIDE QVÆSTIONIS QVÆRES PRIMO. An existentia sit modus, vel Res?

34 Respondetur quod est modus.

35 Probatur primò. Ità se habet existentia in ordine ad essentiam, vt nequale potentia Dei absoluta possit existere sinè illa, sed hoc est propriū modi, ergò existentia est modus.

36 Probatur secundò. Terminus nequit esse res, sed modus, sed existentia est terminus essentiæ, ergò &c. Maior patet, nam hac ratione punctum non est res, sed modus, quia est vltimus terminus lineæ.

37 Probatur tertiò. Quidditas modi in eo posita est, vt sit actuale exercitium rei, cuius est modus, sed existentia est actuale exercitium constituendi rem extrà causas, ergò existentia est modus; Minor patet, Maior quoque videtur clara; sic enim sessio, & vnio dicuntur modi, quia sunt actuale exercitium sedendi, aut vnendi.

38 Arguitùr primò ex D. Tho. op. 48. tract. 2. cap. 2. vbi ait: *quod in creaturis esse essentiæ, & esse actualis existentiæ differunt realiter vt duæ diversæ res*, ergò per D. Tho. existentia est res, non modus.

39 Respondetur explicando S. D. quatenùs res dicitur à reor reris, concedo antecedens, vt dicit ratum, & firmum, nego antecedens, & consequentiam. Intelligit ergò D. Tho. existentiam esse rem; quatenùs res communissimè sumitur, & vt comprehendit tàm rationem completam, quàm incompletam, & quatenùs est passio entis in communi, quo pacto etiam se extendit ad modum; vltrà quàm quod est dubium an illud op. sit D. Tho. nec nè.

40 Arguitur secundò. Existentia substantialis dat esse simpliciter, sed modus nequit dare esse simpliciter, ergò existentia non est modus.

41 Respondetur negando Minorem, dare enim esse simpliciter non est rei, vel modi, sed substantiæ, vel accidentis; vndè cum existentia substantialis sit vera substantia, & non accidens dat esse simpliciter, non verò secundùm quid.

42 Arguitur tertiò. Existentia est perfectior essentia, sed si esset modus hoc esset falsum, ergò &c. Maior patet, Minor probatur, siquidem modus est imperfectior re modificata.

43 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo antecedens, si non sit finis illius, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Finis enim perfectior est ijs, quæ sunt ad finem; vndè cum existentia sit finis respectu essentiæ, indè stat quod est illa perfectior, etiam si sit modus. In sententia autem sustinente essentiam esse perfectiorem, argumentum non currit.

44 Arguitur quartò. Si existentia esset modus, Verbum Diuinum non potuisset supplere existentiam creatam respectu humanitatis Christi, consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur, nam Verbum Diuinum nequit supplere rationem modi, aut partis, cum dicant imperfectionem, ergò si &c.

45 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego antecedens, ad probationem, nego consequentiam. Hoc enim non facit Verbum Diuinum per existentiam creatam, & ratione modi, aut partis, sed per existentiam diuinam, quæ cum sit infinita, habet summam perfectionem, vndè imperfectio tota se tenet ex parte existentiæ creatæ.

46 Arguitur vltimò. Existentia dicit summam perfectionem, sed modus dicit magnam imperfectionem, ergò existentia non est modus; Minor patet, Maior quoque videtur clara, nam est vltima actualitas rei.

47 Respondetur distinguendo Minorem, quando non est finis, concedo Minorem, secùs, nego Minorem, & consequentiam. Modus

dus ergò quandò habet rationem finis dicit summam perfectionem: vndè cum existentia sit finis, nam vnumquodque tendit ad dandum esse effectui, indè non repugnat esse modum.

48 QVÆRES SECVNDO. An essentia possit diuinitùs conseruari sinè existentia?

49 Respondetur negatiuè.

50 Probatur. Ea, quæ implicant contradictionem neque diuinitùs possunt fieri, sed implicat contradictionem essentiam conseruari sinè existentia, ergò neque diuinitus id fieri potest; probatur Minor, quia aliàs essentia exercitè esset, & non esset ens in actu, esset vt supponitur, non esset, quia non haberet neque propriam, neq; alienam existentiam. Similiter esset adæquatè extrà nihil, & non esset, esset, vt dicunt Contrarij, non esset, quià non haberet existentiam, de cuius ratione est ponere rem adæquatè, & vltimò extrà omnes causas, ergò &c.

51 Arguitur primò. Magis dependet accidens à subiecto, quàm natura ab existentia, sed Deus conseruat accidens sinè subiecto, vt patet in Sacramento Altaris, ergò similiter conseruare potest essentiam sinè existentia.

52 Respondetur negandò Maiorem: Nam Maiorem connexionem habet essentia cum existentia quantùm ad esse extrà omnes causas, cum iste sit effectus formalis existentiæ, quàm accidens cum subiecto, quia cum habeat distinctam existentiam ab illo, potest saltem diuinitùs conseruari sinè subiecto.

53 Arguitur secundò. Potest Deus conseruare subiectum sinè propria passione, ergò similiter potest conseruare essentiam sinè existentia, antecedens patet; nam prius potest conseruari sinè posteriori; consequentia verò probatur, propria passio Maiorem connexionem habet cum suo subiecto, quàm existentia cum essentia, cum illa oritur à subiecto, ista verò creetur à Deo, ergò si &c.

54 Respondetur negando consequentiam; ad probationem, nego antecedens, ad probationem, nego consequentiam. Semper enim saluatur Maior connexio, & dependentia in essentia respectu existentiæ, quàm in subiecto respectu suarum passionum, quia essentia habet esse extrà suas causas ab existentia, non autem subiectum à passionibus: vndè sicut hac ratione materia prima neq; diuinitùs potest existere sinè forma, nec corpus esse album absque albedine, ità neque essentia potest existere absque existentia.

Oo QÆSTIO

QVÆSTIO QVINTADECIMA
DE DISTINCTIONIBVS.

CVm vnum, & multa diuidant ens, postquàm de ente, eiusque proprietatibus, subsistentia, ac existentia tractauimus, de multis, quæ ex distinctione resultant remanet peragendum. Distinctio ergò nihil aliud est, quàm negatio, seù carentia identitatis inter duo extrema, sicut enim diuisio vnitati, ità distinctio opponitur identitati. Vndè de materiali importat entitatem, de formali verò negationem identitatis. Vt autem plena notitia illius habeatur, sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm admittenda sit distinctio formalis ex natura rei?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quod distinctio inter aliqua oritur, vel ex oppositione, vel ex limitatione. Exemplum primi est in diuinis, vbi sola oppositio relatiua causat distinctionem realem inter personas. Exemplum secundi est in creatis, vbi homo, & Leo distinguuntur realiter, eò quod limitati sunt ad certam, & determinatam naturam. Similiter Creaturæ distinguuntur à Deo, quia sunt finitæ, & limitatæ in se ipsis, & pari modo Deus distinguitur à creaturis, quia habet esse purissimum, perfectissimum, & actualissimum excludens omnem imperfectionem.

2 Aduertendum est secundò, quod distinctio communissimè accepta duplex est, realis vna, rationis alia. Distinctio realis est illa, quæ datur antè operationem intellectus. Distinctio rationis est illa, quæ habetur per operationem intellectus; huiusmodi autem diuisionis ea ratio est, primò, quia ens adæquatè diuiditur in reale, & rationis, ergò etiam distinctio, cum vnum, & multa sint passiones entis. Secundò, quia præcedere, & non præcedere operationem intellectus opponuntur contradictoriè, vndè si distinctio ipsam præcedet erit realis, si verò ipsam non præcedet, erit distinctio rationis.

3 Aduertendum est tertiò, quod tàm distinctio realis, quàm rationis multiplex est. Primò namque distinctio realis diuiditur in realem entitatiuam, realem formalem, & realem modalem. Distinctio realis entitatiua est illa, quæ versatur inter duas res, vt inter Petrum, & Paulum. Secunda est illa, quæ reperitur inter duas formalitates, sicùt in sententia multorum reperitur inter actionem, & passionem. Tertia est illa, quæ intercedit inter rem, & eius modum, vt est inter Petrum, & eius sessionem. Similiter distinctio realis alia est analoga, sicut est illa, quæ reperitur inter Deum, & creaturas, inter substantiam, & accidens, alia realis vniuoca, & hæc est triplex, Generica vna, quæ reperitur inter aliqua, quæ genere differunt, vt inter plantam, & animal; specifica

ca alia, quæ reperitur inter aliqua, quæ specie differunt, vt inter Asinum, & Bouem, & tandem numerica alia, quæ reperitur inter aliqua quæ numero differunt, vt inter Petrum, & Paulum. Diuiditur etiam distinctio realis in positiuam, & negatiuam ex parte extremorum. Positiua est illa, quæ versatur inter entia positiua, vt inter hominē, & equum. Negatiua est illa, quæ versatur inter negationem, & formam, vt inter tenebras, & lucem, vel inter duas negationes, vt inter tenebras, & cæcitatem. Tandem diuiditur in adæquatam, & inadæquatam. Prima est illa, quæ datur inter plura, quorum vnum à parte rei, nec est, nec includit aliud, vt Sortes, & Socrates. Secunda est illa, quæ datur inter plura, quorum vnum à parte rei includit aliud, & illi addit aliquid aliud, vt duo, & tria, homo, & animal, quæ distinctio etiam vocatur penès includens, & inclusum. Distinctio quoque rationis adęquatè diuiditur in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionem rationis ratiocinatæ. Prima est illa, quæ fit sinè fundamento in re, sicut quando Petrus distingnitur à se ipso. Secunda est illa, quæ fit cum fundamento in re. Et hæc triplex est. Vna penès excludens, & exclusum, qualis reperitur inter gradus Metaphysicos, & inter ea, quæ non sunt de mutuo conceptu. Secunda penes implicitum, & explicitum, qualis est inter ea, quæ licèt sint de mutuo conceptu, tamèn vnum non explicat aliud, & hæc reperitur inter ens, & eius modos, & inter attributa Diuina. Tertia verò penès clarum, & obscurum, qualis reperitur inter ea, quorum vnum clarè explicat id, quod aliud obscurè continet, & hæc datur inter definitionem, & definitum.

4 Aduertendum est quartò. Quod præter distinctionem realem, & rationis, aliæ tres assignantur in scholis de quibus difficultas est an sint admittendæ, nec nè. Tales autem distinctiones sunt, distinctio formalis ex natura rei, cuius inuentor est Scotus in primo dist. 2. q. 7. distinctio virtualis, seù formalis eminentialis, quam ponit Caietanus 1. p. q. 29. art. 1. & tandem distinctio fundamentalis, quæ est in re inchoatiuè, & in radice, & hanc statuit Capreolus in primo dist. 8. q. 4. quamuis hæ duæ postremæ testibus Flandria, & Iauello solo nomine differant. Distinctio formalis ex natura rei est illa, quæ versatur inter aliqua duo, quæ licet sint realiter identificata, tamèn habent diuersas formalitates, quarum vna non est de conceptu alterius; & hanc Scotus dicit esse inter gradus Metaphysicos, inter diuina attributa, & inter relationes, & essentiam diuinam. Distinctio virtualis, seù formalis eminentialis est illa, quæ reperitur in aliqua forma eminenti, quæ equiualet pluribus inter se realiter distinctis, sicut vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum distinguuntur virtualiter, seù formaliter eminentialiter in anima rationali, ex eò quod eminenter continet omnes istos gradus: distinctio fundamentalis est illa, quæ reperitur inter aliqua duo, quæ adunantur in vna, & eadem entitate præbente intellectui fundamentum, vt illa actu distinguat, vel propter eius eminentiam, & amplitudinem, vel quia est radix plurium, & hoc modo calefacere, & illuminare in Sole fundamentaliter distinguuntur, & quidem vtraque distinctio potiori iure reperitur in Deo, vbi adest summa eminentia.

5 Aduertendum est vltimò, quòd in hoc differt distinctio formalis ex natura rei Scotica à distinctione virtuali, & fundamentali Thomistica, quod ea, quæ distinguuntur formaliter ex natùra rei, distinguuntur actu antè quamcumque considerationem intellectus, ità quod vnum prædicatum sit realiter ab alio distinctum nullo intellectu cogitante; è contrà verò, quæ distinguuntur virtualiter, seù fundamentaliter non sunt actu distincta antè considerationem intellectus, sed solùm habent fundamentum à parte rei, ad hoc vt intellectus considerando vnum, & non aliud prædicatum causet distinctionem inter illa. Ex quo patet quanta diuersitas reperiatur inter distinctionem formalem ex natura rei, & inter distinctionem virtualem, & formalem eminentialem, seù fundamentalem. Quærimus ergò in præsenti

lenti an admittenda sit huiusmodi distinctio formalis ex natura rei.

6 Prima sententia sustinet dari hanc distinctionem. Ità Scotus cum sua Schola in 1. dist. 2. q. 7. licèt aliqui Scotistæ contendant non esse actualem ante opus intellectus.

7 Secunda sententia illam reijcit à Scholis. Ità communiter Thomistæ cum Angelico Doctore cap. 3. de ente, & essentia, & ex exteris Alensis, Henricus, & omnes Patres Societatis; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

8 Conclusio, Nullatenùs admittenda est distinctio formalis ex natura rei Scotica.

9 Probatur primò. Ens in communi sumptum adæquatè diuiditur in ens reale, & rationis, ergò etiam distinctio in communi adæquatè diuidi debet in distinctionem realem, & rationis; sed stante primo non datur aliquod ens medium inter ens reale, & ens rationis, ergò etiam stante secundo nequit dari distinctio media inter distinctionem realem, & rationis; antecedens patet, & est Philosophi 4. Met. in principio, vbi dicit: *omne ens vel est in re, vel in sola apprehensione* certum autem est, quod ens in re, est ens reale, & ens in sola apprehensione est ens rationis; consequentia verò probatur, nam distinctio est passio entis, & consequenter proportionari debet cum natura illius, ergò si ens &c.

10 Respondent Scotistæ, & præcipuè Merinero, & Pontius, quod sicut datur distinctio formalis media inter distinctionem realem, & rationis, ità datur ens medium, nimirùm formalitas, quæ est aliquod incompletum inter ens reale, & rationis, & sic distinctio, quæ est inter duas formalitates erit distinctio formalis, non realis, quia non est inter duo entia completa, nec rationis, quia datur actu antè operationem intellectus.

11 Sed contrà primò. Quæcumque formalitas constitutiua entis realis quamuis sit incompleta est ens reale propriè pro vt ens reale opponitur enti rationis, ergò non datur formalitas media inter ens reale, & ens rationis, ac ideò neque distinctio, quæ si est inter duas formalitates reales actu ante operationem intellectus, realis esse debet; antecedens probatur, materia, & forma sunt entia incompleta, & tamèn sunt entia realia propriè, pro vt ens reale opponitur enti rationis, ergò quæcumque &c.

12 Contrà secundò. Nam ideò illa distinctio non est propriè realis, sed media, quia non intercedit inter res completas, sed inter formalitates incompletas, sed distinctio intercedens inter formalitates incompletas, si antecedat opus intellectus debet esse realis propriè, & simpliciter, ergò non datur ista distinctio media. Minor probatur, distinctio, quæ est inter duas differentias indiuiduales, est distinctio formalitatum, cum differentiæ indiuiduales non sint propriè res, sed formalitates determinantes naturam, & tamèn quia talis distinctio est actu antè operationem intellectus propriè, & simpliciter realis est, ergò &c.

13 Contrà tertiò. Sicut formalitas non est ens completum, ità nec modus, sed distinctio quæ est inter rem, & modum est distinctio realis propriè, & simpliciter, ergò similiter distinctio, quæ est inter duas formalitates erit distinctio realis propriè.

14 Probatur secundò. Distinctio actualis antè opus intellectus fundat relationem realem diuersitatis, sed distinctio formalis ex natura rei non potest fundare relationem realem diuersitatis, ergò non datur hæc distinctio formalis ex natura rei, quæ sit actualis antè opus intellectus; Maior patet, nam quæ ad inuicem distinguuntur, ad inuicem referuntur relatione diuersitatis, aliàs essent; & non essent distincta; essent vt supponitur, non essent, quia non essent diuersa; probatur Minor, eiusdem ad se ipsum non datur relatio realis diuersitatis, sed distinctio formalis ex natura rei ponitur à Scotistis inter ea, quæ realiter identificantur, ergò vera Minor &c.

15 Res-

15 Respondet Suarez 7. Met. sect. 1. num. 3. non esse necesse, quod ad distinctionem actualem sequatur relatio realis, quia Deus distinguitur re vera à creatura, & tamèn non refertur ad ipsam; & scibile distinguitur à scientia, & tamèn non refertur ad illam.

16 Sed contrà primò. Nam sicut vnitas fundat relationem identitatis, ità numerus fundat relationem realem diuersitatis, sed vbi est distinctio est numerus, ergò vbi est distinctio erit relatio diuersitatis.

17 Contrà secundò. Quia licet Deus non referatur ad creaturas, tamèn creaturæ realiter referuntur ad Deum, & licèt scibile non referatur ad scientiam, tamèn scientia realiter refertur ad scibile, ergò semper inter ea, quæ actu distinguuntur à parte rei datur relatio realis diuersitatis, vel mutua, vel non mutua.

18 Probatur tertiò. Distinctio formalis ex natura rei ponitur à Scoto ad tollendam identitatem conceptus, seù rationis formalis, sed ad hoc non requiritur distinctio actualis antè opus intellectus, sed sufficit virtualis, seù fundamentalis, ergò non datur distinctio formalis ex natura rei. Minor probatur, ad hoc vt aliquid non sit aliud formaliter sufficit, quod essentialiter non sit illud, sed ad hoc sufficit distinctio virtualis, seù fundamentalis, ergò ad hoc non requiritur distinctio actualis antè opus intellectus; Minor probatur, vnum non excurrere ad identificandum sibi essentialiter aliud est de genere mali, sed ad malum sufficit quicunque defectus, ergò sola distinctio virtualis sufficit ad hoc vt vnum non sit essentialiter aliud.

19 Probatur quartò. Tunc datur actualis distinctio, quandò ponitur oppositum vnitatis, seù identitatis, sed distinctio formalis ex natura rei non ponit actualiter oppositum vnitatis, seù identitatis, ergò non datur huiusmodi distinctio; Minor probatur, distinctio formalis ex natura rei est inter ea, quæ realiter identificantur, ergò non ponit actualiter oppositum vnitatis, seù identitatis.

20 Respondent contrarij distinctionem formalem ex natura rei ponere oppositum vnitatis, seù identitatis formalis, non verò entitatiuæ, quod non repugnat, nam etiam D. Thomas 1. p. q. 11. art. 1. ad 2. inquit: *nihil prohibet id, quod vno modo est diuisum, esse alio modo indiuisum*.

21 Sed contrà primò. Nam si poneret actu à parte rei oppositum identitatis formalis, poneret etiam oppositum identitatis entitatiuæ, sed hoc non admittit Scotus, ergò neque primum. Probatur Maior, illæ formalitates, quæ inter se distinguuntur entitates sunt, cum non sint nihil, ergò si distinguuntur formaliter, distinguuntur quoque entitatiuè.

22 Contrà secundò. Quia implicat quod à parte rei sit identitas realis, & distinctio realis absolutè, & simpliciter, sed hoc verificaretur, si daretur huiusmodi distinctio formalis ex natura rei, ergò huiusmodi distinctio non datur. Probatur Minor, nam talis distinctio est actualis à parte rei, ergò est realis absolutè, & simpliciter.

23 Probatur quintò ad hominem contrà Scotistas nobiscum Scientiam mediam è medio tollentes; nam ideò non datur scientia media, quia omnis cognitio Diuina, vel antecedit, vel subsequitur Diuinum decretum, & si antecedit est scientia simplicis intelligentiæ, si verò subsequitur est Scientia visionis, sed etiam omnis distinctio, vel antecedit, vel subsequitur opus intellectus, & si antecedit est realis, si verò subsequitur est rationis, ergò Scotistæ vel tenentur negare distinctionem mediam, vel cum Iesuitis scientiam mediam tueri; consequentia probatur, nam sicut à parte rei dantur entitates, & formalitates, ità respectu scientiæ Diuinæ dantur futura absoluta, & conditionata, sed hoc non obstante non datur scientia media pro futuris conditionatis, sed attinguntur à scientia visionis, ergò neque debet dari distinctio media pro formalitatibus Scoti, sed potiùs erit distinctio realis simpliciter, & absolutè. Dicamus ergò quod Scotica Schola euitare cupiens Carybdim scientiæ mediæ, incidit posteà in Scillam di-

distinctionis mediæ.

24 Probatur vltimò. Ideò ponitur distinctio formalis ex natura rei, quæ sit actualis, ne actu verificentur à parte rei duo contradictoria, sed ad hoc non est necesse illam ponere, ergò non datur. Probatur Minor, nam sola distinctio rationis sufficit ad verificanda contradictoria à parte rei, ergò ad hoc non est necessaria distinctio formalis ex natura rei. Antecedens probatur, etiam in sententia Scoti indumentum, & vestis non distinguuntur formaliter ex natura rei, & tamen de ipsis propter solam distinctionem rationis verificantur duo contradictoria, scilicet quod indumentum sit nomen neutrum, vestis verò fæmininum, ergò sola distinctio rationis sufficit ad verificanda contradictoria: similiter dum dico Petrus est Petrus, Petrus per modum subiecti non est Petrus per modum prædicati, & tamen certum est, quod sola ratione ratiocinante distinguuntur, ergò sola distinctio rationis sufficit ad verificanda contradictoria à parte rei, & hæc est doctrina Diui Thomæ pluribus in locis, præcipuè quæst. 7. de potentia art. 1. ad 5. vbi ait: *quod de eodem, quod est idem re, & differens ratione nihil prohibet contradictoria prædicari, vt dicit Philosophus 3. Physicorum*, vt patet in puncto, quod idem re differens sola ratione est principium, & finis, & secundùm quod est principium non est finis, & è contra. Huius rationem assignat Soncinas 4. Met. q. 30. & primò, quia vbi est distinctio rationis est aliqua oppositio, sed omnis oppositio contradictionem includit, ergò sola distinctio rationis sufficit ad verificanda contradictoria. Secundò, quia vbi est distinctio rationis, est alietas rationum formalium, ergò sufficiens fundamentum ad verificanda contradictoria; tertiò, quia in synonymis propter solam distinctionem rationis ratiocinantis aliquid affirmatur de vno, quod negatur de alio, vt patet de indumento, & veste, ergò multò magis in non synonymis propter distinctionem rationis ratiocinatæ affirmabitur aliquid de vno, quod negabitur de alio, vt de facto constat in vero, & bono, in ente, & substantia, in essentia Diuina, & relationibus, in Iustitia, & Misericordia, & similibus.

§. III.

Argumenta soluuntur.

25 Arguitur primò. Si repugnaret distinctio formalis ex natura rei maximè quia datur à parte rei identitas realis entitatiua, sed hæc ratio est nulla, ergò datur huiusmodi distinctio. Maior patet, Minor probatur, stat distinctio formalis ex natura rei cum identitate reali entitatiua, ergò hæc ratio est nulla; Antecedens probatur, cum distinctione reali entitatiua, stat identitas formalis, ergò similiter cum distinctione formali ex natura rei stabit identitas realis entitatiua. Antecedens patet, nam Petrus, & Paulus distinguuntur realiter entitatiuè, & tamen sunt vnum formaliter, cum non habeant diuersa principia formalia; consequentia verò probatur, non enim minùs opponitur identitas distinctioni, quam distinctio identitati, ergò si &c.

26 Respondetur negando Minorem, ad probationem nego antecedens, ad probationem distinguo antecedens, negatiua, concedo antecedens, positiua, nego antecedens, & consequentiam, ad probationem respondetur eodem modo. Non enim Petrus, & Paulus, vt dictum est in Logicis sunt vnum formaliter per aliquam entitatem, quæ sit eadem numero in vtroque, sed per similitudinem, seù conformitatem duarum naturarum in eisdem prædicatis essentialibus, & ideò potiùs retorquetur argumentum, sicut enim non stat cum distinctione reali entitatiua identitas formalis positiua, ità neque cum identitate reali entitatiua stare potest distinctio formalis positiua ex natura rei.

27 Arguitur secundò. Distinctio formalis ex natura rei est inter ea, quorum vnum in suo conceptu formali non includit aliud, sed de facto multa dantur, quæ hoc pacto se habent, ergò datur distinctio formalis ex natura rei. Minor probatur, nam animal in suo conceptu formali non includit rationale,

nale, aliàs nullum esset animal, quod non foret rationale; item viuens in suo conceptu formali non includit animal, alias nullum esset viuens, quod non esset animal, ergò &c.

28 Respondetur distinguendo Maiorem, & aliàs nō est possibilis,& necessaria,concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; Inter ea ergò, quorum vnum in suo conceptu formali, non includit aliud à parte rei datur distinctio virtualis, seù fundamentalis, ponens fundamentum, ad hoc vt intellectus vnum actu distinguat ab alio, non distinctione penès explicitum, & implicitum, sed penès exclusum, & excludens, sicut enim distinctio realis entitatiua non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem graduum; vndè Maior est generica, quàm specifica, & specifica, quàm numerica, ità distinctio rationis non est indiuisibilis, sed admittit latitudinem, vndè Maior est distinctio inter gradus Metaphisicos, qui se mutuò excludunt, quàm inter essentiam, & relationes in diuinis, quæ se mutuò includunt, & secunda vocatur distinctio rationis penès explicitum, & implicitum, prima verò penès excludens, & exclusum, non est autem possibilis, & necessaria inter ea, quæ se mutuò in suo conceptu non includunt distinctio formalis ex natura rei, ob rationes assignatas in probatione conclusionis.

29 Instabis primò. Distinctio rationis ratiocinatæ habet fundamentum in re, sed omnia ista assignata, siuè sint de mutuo conceptu, siuè non distinguuntur ratione ratiocinata, ergò debent habere fundamentum in re, sed tale fundamentum nequit esse, nisi aliqua distinctio, quæ sit actualis à parte rei, ergò datur inter illa aliqua distinctio à parte rei, non realis entitatiua, non realis modalis, ergò formalis ex natura rei, Minor subsumpta probatur, siquidem vnitas nequit esse fundamentum distinctionis, cum vnum oppositum potiùs destruat, quàm fundet aliud oppositum.

30 Respondetur negando vltimam consequentiam, & dico esse distinctionem virtualem, quæ à parte rei inuenitur inter illa, & præbet fundamentum intellectui, ad hoc vt actualiter illa distinguat, & hæc distinctio virtualis oritur ex eminentia rei æquiualentis pluribus inter se actu distinctis, & repetitur non solùm in diuinis, sed etiam in creatis. Sic enim species Angelorum propter earum eminentiam, repræsentant plura, sensus communis repræsentat omnia, quæ à singulis sensibus attinguntur; Anima rationalis continet gradum vegetatiuum, & sensitiuum inter se realiter distinctos, & nummus aureus æquiualet tribus argenteis inter se realiter distinctis.

31 Instabis secundò. Distinctio rationis ratiocinatæ est actualis, ergò petit fundamentum actu tale; sed hoc non est, nisi distinctio à parte rei, ergò à parte rei datur aliqua distinctio, quæ cum nequeat esse realis entitatiua, vel modalis, erit formalis ex natura rei.

32 Respondetur distinguendo Minorem subsumptam, si talis distinctio rationis fiat per actum iudicatiuum, concedo Minorem, si fiat per simplicem apprehensionem, nego Minorem, & consequentiam. Distinctio ergò rationis ratiocinatæ potest fieri, vel per actum iudicatiuum, affirmando aliqua inter se distingui, vel per solam simplicem apprehensionem, apprehendendo vnum sinè alio, non tamèn iudicando vnum non esse aliud, distinctio primo modo facta, ad hoc vt sit vera, & cum fundamento in re, requirit quòd de facto detur distinctio à parte rei, quia veritas formalis, consistit in adæquatione cum eo, quod est in re, secundo verò modo non requirit pro fundamento aliquam distinctionem realem, sed tantùm quod ex parte rei cognitæ inueniatur eminentia, & multiplicitas virtualis.

33 Arguitur tertiò. A parte rei verificantur multa contradictoria, ergò necessè est quod detur inter illa aliqua distinctio, saltem formalis ex natura rei. Antecedens patet, de essentia enim diuina verificatur quòd sit communicabilis, de relationibus verò quod non; de intellectu verificatur quod sit assimilatiuus, non verò de Voluntate, de

Iustitia quod puniat, de misericordia verò non; consequentia autem probatur. Effectus in actu petit causam in actu, sed verificatio contradictionis, quæ est effectus distinctionis, est actu à parte rei, ergò similiter distinctio debet esse actu à parte rei.

34 Respondetur negando vltimam consequentiam. Sufficit enim quod à parte rei detur distinctio virtualis, quæ licèt non sit actualis, est tamen actu, est autem postea distinctio actualis per intellectum, quæ distinctio cum fundamento in re, nimirùm cum eminentia ex parte obiecti æquiualentis pluribus rationibus inter se realiter distinctis est sufficientissima, ad hoc vt verificentur contradictoria antè opus intellectus, dicente Diuo Thoma 1. p. q. 39. art. 1. ad 2. *quod in quantum essentia, & persona in diuinis differunt secundùm intelligentiæ rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de vno, quod negatur de alio*. Imò ibi Caietanus notat, quod causa non contradicendi non est sola distinctio, quia potest hoc prouenire etiam ex eminentia, quæ eminenter virtualiter, seù æquiualenter facit, quod faceret distinctio si esset in actu.

35 Instabis primò. De vno, & eodem non possunt verificari duo contradictoria, ergò si verificantur antè opus intellectus inter aliqua realiter identificata, hæc ad minùs distingui debent formaliter ex natura rei.

36 Respondetur distinguendo antecedens, de vno, & eodem re, & ratione, concedo antecedens, de vno, & eodem re, sed diuerso ratione, nego antecedens, & consequentiam. De eodem ergo re, & ratione nequeunt verificari duo contradictoria, benè verò si sit idem re, diuersum tamèn ratione; vndè cum omnia, de quibus verificantur talia contradictoria sint diuersa ratione, indè stat, quod non est necessè quod actu distinguantur formaliter ex natura rei.

37 Instabis secundò. Si diuersitas rationis sufficeret ad verificanda contradictoria, posset anima rationalis præstare gradum vegetatiuum, non præstito sensitiuo, consequens est absurdum, ergò & antecedens, Minor patet, Maior quoque videtur clara, nam illi gradus ratione inter se distinguuntur.

38 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem negatur consequentia; nam vt inquit Diuus Thomas in primo dist. 34. q. 1. art. 1. ad 2. distinctio rationis tollit contradictionem solùm inter prædicata pertinentia ad illam distinctionem, aliàs per solam distinctionem rationis posset in Deo verificari, quod essentia sit increata, Paternitas creata, Intellectus infinitus, Voluntas finita, Misericordia bona, Iustitia mala, imò quod ipse Deus esset, & non esset Deus; cum ergò dare omnes gradus, & non educi de potentia materiæ conueniat animæ rationali secundùm suam entitatem, in qua non est distinctio in re, indè sequitur, quod non potest cum sola distinctione rationis verificari quod anima rationalis det vnum gradum, & non alium, & quòd secundùm vnum gradum educatur de potentia materiæ, & non secundùm alium.

39 Arguitur vltimò. Cuilibet rei debet ex natura sua conuenire, vel quòd sit vnum cum alia, vel quòd ex natura rei ab alia distinguatur, sed multa sunt, quæ ex natura rei non sunt vnum, ergò necessè est quod ex natura rei distinguantur, ac per consequens quod admittenda sit talis distinctio; Maior patet, nam inter duo contradictoria non datur medium; Minor verò probatur. Si enim omnia ex natura sua essent vnum, nunquam posset dari distinctio inter illa, quod enim secundùm se, & ex natura sua est tale, semper est tale, ergò &c.

40 Respondetur distinguendo Maiorem, ità tamèn quòd ista distinctio ex natura rei sit vel realis, vel rationis, concedo Maiorem, sit media inter vtramque, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Verum est ergò, quod multa ex natura rei petunt distingui, sed vel realiter entitatiuè, vt Petrus, & Paulus, vel realiter modaliter, vt Petrus, & sessio, vel ratione vt animal, & rationale; vndè non sequitur quod danda sit distinctio ista media, cum sit impossibilis.

41 Instabis primò. Inter colores oppositos

ſitos v. g. inter album, & nigrum dantur colores medij; nempè rubeus, viridis, & inter creaturas corporeas, & ſpirituales datur homo, qui de vtriſque participat, ergò ſimiliter inter diſtinctionem realem, & rationis non implicabit diſtinctio media, quæ dicitur formalis ex natura rei.

42 Reſpondetur negando conſequentiam, & diſparitas eſt, quia album, & nigrum, creaturæ corporeæ, & ſpirituales non opponuntur contradictoriè, ſed tantùm contrariè, diſtinctio autem realis, & rationis opponuntur contradictoriè, & ideò inter prima poteſt dari medium, non autem inter ſecunda, quia inter contraria de facto poteſt dari medium, niſi contradictionem includant; ſicut inter propoſitiones contradictorias nulla propoſitio mediat, inter contrarias verò mediat, vt inter iſtas omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus mediat iſta aliquis homo eſt doctus.

43 Inſtabis ſecundò. Vniuoca opponuntur contradictoriè cum æquiuocis, & tamèn in ſententia Thomiſtarum adhuc datur medium inter illa, ergò eſto diſtinctio realis, & rationis opponantur contradictoriè, tamèn poterit dari diſtinctio media inter illas. Maior patet, nam æquiuoca nullam habent conuenientiam in re, vniuoca verò habent; Minor quoque videtur clara, nam dantur Analoga, quæ ſunt partim eadem, partim diuerſa.

44 Reſpondetur diſtinguendo Maiorem, inadæquatè, concedo Maiorem, adæquatè, nego Maiorem, & conceſſa Minori, nego conſequentiam. Vniuoca ergò non opponuntur contradictoriè adæquatè cum æquiuocis, ſed tantùm inadæquatè, quia non dicunt puram conuenientiam in re vt ſic in communi, ſed conuenientiam perfectam, contrà quam opponitur tanquam aliud membrum diuidens [illegible] diſtinctio realis [illegible] imperfecta, ucus ponitur adæquat[illegible]tiua completa non op[illegible] ſtinctione rationis, [illegible]radictoriè cum di[illegible] vndè ibi poſſunt medi[illegible] inadæquatè; [illegible]ſtinctio realis formalis, [illegible]loga, & hic di[illegible] cæterum diſtinctio [illegible]alis, [illegible]ealis modalis; [illegible] nuntur contradictoriè [illegible] rationis oppo[illegible] quit dari diſtinctio for[illegible]alis [illegible], vndè ne[illegible] media inter illas, niſi ip[illegible] natura rei formalem, quam de facto [illegible] talem admittunt inter actionem, [illegible] Thomiſtæ ſed tunc oportet ipſam appellare [illegible] ſim[illegible]pliciter, & abſolutè, ſicuti eſt [illegible] diſtinctio realis modalis, quod tamèn nolunt [illegible] Thomiſtæ. Et hinc efficaciſſima ratio deſumitur ad [illegible] excludendam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum inter gradus Metaphyſicos detur diſtinctio, & præciſio obiectiua?

§. I.

Quibuſdam præmiſſis referuntur ſententiæ.

1 PRo reſolutione huius difficultatis aduertendum eſt primò, quod diſtinctio, ſeù præciſio duplex eſt formalis vna, obiectiua alia. Prima ſe tenet ex parte intellectus, & ſecunda ex parte obiecti intellecti; ad obiectiuam autem diſtinctionem, & præciſionem vnius formalitatis ab altera, ſufficit quod vna cognoſcatur, altera non concepta; ſicùt enim id quod realiter exiſtit alio non exiſtente realiter præſcinditur, & diſtinguitur ab illo ſinè quo realiter exiſtit, ità illa formalitas, quæ obiectiuè concipitur ſinè conceptione alterius, dicitur obiectiuè præſcindi, ac diſtingui ab ipſa; vndè ad hoc vt gradus genericus v. g. animalitas obiectiuè præſcindat, ac diſtinguatur ab ipſo gradu differentiali, ſcilicet à rationalitate, ſufficit quod intellectus concipiat gradum genericum, non concepto differentiali.

2 Aduertendum est secundò, quod ista præcisio, seù distinctio duplex est perfecta vna, imperfecta alia, prima est illa, qua concipitur vnus gradus non concepto alio etiam implicitè, & confusè, ità quod vnus gradus sit in potentia ad alium, neque actu illum includat. Secunda verò est illa, qua concipitur vnus gradus, non concepto alio distinctè, & explicitè, ità tamèn quòd implicitè, & confusè attingatur, quia actu continetur in alio, qua ratione ens dicitur præscindi à suis differentijs. Quærimus pri-

mo modo, non secancertiò præcisionem

3 Aduertendum differentia, positiuam adhuc esse in dup aliam. Prima est illa, vnam, negatiuum indicij positiuè sepa- qua vnum per tum dico homo non est Leo. ratum ab alio, qua per simplicem appre- Secunda est tingitur vnum, non attacto hensionem uo realiter identificatur, vt cum alio, animal non concepto rationali, concipi- est realiter identificatum, vndè in cum hu atiua non datur fictio, nec præcisione ne à licèt concipiatur vnum, non falsitas, sio, tamèn vnum non negatur de concepto hoc pacto solet dici, abstrahentium alio esse mendacium. Quærimus ergò an non at dari præcisio negatiua inter gradus Metaphysicos.

4 Prima sententia est negatiua. Hanc defendunt Nominales, quibus subscribunt plures Neoterici, & præcipuè Hurtadus, disp. 6. Met. sect. 4. Arriaga disp. 5. Log. sect. 2. Telles 1. p. sum. Phil. disp. 2. & Franciscus bonæ spei, quibus, ait Linze, familiare est contemnere Peripatetica veræ Philosophiæ principia, & antiquatas spurcicias iam obliuione sepultas, & sapientiorum consensu à Scholis reiectas eligere, non formidantes illam D. Anselmi censuram de Incar. Verb. appellantis Nominales hæreticos dialecticæ.

5 Secunda sententia est affirmatiua. Hanc docent omnes Thomistæ, quibus adhærent Suarez disp. 7. Met. sect. 1. Molina 1. p. q. 28. art. 2. disp. 3. Conimbric. tom. 1. Log. q. 4. Vasquez 1. p. q. 28. art. 2. disp. 117. cap. 1. Fasolus 1. p. tom. 3. q. 28. art. 2. dub. 3. & Linceus lib. 11. Met. tract. 4. Sit ergò.

§. II.

Veritas aperitur.

6 CONclusio. Inter gradus Metaphysicos datur præcisio, & distinctio obiectiua.

7 Probatur primò ex Philosopho lib. 2. de Anima cap. 5. & primò physicorum text. 49. & D. Tho. p. p. q. 86. art. 1. vbi docet, quod intellectus noster concipit naturas materiales per abstractionem à phantasmatibus, ergò apertè sentiunt inter gradus Metaphysicos dari præcisionem obiectiuam.

8 Probatur secundò ratione. Intantùm non posset dari præcisio obiectiua inter gradus Metaphysicos, quia sunt realiter indistincti, sed hæc ratio est nulla, ergò inter gradus Metaphysicos datur præcisio obiectiua; probatur Minor primò, attributa diuina, & omnes rationes, quæ sunt in Deo, sunt realiter indistinctæ, sed hoc non obstante datur distinctio obiectiua inter ipsas, ergò à fortiori danda est inter gradus Metaphysicos; Minor probatur ex D. Tho. in p. dist. 2. q. 2. a. 1. in corpore vbi ait; *quod & si in Deo Sapientia & Bonitas, & cætera perfectiones sint vnum, & idem in re, differunt tamèn non solùm ratione ratiocinante, verùm etiam ex parte obiecti*. Item p. p. q. 13. art. 3. inquit, *quod pluralitas istarum rationum, quas noster intellectus distinguit in Deo, non tantùm est ex parte intellectus verùm etiam ex parte ipsius Dei*, idemque repetit in primo distinctione 22. q. 1. a t. 3. & 1. cont. gent. cap. 36. Probatur secundò eadem Minor principalis, nam ratio principij, & finis realiter identificantur in puncto, & tamèn intellectus vnam obiectiuè præscindit ab alia, & de facto concipit punctum vt principium vnius partis, quin ipsum concipiat vt finem alterius, ergò semper illa ratio est nulla.

9 Pro-

9 Probatur 3. Ad hoc vt vnus gradus obiectiuè præscindat ab alio, sufficit quod cognoscatur non cognito alio, sed intellectus hoc facere potest, ergò vnus gradus obiectiuè præscindit ab alio, Maior patet, si enim cognoscitur vnus non cognito alio, ergò iam ex parte obiecti vt attacti alterum non relucet, atque adeò ab eo obiectiuè præscindit, Minor verò probatur, quia ad hoc vt cognoscatur animal, non cognito rationali, sufficit, quod cognoscatur animal, vt est principium sentiendi, non verò vt est principium ratiocinandi, sed intellectus hoc facere potest, ergò intellectus potest cognoscere animal non cognito rationali. Minor probatur primò, nam visus potest in pomo attingere colorem, non attacto sapore, eftò realiter identificentur, ergò similiter intellectus potest attingere principium sentiendi, non attacto principio ratiocinandi. Probatur secundò eadem Minor, nam intellectus est magis præcisiuus in cognoscendo, quam causa in efficiendo, sed causa potest effectiuè producere aliquid, non producto alio, cum quo realiter identificatur, cum Deus producat entitatem peccati, non producta eius malitia, ergò similiter intellectus poterit attingere vnum, non attacto alio, cum quo realiter identificatur.

10 Respondent Contrarij posse quidem intellectum cognoscere vnum gradum non cognito alio explicitè, & distinctè, non tamen implicitè, & confusè, sicut non potest cognoscere ens, non cognita substantia, & accidente implicite, & confusè, ac ideò non dari præcisionem obiectiuam perfectam inter gradus Metaphysicos.

11 Sed contrà primò. Quia ad minùs etiam per contrarios conuincitur dari præcisionem obiectiuam imperfectam inter ipsos gradus Metaphysicos.

12 Contrà secundò. Nam animal non continet rationale actu, sed tantùm in potentia, & facit compositionem cum illo, ens autem continet suas differentias actu, nec facit compositionem cum illis, ergò licèt præcisio, quam habet ens respectu suarum differentiarum sit imperfecta, tamen illa, quam habet animal respectu rationalis erit perfecta.

13 Probatur 4. Gradus genericus distinguitur à specifico, ne dùm ratione ratiocinante, verùm etiam ratione ratiocinata, penès excludens, & exclusum, sed ea, quæ distinguuntur hoc pacto, habent perfectam præcisionem, ergò gradus Metaphysici ne dùm subsunt distinctis conceptibus formalibus, verùm etiam important veram præcisionem obiectiuam. Minor patet, Maior quoque videtur clara, nam gradus genericus facit compositionem cum gradu differentiali, & illum non continet actu, sed in potentia.

14 Probatur vltimò. Ideò secundùm Contrarios gradus Metaphysici non præscindunt obiectiuè, quia non distinguuntur nec formaliter, nec virtualiter, sed hoc est falsum, ergò &c. Probatur Minor, de illis verificantur prædicata contradictoria, nimirùm conuenire, & non conuenire cum alijs, ergò ad minùs debent virtualiter inter se distingui.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

15 Arguitur primò. Nequit inter aliqua dari præcisio obiectiua, nisi inter illa detur distinctio obiectiua, sed inter gradus Metaphysicos, non interuenit aliqua distinctio obiectiua, ergò neque datur præcisio obiectiua; Maior patet, nam præcisio suprà distinctionem fundatur, Minor verò probatur, quia si animalei:as distingueretur à rationalitate, haberet diuersam cognoscibilitatem obiectiuam à parte rei, sed hoc est falsum, ergò &c.

16 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo Maiorem, virtualem, seù fundamentalem, concedo Maiorem, actualem, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Haberet ergò animalitas obiectiuè distincta à rationalitate diuersam cognoscibilitatem à parte rei solùm virtualem, seù fundamentalem, non autem actualem, & ideò non inci-

cideretur in sententiam Scoti ponentis actualem distinctionem à parte rei.

17 Instabis primò. Inter gradus Metaphysicos nulla à parte rei datur diuersa cognoscibilitas, etiam virtualis, seù eminentialis, ergò nulla datur præcisio obiectiua. Antecedens probatur, quælibet entitas creata finita est, & limitata, ergò inter gradus nulla datur à parte rei diuersa cognoscibilitas etiam virtualis, seù eminentialis. Consequentia probatur, quia intantùm in Deo datur cognoscibilitas diuersa virtualiter, seù eminentialiter, quia est infinitus, ergò si &c.

18 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, ità quod sit ratio sufficiens, concedo antecedens, adæquata, nego antecedens, & consequentiam. Ad eminentiam ergò, seù multiplicem virtualitatem, non requiritur infinitas, siquidem in omnium sententia anima rationalis entitas creata est, & limitata, & tamèn æquiualet pluribus formis, inter se realiter distinctis; vndè licèt entitas, à qua prouenìunt gradus Metaphysici sit finita, & limitata, tamèn potest habere multiplicem virtualitatem.

19 Instabis secundò. Etiam si inter gradus Metaphysicos detur distinctio virtualis à parte rei, non tamèn datur actualis, ergò non potest intellectus ipsis tribuere talem distinctionem actualem, & præcisionem obiectiuam; Consequentia probatur, nam tunc cognitio intellectus esset cognitio falsa, cum conciperet vt actualiter distincta, ea quæ actualiter distincta non sunt, ergò si &c.

20 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, per simplicem præcisionem, concedo antecedens, per actum iudicij, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò cognitio, qua intellectus per actum iudicij affirmat animalitatem, esse actualiter distinctam à rationalitate, sit cognitio falsa, tamèn cognitio, qua per primum actum purè concipit animalitatem, non concepta rationalitate, nullatenùs est falsa, sed vera, licèt inadæquata sit respectu totius cognoscibilitatis obiecti; vndè sicut visus non fallitur concipiendo in pomo colorem sinè sapore, ità intellectus non fallitur vnum gradum Metaphysicum concipiendo sinè alio, & ità solet dici abstrahentium non esse mendacium.

21 Instabis tertiò. Idem, & indiuisibile obiectum nequit concipi ab intellectu quin tota cognoscibilitas obiecti actualiter ab eo cognoscatur, ergò nequit per cognitionem purè præcisiuam intellectus cognoscere vnum gradum, non cognito alio, & distinguere actualiter vnum ab alio. Antecedens probatur, si aliquod obiectum cognosceretur, non concepta tota cognoscibilitate obiecti, ipsum obiectum non esset indiuisibile, sed diuisibile in partes, ergò &c.

22 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, virtualiter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens, & consequentiam: Itaque obiectum quod est formaliter indiuisibile, virtualiter autem diuisibile potest inadæquatè cognosci secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam, & ità in proposito cognosci animalitas, non cognita rationalitate.

23 Arguitur secundò. Ad præcisionem obiectiuam, requiritur quod vnum ex parte obiecti concipiatur non concepto alio, sed nequit concipi gradus genericus, non concepto differentiali, ergò non datur inter illos præcisio obiectiua; probatur Minor, si conciperetur gradus genericus, non concepto differentiali, sequeretur quod realiter cognosceretur, & non cognosceretur, sed hoc implicat in terminis, ergò nequit concipi &c. Sequela Maioris probatur quò ad secundam partem, nàm quò ad primam partem patet; quia non cognosceretur gradus differentialis, qui est realiter identificatus cum gradu generico, ergò &c.

24 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego sequelam Maioris, ad probationem, distinguo consequens, adæquatè, concedo consequentiam, inadæquatè, nego consequentiam. Ex eò ergò quod non cognoscatur gradus differentialis, qui est identificatus cum generico, solùm

se-

sequitur, quod non cognoscatur gradus genericus adæquatè, nimirùm secundùm totum id, quod continet, siuè actu, siuè in potentia, non verò quod non cognoscatur inadæquatè, & præcisè secundùm quod est principium sentiendi.

25 Instabis. Implicat quod vllo modo cognoscatur gradus genericus, non cognito differentiali, ergò nulla solutio, probatur antecedens, implicat quod vllo modo producatur gradus genericus, non producto differentiali, ergò similiter implicat quod vllo modo cognoscatur gradus genericus, non cognito differentiali. Antecedens patet, aliàs daretur aliquod in rerum natura, quod esset in genere animalis, & non sub determinata specie; consequentia verò probatur; nam ideò primum, quia gradus Metaphysici constituunt vnam, & eandem rem, ergò si &c.

26 Respondetur primò, negando antecedens, ad probationem, nego consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, præcisè propter hoc, nego antecedens, propter hoc, & aliquid aliud, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque disparitas est inter cognitionem, & productionem; productio enim formaliter terminatur ad communicandam existentiam rei producibili, quod non habet cognitio; vndè causa non potest producere vnam formalitatem, non producta alia, benè verò intellectus potest cognoscere vnam formalitatem, non cognita alia, nec datur actio, quæ non teratur in existentiam rei, benè vero cognitio, vt patet in cognitione abstractiua.

27 Respondetur secundò, quod etiam causa est præcisiua in producendo, nam actio productiua Dei producit entitatem peccati, non tamèn eius malitiam, similitèr species impressa effectiuè producit cognitionem, non tamen vitalitatem, estò realiter identificentur; & etiam in sententia contrariorum intellectus vtens proprijs viribus proximè influit in vitalitatem visionis beatæ, non tamèn in eius supernaturalitatem, estò inter se realiter identificentur. Tandem Filius in Diuinis producitur, essentia verò diuina non producitur, estò realiter identificentur.

28 Arguitur vltimò. Ea quæ realiter identificantur, ità se habent quod intellectus nequit concipere vnum, non concepto alio, sed gradus Metaphysici, realiter inter se identificantur, ergò nequit intellectus concipere vnum non concepto alio: Maior probatur. Maiorem connexionem habent ea, quæ realiter identificantur, quàm ea, quæ realiter non identificantur; sed intellectus nequit concipere vnum non concepto alio, cum quo realiter non identificatur, ergò à fortiori nequit cognoscere vnum, non cognito alio cum quo realiter identificatur, Minor probatur; Relatiua ad inuicem realiter non identificantur, & tamèn intellectus nequit concipere vnum relatiuum non concepto alio; cum sint simul natura, & cognitione, ergò &c.

29 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, distinguo Maiorem, in esse entitatiuo, concedo Maiorem, in esse cognoscibili, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam, ad probationē, distinguo consequens, si non sint simul natura, & cognitione, concedo consequentiam, secùs, nego consequentiam. Itaq; in esse cognoscibili maiorem connexionem habent relatiua, quàm gradus Metaphysici, licèt isti identificentur entitatiuè, quia relatiua sunt simul natura, & cognitione, & totum suum esse habent in ordine ad aliud, quod non habent gradus Metaphysici, & ideò non potest cognosci vnum relatiuum non cognito alio, benè verò vnus gradus Metaphysicus, non cognito alio; nec quidem valet arguere à connexione entitatiua ad intelligibilem, nàm euidens est, quod vnio hypostatica primò, & per se fuit facta in persona Verbi, non autem in persona Patris, & tamèn patet, quod non potest cognosci Filius non cognito Patre.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm gradus Metaphysici distinguantur inter se formaliter ex natura rei?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quodlibet indiuiduum ex pluribus prædicatis componi, quæ ad inuicem comparantur, tanquam superiora, & inferiora, vt patet in Petro v. g. qui vltrà suam differentiam indiuidualem, quam habet componitur etiam ex superioribus prædicatis, scilicet substantiæ, viuentis, animalis, & hominis; huiusmodi autem prædicata vocantur gradus Metaphysici, eò quia in ipsis cognoscendis gradatim ascendimus, & descendimus, cum priùs de Petro prædicetur quod sit homo, & suprà hominem quod sit animal, & suprà animal quod sit viuens, & suprà viuens quod sit corpus, & suprà corpus quod sit substantia, & suprà substantiam, quod sit ens. In præsenti ergò quærimus, an in hypothesi quod daretur distinctio formalis ex natura rei, hęc versaretur inter gradus Metaphysicos.

2 Prima sententia est affirmatiua. Ità Subtilis Doctor cum sua Schola in 1. dist. 3. q. 6. & in 2. dist. 2. q. 7. & dist. 5. q. 1.

3 Secunda sententia est negatiua. Hanc docent omnes Thomistæ, quibus subscribunt Durandus, Henricus, Alensis, & omnes Patres Societatis; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

C Onclusio. Inter gradus Metaphysicos non datur distinctio formalis actualis ex natura rei.

4 Probatur primò ex Philosopho, & D. Tho. 7. Met. textu 43. lect. 12. & 13. c. 3. de ente, & essentia, opusc. 42. cap. 9. p. p. q. 76. art. 3. & tandem p. p. q. 50. art. 2. ad primum, vbi ait: *genus, & differentiam in Angelo solùm differre secundùm considerationem intellectus*, ergò de mente Philosophi, & D. Th. vera Conclusio.

5 Probatur secundò ratione destruendo principale fundamentum Scoti, ideò gradus Metaphysici in eodem indiuiduo distinguerentur distinctione actuali formali ex natura rei, & antè operationem intellectus, quia definiuntur diuersis definitionibus, sed hæc ratio est nulla, ergò non distinguuntur &c. Maior patet, & Minor probatur, potentia intellectiua definitur diuersis definitionibus in ordine ad actus distinctos, scilicet apprehendere, iudicare, & discurrere, & tamèn est vna, & eadem indiuisibilis actualiter ex natura rei, & antecedenter ad operationem intellectus, ergò illa ratio est nulla.

6 Respondent Contrarij, quòd etiam intellectus, quatenùs est apprehensiuus actualitèr formalitèr distinguitur à se ipso quatenùs est iudicatiuus, & discursiuus, & ideò illa ratio remanet inconcussa.

7 Sed contrà. Nàm intellectus nullatenùs actualitèr formalitèr distinguitur à se ipso quatenùs est apprehensiuus, iudicatiuus, & discursiuus, ergò nulla solutio. Probatur antecedens, intellectus minùs distinguitur à se ipso quatenùs apprehensiuus, iudicatiuus, & discursiuus est, quàm distinguatur à voluntate, sed in sententia Scoti distinguitur à voluntate solùm distinctione actuali formali ex natura rei, ergò &c.

8 Probatur tertiò. Ideò per Scotistas gradus Metaphysici inter se distinguuntur actualitèr formaliter ex natura rei, quia de ipsis verificantur prædicata contradictoria, quę eidem formalitati competere nequeunt, sed

sed ista ratio est nulla; ergò gradus Metaphysici non distinguuntur &c. Probatur Minor, non magis repugnat, duo prædicata formalitèr contradictoria verificari de eadem formalitate, quàm prædicata entitatiuè contradictoria verificari de eadem entitate, sed possunt duo prædicata entitatiuè contradictoria verificari de eadem entitate, ergò etiam poterunt duo prædicata formalitèr contradictoria verificari de eadem formalitate; probatur Minor, nàm homo ratione animaleitatis entitatiuè conuenit cum equo, & ratione rationalitatis entitatiuè differt ab illo, sed hoc non obstante adhuc in sententia Scoti animaleitas, & rationalitas sunt eadem entitas, ergò &c. Similiter in diuinis essentia entitatiuè communicatur Filio, Paternitas entitatiuè non communicatur, & tamen etiam in sententia Scoti sunt eadem entitas, ergò &c. vndè hæc ratio Scotistarum probat, quod gradus Metaphysici, nedùm actualitèr formalitèr, verùm etiam entitatiuè realitèr inter se distinguantur, & sic nihil probat, cum nimis probet.

9 Probatur quartò. Eodem modo in sententia Scotistarum distinguuntur inter se gradus Metaphysici, quomodo distinguuntur in diuinis relationes, & essentia, sed relationes, & essentia solùm distinguuntur ratione ratiocinata, non autem formalitèr ex natura rei, ergò etiam gradus Metaphysici solùm distinguuntur &c. probatur Minor primò auctoritate Concilij Florentini sess. 18. vbi determinatur, *quod essentia Diuina sola ratione differt à personis*. Secundò, quia inter essentiam, & relationes nulla intercedit compositio, nec etiam formalis, aliàs Deitas non esset simplicissima entitas; ergò neque vlla interuenit distinctio actualis; cum compositio sit distinctorum vnio.

§. III.

Argumenta soluuntur.

10 Arguitur primò. Genus, & differentia sunt gradus Metaphysici, sed genus, & differentia in eodem indiuiduo actualitèr formalitèr distinguuntur, ergò gradus Metaphysici distinguuntur formalitèr ex natura rei. Maior patet, Minor probatur, in homine v. g. de animaleitate, & rationalitate verificantur duo contradictoria, sed de eadem formalitate nequeunt verificari duo contradictoria; ergò genus, & differentia &c. Minor liquet, Maior verò probatur; conuenire, & non conuenire sunt prædicata contradictoria, sed homo per animaleitatem conuenit cum brutis, & per rationalitatem differt ab illis, ergò &c.

11 Respondetur primò negando Minorem, ad probationem, distinguo Minorem, quæ sit eadem tàm actualitèr, quàm virtualitèr, concedo Minorem, quæ sit eadem actualitèr, non tamèn virtualitèr, nego Minorem, & consequentiam. Itaq; ad hoc vt verificentur duo contradictoria de aliquo subiecto non requiritur, quod includat formalitates actualitèr distinctas, sed sufficit, quòd sint virtualitèr distinctæ; vndè ex eò quòd de animaleitate, & rationalitate verificentur duo contradictoria, solùm conuincitur, quod sint duæ formalitates virtualitèr inter se distinctæ. Totum hoc, vt dictum est in primo articulo, egregiè explicatur à D. Tho. p. p. quæst. 39. art. 1. in puncto continuatiuo, de quo verificatur, quod sit principium, & finis respectu diuersarum partium, & tamèn est vnum re, idest actualitèr, multiplex autem ratione, idest virtualitèr, & vlteriùs ad suum propositum addit, quod quià essentia, & persona in Diuinis differunt secundùm intelligentiæ rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de vno, quod negatur de alio. Imò instatur argumentum in sententia Scoti, nàm homo ratione animaleitatis, non solùm formaliter, sed etiam realiter entitatiuè conuenit cum brutis, & ratione rationalitatis, non solùm formalitèr, sed etiam realitèr entitatiuè differt ab illis, & tamèn etiàm in eius sententia rationalitas, & animaleitas realiter entitatiuè identificantur ad inuicem.

12 Respondetur secundò, quod talia contradictoria à parte rei sunt contradictoria tantùm fundamentaliter, non verò formali-

ter, quia cum formalis contradictio sit affirmatio, & negatio, quæ vtique fiunt per actum intellectus non potest formaliter verificari, nisi per opus intellectus: Vndè potiùs retorquetur argumentum, sicut enim contradictio formaliter solùm habetur per opus intellectus, ità etiam distinctio.

13 Respondetur tertiò, quod talia prædicata non sunt verè contradictoria, quia non exercentur circà idem eodem modo consideratum, quod tamen requiritur ad veram rationem contradictionis, vt dicitur in summulis.

14 Instabis primò. Ista prædicata contradictoria seclusa quacunque consideratione intellectus conueniunt animaleitati, & rationalitati, ergò seclusa quacunque operatione intellectus sunt actualitèr formalitèr inter se distincta; antecedens probatur, nàm seclusa quacumque operatione intellectus homo ratione animaleitatis conuenit cum brutis, & per rationalitatem ab illis differt, ergò ista prædicata &c.

15 Respondetur negando consequentiam; sufficit enim diuersa virtualitas, ad hoc, vt actu à parte rei verificentur illa prædicata contradictoria, eò quia de eodem secundùm diuersas rationes possunt duæ rationes oppositæ verificari, præsertim quandò contradictio fit ratione alicuius reduplicationis, & appellationis, sicut fit in præsenti, & hæc doctrina est D. Tho. loco citato ex 1. p. quæst. 39. art. 1. ad 2.

16 Instabis secundò. Quia de homine, & leone verificantur à parte rei duo contradictoria, ideò actualiter realiter distinguuntur à parte rei, ergò si de gradibus Metaphysicis verificantur à parte rei duo contradictoria, saltèm actualiter formaliter debent distingui.

17 Respondetur negando consequentiam, disparitas est, quia talia prædicata contradictoria respectu hominis, & leonis fundantur in diuersa entitate, prædicata autem contradictoria respectu graduum Metaphysicalium fundantur solùm in diuersa virtualitate eiusdem simplicis formæ; vbi autem est vnica forma nequit esse actualis distinctio; aliàs cum esset distinctio formalis esset, & non esset vnica forma.

18 Instabis tertiò. Estò sit vnica forma; tamèn vnus gradus non est de conceptu alterius, ergò si vt sic fundant prædicata contradictoria erunt à parte rei actualiter formaliter distincti. Probatur consequentia, nàm tunc aliquid actualiter non est aliud, quando non est de conceptu illius, ergò si &c.

19 Respondetur distinguendo antecedens, reduplicatiuè, & inadæquatè sumpti, concedo antecedens, specificatiuè, & identicè sumpti, nego antecedens, & consequentiam; ad probationem, distinguo antecedens eodem modo. Tales ergò gradus Metaphysici possunt dupliciter considerari, primò inadæquatè, & reduplicatiuè, & sic vnum non est de conceptu alterius, hoc tamèn fit medio intellectu concipiente vnum non esse aliud, vndè stat solùm distinctio actualis penès intellectum. Secundò possunt considerari specificatiuè, & identicè, & ità cum sit vna, & eadem res non se excludunt. Imò vt ait Io: à S. Th. si ex eo quod vnus gradus reduplicatiuè non est de conceptu alterius deberent distingui actu in re, deberent distingui tanquam diuersæ formæ, cùm essent diuersæ rationes formales actu, & consequenter distincta principia quò radicalia, quod est proprium formæ.

20 Instabis quartò. Nec etiam identicè, & specificatiuè vnus gradus est de conceptu alterius, ergò actualiter sunt distincti à parte rei. Antecedens probatur, si vnus gradus specificatiuè, & identicè esset de conceptu alterius, possent ad inuicem prædicari, sed hoc est falsum, ergò vnus gradus non est identicè, & specificatiuè de conceptu alterius. Maior patet, quia enim animaleitas est de conceptu humanitatis potest de illa prædicari; Minor verò probatur, non enim valet dicere rationalitas est animaleitas, cum possit stare principium discurrendi sinè principio sentiendi, vt patet in Angelis, ergò &c.

21 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo Maiorem, in concreto,

creto, concedo Maiorem, in abstracto, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Cum ergò concretum importet formam in subiecto, possunt gradus Metaphysici ad inuicem prædicari in concreto propter identitatem subiecti; abstractum verò, cum solùm formam importet, & gradus Metaphysici cum identitate subiecti admittant diuersas formalitates virtualiter distinctas, indè in abstracto nequit vnus prædicari de alio, sic enim facerent solùm prædicationem identicam, non verò formalem.

22 Arguitur secundò. Data actuali compositione, debet dari actualis extremorum distinctio, sed à parte rei datur actualis compositio generis, & differentiæ, ergò debet quoque dari actualis eorum distinctio. Maior patet, nàm compositio est distinctorum vnio, Minor verò probatur, quia homo in re componitur ex animalitate, & rationalitate, sed animal est genus, rationale differentia, ergò &c.

23 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego Maiorem, & dico, quod sicut à parte rei non datur actualis distinctio, sed solùm virtualis inter genus, & differentiam, ità neque datur actualis compositio, sed solùm virtualis; vndè animal solùm actu componi: cum rationali, quandò concipitur illud vt quid determinabile, istud verò vt quid determinatiuum, quod quidem non habent in re, cum sint ad inuicem identificata, sed solùm vt obijciuntur intellectui, qui concipit animal vt quid potentiale, rationale verò vt quid actuale.

24 Instabis primò. Inter genus, & differentiam interuenit compositio Metaphysica, sed illa est actualis à parte rei, ergò à parte rei datur compositio actualis ex genere, & differentia. Probatur Minor. Compositio Metaphysica ex genere, & differentia correspondet compositioni Physicæ ex materia, & forma, sed illa est actualis à parte rei, ergò etiam illa. Minor patet, Maior quoq; liquet ex Philosopho 8. Metaph. tex. 6. vbi ait: *quod genus desumitur à materia, & differentia à forma*.

25 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo Maiorem, correspondentia proportionali, & analogica, concedo Maiorem, vniuoca, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque non sequitur, quod ex eò quod compositio Physica ex materia, & forma sit actualis à parte rei, etiam compositio Metaphysica ex genere, & differentia sit actualis, eò quia proportionantur solùm analogicè, non verò vniuocè, & materia, & forma habent rationem partis, quarum vna est actus, alia potentia; genus autem, & differentia se habent tanquam prædicatum superius, & inferius eiusdem formæ. Imò si paritas curreret sequeretur, quod sicut materia, & forma realiter entitatiuè distinguuntur, ità etiam genus, & differentia, neque vrget id, quod subditur ex Philosopho, dicimus enim vltrà dicta suo loco, quod genus sumitur à materia, & differentia à forma exemplaritèr, & assimilatiuè, inquantùm materia est primum determinabile, forma verò primum determinans, non verò causaliter, & consecutiuè, quia de facto animal significat compositum ex corpore, & anima, vt dat gradum sentiendi, & etiam rationale significat compositum ex corpore, & anima, vt dat gradum ratiocinandi, & ideò sequitur, quod genus, & differentia solùm ratione distinguantur, quatenùs intellectus concipit genus vt determinabile per differentiam.

26 Instabis secundò. Si compositio Metaphysica ex genere, & differentia non esset actualis à parte rei, sicut est compositio Physica ex materia, & forma, non repugnaret Deo; consequens est absurdum, ergò, & antecedens. Minor patet ex communi Theologorum consensu; Maior verò probatur, illa compositio non repugnat Deo, quæ non officit summæ eius simplicitati, sed si compositio Metaphysica non esset actualis à parte rei non officeret summæ eius simplicitati, ergò &c. Minor probatur; quia distinctio attributorum non est actualis à parte rei, sed solùm rationis non officit summæ Dei vnitati, ergò si &c. Antecedens patet, consequentia probatur, non minus enim di-

stinctio opponitur vnitati, quàm compositio simplicitati, ergò sicut quia distinctio &c.

27 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem, nego Minorem, ad probationem, distinguo antecedens; per hoc, & quia talis distinctio est solùm penès implicitum, & explicitum, concedo antecedens, per hoc præcisè, nego antecedens, & consequentiam. Itaque distinctio attributorum non officit summæ Dei vnitati, quia est solùm penès implicitum, & explicitum, nàm attributa Diuina ad inuicem sunt de essentiali conceptu, compositio autem necessariò semper importat duas rationes; quæ se inuicem excludant, & habet pro fundamento potentialitatem, quæ summæ Dei actualitati repugnat, & ideò nullo modo potest dari in Deo, sicut non potest dari distinctio penès excludens, & exclusum.

28 Arguitur tertiò. Eodem modo distinguuntur in homine animaleitas, & rationalitas, quo modo in illo sunt, sed sunt in illo formalitèr ex natura rei, ergò distinguuntur formalitèr ex natura rei; Minor patet, Maior probatur; vnitas, & distinctio sequitur esse, cum sint passiones entis, ergò &c.

29 Respondetur negando Maiorem, aliàs etiam realitèr entitatiuè distinguerentur, cum realitèr entitatiuè sint in homine. Ad probationem, distinguo antecedens, comparatiuè prout vnum est, vel non est aliud, concedo antecedens, absolutè, nego antecedens, & consequentiam. Vnitas ergò, & distinctio non sequitur esse absolutè, sed comparatiuè prout vnum est, vel non est aliud, vndè ad hoc vt gradus Metaphysici dicantur distingui actualitèr ex natura rei, non sufficit, quod actualiter ex natura rei sint in homine, sed insuper requiritur, quod vnus actualiter non sit alius; in communiori enim sententia Scotistarum, & præcipuè Mastrij, cuius est argumentum prædicata entis, substantiæ, actus puri &c. in Deo sunt actualiter formaliter, & tamèn nullatenùs actualiter formaliter distinguuntur.

30 Instabis primò. animaleitas, & rationalitas ità sunt actu formaliter in homine, vt formalitas vnius non sit formalitas alterius, ergò distinguuntur actu formaliter ex natura rei. Antecedens probatur, siquidem ità se habent, quod definitio vnius non sit definitio alterius, sed definitio explicat naturam, & formalitatem rei definitæ, ergò animaleitas &c. Probatur Maior. Animaleitas definitur, quod sit principium sentiendi, rationalitas verò, quod sit principium ratiocinandi, ergò &c.

31 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Maiorem, inadæquata, concedo Maiorem, adæquata, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Duplicitèr ergò potest definiri quilibet gradus Metaphysicus, vt v. g. animaleitas. Primò adæquatè, explicando nimirùm totum id, quod habet à parte rei, & hoc modo definitur, non solùm quòd sit principium sentiendi, sed etiam ratiocinandi; imò & singularizandi, cum hæc omnia importet à parte rei, secundò inadæquatè explicando solùm id, quod habet vt stat sub consideratione intellectus præscindentis ipsum à quolibet alio, & sic definitur solùm quod sit principium sentiendi; sicut autem quæ habent diuersas definitiones adæquatas distinguuntur à parte rei, ità quæ habent diuersas definitiones inadæquatas distinguuntur per intellectum, & huiusmodi sunt gradus Metaphysici.

32 Instabis secundò. Eadem definitione adæquata definitur animaleitas hominis, & bruti, sed in definitione adæquata animaleitatis bruti non includitur rationalitas, ergò nec in definitione adæquata animaleitatis hominis; probatur Maior. Si diuersa definitione definiretur animaleitas hominis, & bruti, animal non diceretur vniuocè de homine, & bruto, quia licèt nomen esset vnum; ratio tamèn importata per illud, quæ est definitio esset diuersa, sed hoc est absurdum, ergò eadem &c.

33 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego sequelam; quia ratio significata per hoc nomen animal prout est vniuocè commune homini, & bruto non est definitio adæquata animalis prout reperitur à parte rei in illis, sed definitio inadæqua-

qua-

quatá illius, prout præscindit per considerationem intellectus ab omnibus suis differentijs, in qua definitione non includitur nec rationalitas, nec irrationalitas.

34 Instabis tertiò. Si animaleitas esset formaliter rationalitas à parte rei, sequeretur, quod, nec adæquatè, nec inadæquatè posset definiri, nisi ponendo in eius definitione saltèm implicitè rationalitatem, consequens est absurdum, ergò & antecedens, sequela Maioris probatur, quia enim homo à parte rei est formaliter animal, & rationalis, nec adæquatè, nec inadequatè potest definiri finè animalitate, & rationalitate. Similiter, quia substantia à parte rei est formalitèr ens, neque inadæquatè potest definiri finè ente saltem implicitè, ergò si animaleitas &c.

35 Respondetur negando sequelam Maioris, ad vtramque probationem distinguo antecedens, essentialitèr, concedo antecedens, identicè, nego antecedens, & consequentiam; homo enim essentialitèr est animal, & rationalis, & etiam substantia essentialitèr est ens faciens vnum simplicissimum conceptum cum ipso, vndè nullo modo possunt definiri finè talibus prædicatis; animal autem non est essentialiter rationale, sed solùm identicè, quia nimirùm proueniunt ab eadem anima, & ideò est dispar ratio.

36 Arguitur quartò. Ea, quæ relatiuè opponuntur distinguuntur inter se aliqua distinctione actuali, sed gradus Metaphysici inter se à parte rei relatiuè opponuntur, ergò à parte rei distinguuntur &c. Maior patet, ideò enim in Diuinis tres personæ distinguuntur actualitèr antè operationem intellectus, quia relatiuè opponuntur; Minor verò probatur, genus dicit rationem determinabilem, differentia verò rationem determinatiuam, sed determinatiuum, & determinabile dicunt respectum oppositum ad inuicem, ergò gradus Metaphysici &c. Maior patet, Minor quoque videtur clara, hac enim ratione Materia dicit respectu oppositum ad formam, quia se habent per modum determinabilis, & determinantis.

37 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, sumpte Logicè, & obiectiuè, concedo Maiorem, sumptæ Physicè, & realitèr, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque animal prout est in re nullatenus est contrahibile, & determinabile per differentiam; Materia autem est contrahibilis Physicè, & realitèr per formam, non Logicè, & purè obiectiuè, & ideò non sequitur, quod sicut materia, & forma à parte rei dicunt actualitèr respectum ad inuicem, ità etiam illum dicant genus, & differentia.

38 Arguitur quintò. Nulla formalitas creata ad differentiam increatæ potest esse simul communicabilis, & non communicabilis, sed animal secundùm proprium conceptum est communicabile pluribus speciebus, rationale verò non est communicabile, cum soli homini competat, ergò gradus genericus, & differentialis non sunt eadem formalitas, sed dicunt duas formalitates formalitèr distinctas.

39 Respondentur distinguendo Minorem, prout consideratur ab intellectu vt abstractum à differentia, concedo Minorem, prout est à parte rei identificatum cum ipsa differentia, nego Minorem, & consequentiam. Itaque animal est communicabile pluribus speciebus solùm vt abstractum ab intellectu, non verò Physicè sumptum, & vt est identificatum in re cum differentia, aliàs daretur à parte rei vniuersale formalitèr.

40 Arguitur vltimò. Si gradus Metaphysici non distinguerentur actualiter ex natura rei, maximè quia desumuntur ab eadem entitate, sed hoc est falsum, ergò distinguuntur &c. probatur Minor, gradus indiuidualis desumitur à materia signata quantitate, gradus verò specificus desumitur à forma. Item genus, vt dictum est, desumitur à materia, & differentia à forma, ergò falsum est &c.

41 Respondetur negando Minorem, ad primam probationem distinguo antecedens quò ad primam partem, radicalitèr, concedo antecedens, proximè, nego antecedens; licèt enim radicalitèr desumatur à materia signata quantitate; tamèn proximè desumitur

tur à toto composito, cum hic homo dicat compositum ex hac anima, & hoc corpore, ad secundam probationem vltrà dicta, alia via respondetur cum D. Thoma cap. 3. de ente, & essentia, & opusc. 42. cap. 7. quod genus desumitur à materia, idest ab eo, quod materiale, & potentiale est in vnaquaque re, non verò à materia, quæ sit pars Physica compositi substantialis à forma distincta.

QVÆSTIO SEXTADECIMA

DE ANIMA SEPARATA.

Licèt agere de anima rationali coniuncta corpori spectet ad Philosophum, cum concernat materiam sensibilem, ex eò quòd est principium operationum coniuncti, & intelligit dependenter à phantasmatibus, tamèn agere de anima rationali separata ad solum Metaphysicum pertinere potest; sic enim est vera pars subiecti formalis Metaphysicæ; vndè de illa in præsenti tractare oportet; Sit ergò.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm status separationis sit præternaturalis Animæ rationali?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis ad uertendum est, quod aliqua res potest habere triplicem statum, naturalem scilicet, violentum, & præternaturalem. Tunc aliqua res dicitur esse in statu naturali, quando ex intrinsecis naturæ exigit talem statum. Tunc dicitur esse in statu violento, quando positiuè repugnat tali statui, & solùm illum habet ab extrinseco. Tunc denique dicitur esse in statu præternaturali, quandò est in statu, qui est suprà eius naturam, merè negatiuè se habendo, vt infrà explicabimus de triplici potentia.

2 Prima sententia tenet statum separationis esse naturalem animæ separatæ, imò adeò naturalem, vt illi status vnionis ad corpus sit potiùs violentus. Ità Plato, & Origenes dicentes animas in supplicium fuisse coniunctas corpori, cum fuerint ab initio in statu separationis creatæ. Sed contrà illos pugnat D. Thomas 1. p. q. 118. art. 3. quarto contra gent. cap. 79. & q. vnica de Anima art. 7. & 8.

3 Secunda sententia asserit vtrumque statum esse naturalem animæ rationali, siuè per se primò, siuè per se secundò; Sicut naturale est homini certo tempore esse in vtero matris, & eo exacto connaturale est extrà vterum esse, sed tamèn magis connaturalem esse statum coniunctionis, quàm sepa-

ſeparationis. Ità Auicenna communiter relatus, Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. Suarez lib. 2. de Anima cap. 9. Rubius tract. de Anima ſeparata dub. 6. imò hoc etiam inſinuat Seneca Epiſtola 102. ad Lucillum.

4 Tertia ſententia ſentit ſtatum ſeparationis eſſe violentum animæ rationali. Ità Ferrarienſis 4. contrà gent. cap. 88. & 94. & alibi.

5 Quarta ſententia docet, neque eſſe naturalem, neque violentum animæ rationali, ſed præternaturalem. Ità cæteri Thomiſtę cum S. Doctore, & præcipuè Caietanus 1. p. q. 89. art. 1. & Bannes ibidem, dub. 2. concluſ. 3. Vndè ſit.

§. II.

Veritas aperitur.

6 PRima Concluſio. Status ſeparationis non eſt naturalis animæ rationali.

7 Probatur primò. Ille ſtatus eſt naturalis alicui rei, qui eſt ſecundùm naturalem inclinationem illius, & prouenit ab eius principio intrinſeco, ſed ſtatus ſeparationis non ità ſe habet reſpectu animæ rationalis, ergò non eſt ei naturalis; probatur Minor, anima rationalis cum ſit compars, & forma corporis potiùs habet naturalem inclinationem ad ipſum informandum, & à principio intrinſeco potiùs petit ipſi vniri, quàm ab eo ſeparari, ergò ſtatus ſeparationis non ità ſe habet reſpectu animæ rationalis.

8 Probatur ſecundò. Anima rationalis ſecundùm ſuam naturam eſt vnibilis materiæ, ergò ſecundùm ſuam naturam non eſt ab ea ſeparabilis, ac ideò ſtatus ſeparationis non eſt ei naturalis; Conſequentia patet, nam vnibile, & ſeparabile reſpectu eiuſdem ſunt oppoſita; Antecedens probatur; Anima rationalis perficitur ex vnione ad corpus, cum ſit principium plurium operationum, nempè vegetandi, & ſentiendi, quarum nequit eſſe principium in ſtatu ſeparationis, ergò anima rationalis ſecundùm ſuam naturam eſt vnibilis materiæ.

9 Secunda concluſio. Status ſeparationis non eſt violentus animæ rationali.

10 Probatur primò. Ille ſtatus eſt violentus alicui rei, qui eſt contrà illius inclinationem, & prouenit ab eius principio extrinſeco, ſed ſtatus ſeparationis non ità ſe habet reſpectu animæ rationalis, ergò non eſt illi violentus; probatur Minor; Anima rationalis non dependet in ſui eſſe à corpore, cum ſit forma ſpiritualis, & incorporea, ergò ſtatus ſeparationis non eſt contrà illius inclinationem, neque prouenit ab eius principio extrinſeco.

11 Probatur ſecundò. Si talis ſtatus eſſet violentus animæ rationali non poſſet eſſe illi perpetuus, conſequens eſt abſurdum, ergò & antecedens; Minor patet, cum ſit forma per ſe ſubſiſtens, vtpotè immaterialis; probatur ſequela Maioris, nam per Philoſophum nullum violentum eſt durabile, ergò ſi talis ſtatus eſſet violentus animæ rationali non poſſet eſſe illi perpetuus.

12 Tertia concluſio. Status ſeparationis animæ rationali eſt præternaturalis.

13 Probatur ex D. Thoma 1. p. q. 89. art. 1. in corp. vbi ait: *quod modus intelligendi per conuerſionem ad phantaſmata eſt animæ naturalis, ſicut & corpori vniri; ſed eſſe ſeparatam à corpore eſt præter rationem ſuæ naturæ*, ergò ſtatus ſeparationis animæ rationali eſt præternaturalis.

14 Probatur ſecundò ratione. Ille ſtatus eſt præternaturalis alicui rei, qui eſt ſuprà naturam illius, ſed ſtatus ſeparationis eſt ſuprà naturam animæ rationalis, ergò eſt ei præternaturalis, probatur Minor; Anima rationalis, cum ſit pars incompleta compoſiti ſubſtantialis ex ſua natura petit vniri alteri comparti, & illam informare, ergò ſi &c.

15 Probatur tertiò. Quamuis moueri ſurſum ſit naturale igni vt talis eſt, tamèn moueri circulariter ad raptum motus Lunæ non eſt contrà, ſed præter naturam ipſius, ergò pariter licèt ſtatus vnionis animæ rationalis ad corpus ſit naturalis illi vt forma informans eſt, tamèn ſtatus ſeparationis non erit contrà, ſed præter naturam ipſius; Antece-

tecedens patet, consequentia probatur, nam ideò primum, quia motus circularis competit igni ex participatione naturæ superioris, nempè Lunæ, sed etiam status separationis competit animæ rationali ex participatione naturæ superioris, nempè Angelicæ, cum supremum infimi attingat infimum supremi, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur;

16 ARguitur primò contrà primam conclusionem ex D. Thoma p. 2. q. 5. art. 1. ad secundum, vbi ait: *homini secundùm statum præsentis vitæ est connaturalis modus cognoscendi veritatem intelligibilem per phantasmata, sed post huius vitæ statum habet alium modum connaturalem;* Quod videtur etiam docere alijs in locis, ergò status separationis est naturalis animæ rationali.

17 Respondetur cum Bannes explicando Sanctum Doctorem, & primò quatenùs connaturale opponitur ei, quod est contrà naturam, concedo antecedens, præter naturam, nego antecedens, & consequentiam. D. Tho. ergò appellat talem modum connaturalem, quia non est violentus, sed præternaturalis, cum de facto loco citato ex 1. p. dicat esse præter naturam; Et ratio est, quia præternaturale est medium inter violentum, & naturale, & medium comparatum cum vno extremo videtur esse aliud extremū, sicut de qualitatibus docet D.Th.1.p.q.50.ar.1.ad 1.

18 Respondetur secundò, quod talis status est connaturalis homini ex suppositione, absolutè autem præternaturalis; Sicut calefacere est naturale aquæ ex suppositione, quod sit calida, quamuis absolutè non sit ei naturale calefacere, sed potiùs infrigidare.

19 Instabis primò. Illud est connaturale alicui absolutè, & quatenùs contradistinguitur à præternaturali, quod profluit, & dimanat ex proprijs, & specificis principijs ipsius, sed status separationis dimanat à proprijs, & specificis principijs animæ rationalis, ergò est ei naturalis absolutè, & non ex suppositione; probatur Minor; Anima rationalis est spiritualis, immaterialis, & incorruptibilis, ergò status separationis dimanat à proprijs, & specificis principijs ipsius; consequentia probatur, ideò status separationis dimanat à proprijs, & specificis principijs naturæ Angelicę, quia est spiritualis, immaterialis, & incorruptibilis, ergò si &c.

20 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego consequentiam; ad probationem distinguo antecedens, per hoc, & quia natura Angelica est forma completa, habens rationem totius, concedo antecedens, per hoc præcisè, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè disparitas est inter naturam Angelicam, & animam rationalem, nam anima rationalis est spiritualis, immaterialis, & incorruptibilis, sed incompletè habens rationem partis; Natura verò Angelica est talis completè, & habet rationem totius; Vndè naturæ Angelicæ est connaturalis status separationis absolutè, quatenùs connaturale distinguitur à præternaturali, non verò animæ rationali.

21 Instabis secundò. Sicut animæ rationali conuenit, quod sit incompleta, & compars, ità illi conuenit, quod sit spiritualis, & immaterialis, sed quia est incompleta, & pars est illi connaturalis status vnionis in corpore, ergò quia est spiritualis, & immaterialis erit ei omninò naturalis status separationis à corpore.

22 Respondetur distinguendo Maiorem, spiritualis, & immaterialis incompletè, concedo Maiorem, completè, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Anima ergò rationalis est vtiquè spiritualis, & immaterialis, sed incompletè, vndè status separationis à corpore est ei præternaturalis.

23 Instabis tertiò. Cuilibet formæ corruptibili est connaturale corrumpi ad corruptionem corporis, ergò ab opposito cuilibet formæ spirituali, & immaterial etiam incompletæ erit connaturale existere sinè cor-

corpore; Consequentia probatur; Sicut affirmatio est causa affirmationis, ità negatio est causa negationis, ergò si &c.

24 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, si ambę importent causam adæquatam, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè corruptibilitas est causa adæquata quarè formæ sit naturale corrumpi ad destructionem corporis; immaterialitas autem non est causa adæquata, sed tantùm inadæquata quare formæ sit naturale existere finè corpore, cum vltrà hoc exigatur, quod sit forma completa, & habeat rationem totius, & ideò est dispar ratio.

25 Arguitur secundò. Ille status est magis naturalis animæ rationali, qui dicit Maiorem perfectionem, sed status separationis dicit Maiorem perfectionem, quàm status vnionis ad corpus, ergò status separationis est magis naturalis animæ, quàm status vnionis; Maior patet, nam vnumquodque appetit suam perfectionem; Minor probatur, in statu separationis anima est independens à corpore, & per se subsistens, in statu verò vnionis hoc non habet, ergò &c.

26 Respondetur distinguendo Maiorem, perfectionem proportionatam, concedo Maiorem, improportionatam, nego Maiorem, & distinctè eodem modo Minori, nego consequentiam. Cum enim anima rationalis sit incompleta, & habeat rationem partis perfectio separationis est illi improportionata, vndè est ei præternaturalis. Vltràquàm-quod Maior absolutè est falsa, siquidem motus circularis ignis est magis perfectus, quàm motus sursùm, & tamèn motus circularis non est naturalis igni, sicut est motus sursùm.

27 Arguitur tertiò. Status, quo homo est in vtero Matris est ei connaturalis pro aliquo tempore, scilicet vsquè dùm maturetur fœtus; & etiam status, quo est extrà vterum est ei naturalis post maturationem fœtus, ergò etiam status vnionis cum corpore erit naturalis animæ rationali pro eo tempore, quo est in corpore, & status separationis erit ei naturalis, dum à corpore separatur.

28 Respondetur negando consequentiam. Disparitas est, quia homo non est in vtero Matris finaliter, & vltimatè, sed vialiter, & ratione materiæ, vt scilicet maturetur fœtus, ad hoc vt possit exire ad lucem; Et ideò vterque status est connaturalis homini, cum vnus ordinetur ad alium. Cæterùm anima rationalis est vltimatè, & finaliter in corpore, cum sit facta propter illud, vndè status separationis nequit esse naturalis illi, sed solùm præternaturalis.

29 Arguitur quartò contrà secundam conclusionem. Ille status est violentus, in quo anima exercet aliquid, quod est contrà eius naturam, sed hoc facit dum est in statu separationis, ergò status separationis est violentus animæ rationali; probatur Minor ex D. Thoma 1. p. q. 89. art. 1. in corp. vbi ait, quod intelligere finè conuersione ad phantasmata (quod habet anima in statu separationis) est præter naturam animæ, sicut est præter naturam corporis leuis esse extrà proprium locum, sed leui est contrà naturam esse extrà proprium locum, ergò similiter animæ erit contrà naturam intelligere finè conuersione ad phantasmata, ac ideò anima &c.

30 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, ità quod paritas teneat quò ad aliqua, concedo Maiorem, quò ad omnia, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Paritas ergò D. Thomæ tenet quò ad excludendam naturalitatem ab vtroque statu, non autem ad ponendam rationem violenti, quia anima ab intrinseco habet in statu separationis intelligere finè conuersione ad phantasmata, cum id faciat modo vitali; vndè non potest esse ei contrà naturam, sed tantùm præter naturam. Leue autem non habet à principio intrinseco, quod sit extrà proprium locum, ac ideò est illi contrà naturam.

31 Instabis primò. D Thomas 4. contrà gentes cap. 79. exprefsè dicit, *quod animam esse separatam est contrà naturam animæ*, & 1. p. q. 118. art. 3. in corp. arguit quod quia naturale est animæ vniri corpori, esse finè corpore est sibi contrà naturam. Tamdem

dem 2. contrà gent. cap. 83. facit hanc consequentiam, omne violentū est cōtrà naturā, si igitur vnio animæ ad corpus est violenta ipsa est præter naturā, vbi non distinguit esse contrà naturā, & præter naturam, ergò &c.

32 Respondetur cum Caietano 1. p. loco citato explicando omnes auctoritates Sancti Doctoris. Si consideretur anima rationalis secundùm propriam naturam, concedò antecedens. Si considere ur quatenùs participat aliquid de natura substantiarum separatarum, nego antecedens, & consequentiam. Itaque sicut ignis habet duos motus, alterum naturalem, quo mouetur sursum, & alterum præternaturalem, quo mouetur circulariter sequens motum diurnum, qui competit ei secundùm quod participat naturam superiorem cælestem, ità in proposito cum supremum infimi attingat infimum supremi, anima rationalis habebit duos status, vnum naturalem, qui competit illi secundùm propriam naturam, scilicèt esse cum corpore, & intelligere per conuersionem ad phantasmata, & alterum præternaturalem, scilicet esse extrà corpus, & intelligere per conuersionem ad intelligibilia simpliciter, qui competit illi secundùm quod participat substantias separatas.

33 Instabis secundò. Anima rationalis secundùm suam essentiam est forma incompleta, sed omni formæ incompletæ naturale est esse corpori vnitam, ergò esse ab eo separatam erit contrà naturam; consequentia probatur, quia esse vnitum, & separatum opponuntur, ergò si &c.

34 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, nego consequentiam. Ex eo enim quod esse vnitum, & separatum opponantur solùm sequitur, quod status separationis sit præternaturalis animæ rationalis non enim solùm opponuntur naturale, & violentum, sed etiam naturale, & præternaturale, eo maximè quod anima rationalis participando modum substantiarum separatarum habet, quod non sit contrà eius naturam status separationis.

35 Arguitur quintò. Separatio à corpore, & mors est violenta animæ rationali, ergò etiam status separationis erit illi violentus; antecedens patet, nam anima quantùm potest resistit separationi à corpore, & mortis consequentia probatur; nam si fieri est violentum à fortiori factum esse erit violentum, cum fieri sit propter factum esse, ergò si &c.

36 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, si fieri per se ordinetur ad factum esse, concedo antecedens, si ordinetur tantùm per accidens, nego antecedens, ac consequentiam. Itaquè separatio à corpore, & mors non per se ordinatur ad statum separationis animæ rationalis, sed potiùs ad illius destructionem, statum autem separationis habet anima rationalis, quia immaterialis est, & participat modum substantiarum separatarum; Vndè separatio actualis, & mors potest esse illi violenta, non autem status separationis.

37 Arguitur sextò contrà tertiam conclusionem. Status separationis est perpetuus, & diuturnior, quàm status vnionis ad corpus, ergò nequit esse præternaturalis animæ rationali; antecedens patet, consequentia probatur, quod naturale non est, diuturnum, & perpetuum esse nequit, vt ait Philosophus primò, & secundò de Cælo cap. 5. Et quintò Met. textu 6. ergò si &c.

38 Respondetur negando consequentiam, ad probationem explico Philosophum cum Caietano, si non sit naturale per hoc quod sit contrà naturam, concedo antecedens, per hoc quod sit præter naturam, nego antecedens, & consequentiam. Licèt enim violentum non possit esse diuturnum, & perpetuum, tamen præternaturale potest esse diuturnum, & perpetuum, vt patet in motu circulari ignis, qui perpetuus est, & tamen est præternaturalis, eo maximè quod talem statum participat ex coniunctione, quam habet cum substantijs separatis, quæ sunt perpetuæ.

39 Instabis. Quod est præternaturale non potest esse diuturnius, quàm quod est naturale, sed esse in corpore, quod est naturale animæ rationali, per breue tempus ipsi competit, ergò esse separatum, quod est ei præternaturale nequit semper competere,

tere,

tere, vel si sæpe cópetit erit potiùs naturale.

40 Respondetur primò distinguendo Minorem, per accidens, concedo Minorem, per se, nego Minorem, & consequentiam. Quod enim anima rationalis parùm duret in corpore, hoc habet per accidens, quia scilicet corpus est compositum ex elementis contrarijs, & anima non habet perfectum Dominium suprà corpus, quod si haberet, & cessaret pugna, perpetuus esset talis status, sicut post resurrectionem erit.

41 Respondetur secundò distinguendo Maiorem; Si præternaturale conueniat rei secundùm se, concedo Maiorem, si per participationem alicuius sempiterni, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque status separationis non conuenit animæ rationali secundùm se, & ex sua natura, sed ex eo quod participat modum substantiarum separatarum, quæ cum sint sempiternæ, indè stat, quod status separationis potest esse diuturnior respectu animæ rationalis, quàm status vnionis ad corpus, licèt iste sit naturalis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Anima separata habeat appetitum, & positiuam inclinationem ad vnionem cum Corpore?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quòd appetitus ad aliquid est duplex. Vnus quò ad substantiam, & modum simùl, alius quò ad substantiam tantùm. Primus est ille, qui terminatur ad aliquid sibi proportionatum, & modo naturali assequibile, sicut est appetitus, quem habet lapis ad centrum, & materia prima ad formam naturalem primò habendam. Secundus est, qui terminatur vtique ad aliquod naturale, & proportionatum, sed modo naturali non assequibile, sed tantùm virtute diuina, sicut est appetitus, quem habet oculus ad potentiam visiuam, & materia ad formam amissam.

2 Aduertendum secundò, quod appetitus rursus duplex est, innatus vnus, elicitus alter. Primus est ille, qui habetur absque propria cognitione, & reperitur etiam in inanimatis, sicut grauia appetunt centrum. Secundus est ille, qui habetur præuia cognitione, & reperitur solùm in cognoscentibus. Rursus ille duplex est efficax, & absolutus vnus, inefficax, & conditionatus alter, Primus est ille, qui fertur absolutè in aliquam rem absque suppositione alicuius conditionis. Secundus est ille, qui fertur in rem solùm ex suppositione prærequisitæ conditionis.

3 Aduertendum tertiò, quod cum à priuatione ad habitum non detur naturaliter regressus, nullatenùs fieri potest, quòd Anima separata naturaliter reuniatur corpori, vndè solùm per Dei potentiam absolutam hoc fieri potest. Quærimus ergò quinam appetitus sit in Anima separata ad reunionem cum corpore.

4 Prima sententia negat appetitum innatum in Anima separata ad vnionem cùm corpore. Ità Scotus cùm suis in 4. dist. 43. & 45.

5 Secunda sententia concedit Animæ separatæ appetitum innatum, sed negat elicitum. Ità Suarez.

6 Tertia sententia docet dari in Anima separata appetitum innatum ad vnionem cùm corpore quò ad substantiam, non quò ad modum, & etiam elicitum, inefficacem tamèn, & conditionatum sistendo in lumine naturæ, sed supposita Fide dari etiam appetitum elicitum absolutum, & efficacem. Ità Thomistæ, Vndè sit.

Rr 2 §. II.

§. II.

Veritas aperitur.

7 PRima Conclusio. In Anima separata remanet positiua inclinatio quò ad substantiam ad vnionem cum corpore.

8 Probatur primò. Tunc aliquid habet appetitum innatum ad aliquid quò ad substantiam, quandò est illi proportionatum, nec excedit vires illius, sed vnio cum corpore est proportionata Animæ separatæ, nec excedit vires illius, ergò vera conclusio. Maior patet, nam ideò non datur in homine appetitus innatus quò ad substantiam ad gratiam, & alias formas supernaturales, quia non sunt illi proportionatæ, sed eius vires excedunt; Minor verò probatur, siquidem Anima est essentialiter forma incompleta, & pars compositi substantialis, ergò &c.

9 Probatur secundò. Vnumquodque appetitu innato appetit suam perfectionem, sed vnio cùm corpore est perfectiua Animæ rationalis, ergò Anima separata appetitu innato quò ad substantiam appetit vnionem cum corpore; probatur Minor, sic enim per vnionem cum corpore acquirit esse completum, & habet esse principium plurium operationum, nempè vegetatiuarum, & sensitiuarum, quas se sola nequit elicere, ergò &c.

10 Probatur tertiò. Elementum dùm est extrà propriam sphæram habet naturalem inclinationem ad illam, ergò similiter Anima dùm est extrà proprium corpus habebit naturalem inclinationem ad illud; probatur consequentia, nam sicut propria sphæra est connaturalis elemento, ità corpus est connaturale Animæ, ergò si elementum &c.

11 Probatur vltimò. Appetitus innatus non distinguitur ab entitate rei, & capacitate illius, sed in statu separationis manet entitas Animæ cùm capacitate ad informandum corpus, ergò similiter remanebit appetitus innatus ad reunionem cum illo.

12 Secunda Conclusio. Anima separata non habet appetitum innatum quò ad modum ad vnionem cum corpore.

13 Probatur primò. Tunc aliquid habet appetitum innatum quò ad modum ad aliquid, quandò naturaliter potest illud consequi, sed Anima separata non potest naturaliter consequi reunionem cùm corpore, ergò Anima separata non habet appetitum innatum quò ad modum ad vnionem cùm corpore. Probatur Minor, tùm quia à priuatione ad habitum non datur naturaliter regressus, tùm quia in nullo agente naturali datur virtus ad reuniendam Animam cum corpore, ergò &c.

14 Probatur secundò. Auctor naturæ non dat appetitum expeditum, & quò ad modum, quem non possit explere, sed Deus vt auctor naturæ nequit reunire Animam separatam corpori, ergò non dat Animæ separatæ appetitum expeditum, & quò ad modum ad talem reunionem; probatur Minor, nam resurrectio mortuorum est opus supernaturale, ergò vera Minor.

15 Tertia Conclusio. Anima separata neque habet appetitum elicitum absolutum, & efficacem, sed tantùm inefficacem, & conditionatum ad reunionem cùm corpore.

16 Probatur prima pars. Omnis appetitus elicitus efficax, & absolutus fundatur suprà cognitionem claram, & distinctam, sed naturali lumine nequit cognosci clarè, & distinctè reunio animæ cum corpore, ergò nequit Anima separata habere appetitum elicitum absolutum, & efficacem ad illam; probatur Minor, nam fit modo supernaturali, ergò &c.

17 Probatur secundò. Appetitus elicitus efficax, & absolutus est ille, qui fertur in bonum proprijs viribus assequibile, sed anima separata proprijs viribus nequit assequi reunionem cum corpore, ergò nequit habere appetitum elicitum efficacem, & absolutum ad illam.

18 Probatur secunda pars. Appetitus elicitus inefficax, & conditionatus est ille, qui fertur in bonitatem rei absolutè sumptam, & nudè consideratam, sed reunio animæ cum corpore est bona ipsi animæ separatæ, ergò habebit appetitum elicitum in-

inefficacem, & conditionatum ad illam.

19 Probatur secundò. Appetitu elicito inefficaci, & conditionato potest appeti visio Beatifica ab homine in sua natura relicto, ergò à fortiori poterit appeti ab anima separata reunio cũ corpore; antecedens edocetur in tractatu de Visione Beata; consequentia verò probatur, nam illa est supernaturalis quò ad substantiam, ista verò quò ad modum tantùm, ergò si &c.

20 Vltima Conclusio. Supposita fide in anima separata datur appetitus elicitus efficax, & absolutus ad reunionem cum corpore.

21 Probatur primò. Lumen fidei est supernaturale, ergò per illud potest perfectè cognosci reunio animæ cum corpore, ac per consequens appeti appetitu efficaci, & absoluto.

22 Probatur secundò. Supposita fide datur Spes in Beatis, ad sperandam Gloriam corporis per reunionem cum anima habendam, ergò poterit etiam dari appetitus efficax, & absolutus ad illam.

§. III.

Argumenta soluuntur.

23 ARguitur primò contrà primam Conclusionem. Si Anima separata haberet appetitùm innatum ad reunionem cum corpore quò ad substantiam, hoc ideò esset, quia haberet Maiorem perfectionem vnita corpori, quàm separata, sed hoc est falsum, ergò non habet appetitum innatum ad illam. Maior patet, Minor probatur, nam anima separata habet omnes species, quas habebat dum erat Corpori vnita, & insuper habet alias infusas à Deo, habet modum essendi nobiliorem, & carentiam immersionis in materia, à qua imperficitur, ergò falsum est &c.

24 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo antecedens, & aliàs haber esse incompletum, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaque Anima cum sit essentialiter pars, & pars habeat simpliciter esse perfectius in toto, quàm extrà totum, indè stat quod Anima habet esse simpliciter perfectius, dum est vnita Corpori, quàm dum est separata, licèt propter rationes assignatas habeat Maiorem perfectionem secundùm quid, dum est separata, ac habeat dum est vnita Corpori.

25 Instabis. Id, quod participat modum substantiarum separatarum habet esse simpliciter perfectiùs quàm id, quod talem modum non participat, sed Anima separata participat modum substantiarum separatarum, secùs autem vnita Corpori, ergò perfectius esse simpliciter habet vt separata, quàm vt vnita. Minor patet, Maior quoque videtur clara, nàm substantiæ separatæ sunt simpliciter nobiliores inter omnia entia creata.

26 Respondetur distinguendo Maiorem, Si cætera sint paria, cõcedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam; cum enim pars qua pars sit simpliciter imperfectior toto, & suam perfectionem habeat ex eo quod sit vnita alteri comparti, indè stat quod licèt anima separata participet modum substantiarum separatarum, tamèn erit simpliciter perfectior vt vnita corpori, ac ab illo separata.

27 Arguitur secundò. Si anima separata haberet appetitum innatum cum corpore, sequeretur quòd status separationis esset illi violentus, sed hoc est contrà dicta in articulo antecedenti, ergò non habet appetitum innatum ad vnionem cum Corpore; probatur sequela Màioris, quia graue extrà centrum habet appetitum innatum ad illud, iàm est in statu violento, ergò si &c.

28 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem, distinguo antecedens, quia graue extrà centrum habet appetitum innatum tàm quò ad substantiam, quàm quò ad modum, concedo antecedens, quò ad substantiam tantùm, nego antecedens, & consequentiam. Itaque anima separata habet appetitum innatum ad vnionem cum corpore solùm quò ad substantiam, non verò etiam quò ad modum, sicut habet

gra-

graue ad suum centrum; vndè non sequitur, quod dum est separata sit in statu violento.

29 Arguitur tertiò. Si anima separata haberet appetitum innatum ad vnionem cum corpore, posset naturaliter demonstrari possibilitas Resurrectionis, consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur, nàm appetitus innatus nequit esse frustraneus, ergò si &c.

30 Respondetur eodem modo distinguendo Maiorem. Si haberet appetitum innatum quò ad substantiam, & modum simul, concedo Maiorem, quò ad substantiam tantùm, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Cum enim nullum sit principium naturale, quod possit inducere talem reunionem, nequit anima habere appetitum quò ad substantiam, & modum simul ad illam, cum potiùs natura suadeat à priuatione ad habitum non dari regressum, nec per hoc sequitur non dari appetitum quò ad substan. iam, aut esse frustraneum, cum non sit ad rem impossibilem secundùm se, ex eò quòd iàm fuerit facta vnio animæ cum corpore, & hæc semper retineat rationem partis, sed sit tantùm ad rem impossibilem ex suppositione.

31 Arguitur 4. contrà tertiam Conclusionem. Si anima separata haberet vllum appetitum elicitum ad vnionem cum corpore, posset dari processus in infinitum, sed hic non est admittendus, ergò anima separata nullum habet appetitum elicitum ad vnionem cum corpore; probatur sequela Maioris, nàm facta vnione rursùs posset amitti, & sic denuò appeti, & rursùs habita posset denuò amitti, & ità appeti vsque in infinitum, ergò si &c.

32 Respondetur distinguendo Maiorem, Sincategorematicè, concedo Maiorem, Categorematicè, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Cum enim vnumquodque appetat perfectionem sibi debitam quandò illi deest, iàm anima potest appetere vnionem cum corpore, quæ est perfectio sibi debita, & illa habita quiescere, & rursùs amissa illam appetere vsque in infinitum, eo modo, quo lapis proiectus extrà centrum appetit illud, & materia appetit formas vsque in infinitum, non quidem simul, & Categorematicè, sed successiuè, & sincategorematicè habendas.

33 Arguitur vltimò. Appetitus elicitus est ab anima non vt natura est, sed vt agit per voluntatem, sed vnio perficit animam separatam vt est forma corporis, & natura quædam incompleta, ergò non potest illam appetere appetitu elicito etiam inefficaci, & conditionato.

34 Respondetur concessa Maiori, distinguo Minorem, non tantùm, concedo Minorem, tantùm, nego Minorem, & consequentiam. Cum enim voluntas sit proprietas animæ, & ab illa dimanet, consequenter anima nedùm vt natura est appetit appetitu innato vnionem cum corpore, sed etiam appetitu elicito, qui sequitur ad cognitionem animæ apprehendentem talem vnionem vt sibi conuenientem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Anima separata ferat secùm species, & habitus huius Vitæ?

§. I.

Quædam Præmittuntur.

1 PRo resolutione huius difficultatis suppono tanquàm certum, quòd in anima separata non remanent potentiæ vegetatiuæ, neque sensitiuæ. Huius ratio est, quia destructo subiecto destruuntur omnia accidentia, quæ subiectantur in illo, totum autem compositum est subiectum huiusmodi potentiarum, vndè necesse est, quod eo corrupto

rupto non ampliùs remaneant potentiæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, vt de facto docet D. Tho. p. p. q. 77. a. 8.

2 Suppono secundò intellectum, & voluntatem remanere in anima separata. Cuius ratio est, quia cum tales potentiæ sint spirituales, nec affixæ organo corporeo non recipiuntur in toto composito, sed in sola anima rationali, vndè remanente ipsa anima consequens est quod remaneant etiam tales potentiæ.

3 Suppono tertiò manere in anima separata nedùm intellectum possibilẽ, verùm etiam agentem, eò quia est aliquid incorruptibile carens contrario, vndè non est quòd destruatur. Nec vrget quod in anima separata sit impossibilis actus, & exercitium intellectus agentis. Primò, quia hoc falsum est, nàm Caietanus 3. p. q. 13. a. 9. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 4. Bannez p. p. q. 70. a. 3. cum D. Tho. 3. cont. gent. cap. 45. & p. de Anima a. 15. ad 9. dant intellectui agenti suum actum in anima separata, qui consistit in confortando, & illustrando species, quas retinet, aut de nouo accipit modificando eas, & proportionando quantùm fieri potest intellectui possibili; vndè sicut munus intellectus agentis pro hoc statu est reddere intelligibilia in actu, quæ erant intelligibilia in potentia denudando ea à phantasmatibus, & conditionibus indiuiduantibus, ità quoque eius munus in anima separata est fouere species iàm acquisitas, & proportionare illas ad vsum proprium talis status, sicut & modificare species de nouo infusas ad vsum ipsius animæ. Vltrà quàm quod nullo stante actu remanere potest intellectus agens ad ornatum; eo modo, quo post Resurrectionem vniuersalem remanebunt potentiæ nutritiua, & augmentatiua, etiàm si nullum actum sint habituræ. His suppositis, cum non adsit sententiarum varietas sit.

§. II.

Veritas aperitur.

4 PRima Conclusio. Species acquisitæ in hac vita remanent in anima separata.

5 Probatur primò ex Sacra Scripturâ, nàm Lucæ 16. dicitur. *Recordare fili, quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala:* sed recordatio fit medijs speciebus priùs habitis, ergò remanent tales species.

6 Probatur secundò ratione D. Th. p. p. qu. 89. a. 5. Species intelligibiles non habent contrarium; Similiter sunt in subiecto spirituali, nempè in intellectu, ergò non corrumpuntur, sed remanent in anima separata.

7 Secunda Conclusio. In anima separata remanent quoque scientiæ, & habitus acquisiti.

8 Probatur primò ex D. Hieronymo in Epistola ad Paulinum, vbi inquit: *discamus in terris, quorum scientia perseueret nobiscum in Cælo*, ergò de eius mente vera Conclusio.

9 Probatur secundò ratione D. Tho. loco citato: Vnumquodque quod corrumpitur, aut corrumpitur per se, aut per accidens, sed scientiæ, & habitus huius vitæ neque corrumpuntur per se, neque per accidens, ergò nullo modo corrumpuntur; probatur Minor quòad primam partem, quià id corrumpitur per se, quod corrumpitur à suo contrario, sed scientiæ, & habitus non possunt corrumpi à suo contrario, ergò non corrumpuntur per se; probatur Minor, quia contrarium illarum aut esset obliuio, aut falsa argumentatio, sed non possunt corrumpi per obliuionem, quia ista datur tantùm in parte sensitiua, quæ non remanet in statu separationis, neque per falsam argumentationem, quia ibi anima non intelligit componendo, aut diuidendo, ergò scientiæ, & habitus in tali statu non possunt corrumpi à suo contrario. Probatur etiã Minor

quò

quò ad secundam partem, quia illa corrumpuntur per accidens, quæ corrumpuntur ad corruptionem subiecti, sed subiectum scientiarum, & habituum non corrumpitur, cum sit intellectus, qui est spiritualis, ergò &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

10 ARguitur primò contrà primam Conclusionem, Si species acquisitæ in hac vita remanerent in anima separata sequeretur quòd duo accidentia solo numero distincta essent in eodem subiecto, consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur. Animæ rationali in statu separationis infunduntur à Deo species omnium rerum cognoscibilium, ergò etiàm illarum rerum, quas cognouit in hac vita, sed tales species essent eiusdem speciei cum illis, quas acquisiuit in præsenti vita, cùm repræsentarent eadem obiecta numero, ergò si species &c.

11 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem, nego Minorem subsumptam, ad probationem, distinguo antecedens, diuerso modo, concedo antecedens, eodem modo, nego antecedens, & consequentiam. Hoc ergò est discrimen, inquit ex D. Tho. Caietanus p. p. q. 89. a. 5. inter speciem v. g. acquisitam lapidis, & speciem infusam, quòd prima adæquatè repræsentat ipsum, & specialiter ordinatur ad ipsum repræsentandum; species verò infusa est vniuersalior, & eminentior, & tantùm inadæquatè repræsentat ipsum lapidem, ex eò, quod etiam alia habet repræsentare; vndè nequeunt esse eiusdem speciei, licèt idem obiectum repræsentent.

12 Arguitur secundò cont. secundà Conc. ex D. Paulo 1. ad Chorinthios 13 asserente, *quod post hanc vitam scientia destruetur*, ergò non remanent scientiæ, & habitus in anima separata.

13 Respondetur explicando Apostolum cum D. Th. loco citato, quò ad actum cognitionis, concedo antecedens, quò ad habitum, nego antecedens, & consequentiam. Destruuntur ergò scientiæ, non quidem quò ad habitum, sed quò ad actum cognitionis, nec quò ad substantiam, sed quò ad modum quatenùs non amplius erit intellectio per conuersionem ad phantasmata, vndè D. Paulus subdit: *nunc cognoscendo ex parte*. Bannez autem ibidem a. 8. plures alias addit explicationes.

14 Instabis. Ecclesiastes 9. dicitur: *mortui nihil nouerunt ampliùs*. Et infrà; *Nec opus, nec ratio apud Inferos*, ergò in anima separata non remanent scientiæ etiam quò ad habitum, & substantiam.

15 Respondetur cum D. Hieronymo, quòd sapientissimus loquebatur in sententia impiorum suadentium alijs post mortem non remanere neque scientiam, neque gloriam, neque pænam, sed somnium perennis mortis. Sicut Psalmista ait, *dixit insipiens in corde suo; non est Deus*.

16 Arguitur tertiò. Si in anima separata remanerent habitus scientiarum acquisitarum essent etiam possibiles earum actus, sed hoc non est dicendum, ergò neque primum; Maior patet, nàm vbi est impossibilis actus, est quoque impossibilis habitus; Minor probatur, actus scientiarum acquisitarum fiunt cum dependentia, & conuersione ad phantasmata, sed hoc nequit fieri in statu separationis, ergò &c. Probatur Maior. Tales actus debent esse consimiles actibus habitis in præsenti vita, cum sint ab eodem habitu, sed actus scientiarum acquisitarum in præsenti vita fiunt cum dependentia, & conuersione ad phantasmata, ergò &c.

17 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo Maiorem, in præsenti vita, concedo Maiorem, in statu separationis, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Ad probationem, distinguo Maiorem, quò ad substantiam, concedo Maiorem, quò ad modum, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Debent ergò esse similes actus talium scientiarum cum actibus habitis in præsenti vita, sed hoc tantùm quò ad substantiam, cum procedant ab eodem habitu, non tamen

men quò ad modum, quia non est consimilis modus intelligendi; in præsenti enim vita accipiuntur species à rebus, & intellectus intelligit conuertendo se ad phantasmata; in statu autem separationis species infunduntur à Deo auctore naturæ, & intellectus etiam per species iam præexistentes intelligit conuertendo sed ad substantias separatas, vndè est dispar ratio. Ità D. Th. ibidem ad 3.

18 Arguitur quartò. Quandò homo infirmatur ob immutationem, quam recipit deperdit scientiam, ergò etiam ipsam deperdet per mortem; antecedens patet, consequentia probatur; immutatio, quæ habetur per mortem est omnium maxima, ergò si &c.

19 Respondetur cum D. Tho. ibidem ad 4. distinguendo antecedens, quantùm ad id quod est in parte sensitiua, concedo antecedens, in parte intellectiua, nego antecedens, & consequentiam. Per ægritudinem ergò deperditur scientia quantùm ad id, quod est in parte sensitiua, non verò intellectiua, quod euenit etiam in morte; & hoc modo debet etiam intelligi Philosophus, quando in primo de Anima textu 66. inquit: *quid corrupto corpore anima neque reminiscitur, neque amat*, loquitur enim de memoria, & appetitu sensitiuo.

20 Arguitur vltimò. Si remanerent scientiæ in anima separata, sequeretur quod homines minùs boni essent potiores hominibus magis bonis, hoc non est dicendum, ergò neque primum. Sequela Maioris probatur. Nam sepè reperiuntur homines minùs boni, qui habitibus scientificis magis abundant, quàm magis boni, ergò si &c.

21 Respondetur cum D. Th. ibidem ad 2. distinguẽdo Maiorem, secundum quid, concedo Maiorem, simpliciter, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Licèt enim quò ad hoc essent potiores homines praui hominibus bonis, tamèn hoc est quasi nullius momenti in comparatione ad alias prærogatiuas, quas boni habebunt. Et est similis disparitas de homine iusto affecto gratia, & alijs donis supernaturalibus respectu Dæmonis, qui naturaliter est comprehensiuus totius entis naturalis, quod homo iustus non habet.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm animæ separatæ in instanti separationis infundantur de nouo species?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis suppono, quòd anima separata debet habere aliquas species sibi debitas pro tali statu, cuius ratio est, quia debet habere aliquam operationem sibi propriam, nàm vt inquit D. Tho. p. p. q. 89. a. p. ex Philosopho 1. de Anima tom. 13. *Si non est aliqua operationum propria Animæ non contingit ipsam separari*; talis autem operatio nequit esse alia, nisi intellectio, quæ vtique fit medijs speciebus, vndè anima separata debet habere aliquas species. Difficultas igitur est an istæ species de nouo infundantur à Deo, an verò sint tantùm illæ, quas habuit in vita præsenti.

2 Prima sententia negat tales species infundi à Deo. Ità Scotus cum sua Schola.

3 Secunda sententia affirmat infundi à Deo vt auctore naturæ. Ità omnes Thomistæ cum suo Angelico Præceptore; vndè sit,

§. II.

Veritas aperitur.

4 PRima Conclusio. Anima separata non potest acquirere nouas species ab obiectis.

5 Probatur 1. ex D. Tho. p. p. q. 89. a. 1. ad 3. vbi ait: *quod Anima separata non intelligit per species innatas, nec per species, quas tunc abstrahit, nec solùm per species conseruatas, sed per species ex influentia diuini luminis participatas*, ergò de mente D. Tho. vera Conclusio.

6 Probatur secundò. Si anima separata acquireret species de nouo ab obiectis, deberet ipsas acquirere medio intellectu agente, sed hoc nequit facere, ergò nequit &c. Maior patet, nàm intellectus agens est ille, qui proportionat obiectum, & reddit illud intelligibile in actu, Minor verò probatur, quia ad hoc vt intellectus agens reddat obiectum proportionatum intellectui possibili, & illud faciat intelligibile in actu indiget sensibus internis, & externis, quorum medio depuretur natura à conditionibus indiuiduantibus, sed in anima separata non dantur isti sensus, ergò &c.

7 Probatur tertiò. Anima separata intelligit ad modum Angelorum, sed Angeli non intelligunt per species acceptas à rebus, ergò neque anima separata. Minor patet, Maior quoque videtur clara, sicut enim est consimilis Angelis in essendo, ità quoque debet esse in operando.

8 Probatur vltimò. Si anima separata desumeret species à rebus non posset intelligere, nisi in determinata distantia, sed hoc non est dicendum, ergò neque primum. Minor patet, nam Lucæ 16. dicitur de Diuite, *quod cum esset in tormentis eleuans oculos suos vidit Abraham à longè*, Maior verò probatur, siquidem agens finitum, & limitatum nequit agere, nisi in determinata distantia, ergò obiectum non posset immittere speciem, nisi in determinata distantia, ac ideò si anima &c.

9 Secunda Conclusio. Anima separata neque intelligit per species ab ipsa dimanantes.

10 Probatur primò. Si anima separata intelligeret per species ab ipsa dimanantes sequeretur, quod esset perfectior Angelis, consequens est absurdum, ergò, & antecedens. Sequela Maioris probatur, nàm Angeli intelligunt per species infusas à Deo, non autem à propria natura dimanantes, maximè in sententia probabiliori, & quæ de facto est D. Tho. p. p. q. 19. a. 1. ad 3. & a. 3. in corpore; sed perfectiùs est intelligere per species à sua natura dimanantes, quàm deforis aduenientes, ergò &c.

11 Probatur secundò. Si species, quas habet anima in statu separationis dimanarent ab eius natura anima contineret in se saltem eminenter omnia obiecta, quorum species ab ipsa dimanarent, sed hoc non est dicendum, ergò species, quas habet anima separata non dimanant ab eius natura; Minor patet, Maior verò probatur; siquidem species in esse repræsentatiuo sunt eiusdem numero naturæ cum suis obiectis, ergò si &c.

12 Tertia Conclusio. Anima separata intelligit per species infusas à Deo auctore naturæ.

13 Probatur primò ex sufficienti diuisione, si enim anima intelligit, & non intelligit per species acceptas à rebus, neque à sua natura dimanantes remanet quod intelligat per species infusas à Deo, & hoc de facto docet D. Tho. loco citato; *dicens ex illustratione diuini luminis deriuari species illas in mentes animarum separatarum*.

14 Probatur secundò. Anima in tali statu habet modum substantiarum separatarum, sed istæ intelligunt per species infusas à Deo, ergò pariter anima in tali statu &c.

15 Quarta Conclusio. Species infunduntur à Deo animæ separatæ cum Maiori, aut Minori vi ad cognoscendum prout magis, vel minùs in ea viget vis intellectus agentis.

16 Probatur primò ex D. Th. q. de Anima a. 15. ad 9. vbi ait, quod anima separata per intellectum possibilem recipit species effluentes à substantijs superioribus, & per intellectum agentem habet virtutem ad intelligendum, ergò &c.

16 Probatur secundò. In anima separata remanet intellectus agens, sed non debet remanere otiosus, ergò debet præstare vim ad intelligendum iuxtà suam virtutem. Minor patet, Maior quoq; videtur clara ex dicto.

ctis in artic. 3. sup. 3.

17 Probatur tertiò. Intellectus possibilis ex se est pura potentia passiua, ergò ad hoc vt intelligat debet habere principium actiuum commensurans species ad vsum, sed hoc principium actiuum aliud non est, quàm intellectus agens, ergò species infunduntur à Deo iuxtà proportionem virtutis intellectus agentis.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

18 Arguitur primò contrà primam Conclusionem. Ideò anima separata non intelligit per species acceptas à rebus, quià intellectus agens nequit ipsas producere, sed hoc est falsum, ergò anima separata intelligit per species acceptas à rebus; probatur Minor, intellectus agens ad præsentiam obiecti in phantasmate producit tales species in intellectu possibili, ergò etiam ipsas poterit producere ad præsentiam obiecti in seipso; consequentia probatur, quia nihil habet obiectum in phantasmate, quod eminentiùs non habeat in seipso, ergò si &c.

19 Respondetur concessa Maiori, negando Minorem, ad probationem, concesso antecedenti, negatur consequentia, ad probationem, distinguo antecedens, diuerso modo, concedo antecedens, eodem modo, nego antecedens, & consequentiam. Itaque obiectum in phantasmate habet esse magis defœcatum, & proportionatum intellectui agenti, ac ideò potest ex ipso educere speciem spiritualem, in seipso autem habet esse omninò in materia immersum, & improportionatum ad hoc vt ex ipso educatur species spiritualis; vndè ad eius præcisam præsentiam non potest illam educere; eo modo, quo agens nequit introducere formam in materiam indispositam, benè verò si sit disposita.

20 Instabis primò. Saltem obiecta immaterialia ex seipsis sunt proportionata cum intellectu animæ separatæ, ergò ex seipsis poterunt imprimere sui speciem, ac ideò anima in tali statu intelliget per species acceptas à rebus; probatur consequentia, ratio quare obiecta materialia id nequeant facere est, quia non sunt proportionata, ergò si &c.

21 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, distinguo antecedens, sufficiens, concedo antecedens, ratio adæquata, nego antecedens, & consequentiam. Ratio ergò prædicta non est adæquata, sed tantùm sufficiens, vndè neq; obiecta immaterialia possunt immittere sui speciem, siuè in intellectu animæ separatæ, siuè in intellectu Angeli, eò quia deberent illabi menti ipsius, cum deberent immediatione suppositi producere huiusmodi species intrà eius intellectum, quia cum species sint spirituales non possunt diffundi per medium; illabi autem est proprium solius Dei.

22 Instabis secundò. Non Minoris efficaciæ est obiectum intelligibile in actu, quàm sensibile in actu, sed sensibile in actu diffundit suam speciem in sensum absque intimo illapsu, ergò etiam obiectum intelligibile in actu, quale est obiectum immateriale diffundet suam speciem in intellectum absque intimo illapsu.

23 Respondetur distinguendo Maiorem, per se, concedo Maiorem, per accidens, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque sensibile in actu potest diffundere suam speciem in sensum absque eo quod intimè illi illabatur, quia cum talis species non sit spiritualis benè potest diffundi per medium. Cæterùm species, quàm immitteret intelligibile in actu, cum esset spiritualis, non posset diffundi per medium, vndè deberet intimè illabi intellectui, vel Angeli, vel animæ separatæ, & ideò per accidens quò ad hoc potest dici, quod habeat Minorem efficaciam, licèt aliundè habeat valde Maiorem, cum per modum speciei impressæ ad sui cognitionem concurrat.

24 Arguitur secundò. Quæ dicunt perfectionem, & competunt alicui in statu minùs perfecto, debent competere illi in statu magis perfecto, sed abstrahere species à rebus sensibilibus dicit perfectionem, & conue-

uenit animæ rationali in statu coniunctionis, qui est minùs perfectus, ergò debet illi quoque competere in statu separationis, qui est magis perfectus.

25 Respondetur distinguendo Maiorem, si dicant perfectionem simpliciter simplicem, & ab omni imperfectione depuratam, concedo Maiorem, si dicant perfectionem admixtam imperfectione, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque abstrahere species à rebus sensibilibus non dicit perfectionem simpliciter simplicem, sed admixtam imperfectione, nimirùm dependentia à rebus sensibilibus in cognoscendo; hanc autem imperfectionem non habet anima in statu separationis, & ideò non habet abstrahere species à rebus; eo modo, quo licèt animæ in statu coniunctionis ad corpus competat intelligere componendo, diuidendo, & discurrendo, hoc tamèn ei non conuenit in statu separationis, quia dicit perfectionem admixtam magna imperfectione.

26 Arguitur tertiò contrà secundam Conclusionem. Anima separata habet modum intelligendi similem Angelis, sed est probabilis sententia in via D. Th. quòd Angeli intelligant per species ab eorum essentia dimanantes, ergò similiter id habebit anima separata; probatur Minor, nàm defenditur à Bannez, & Nazario, & pro ea citatur etiam Capreolus, & Caietanus, & tandem innititur D. Tho. p. p. q. 54. a. 3. ad 1. & q. 55. a. 2. ergò &c.

27 Respondetur primò oppositam sententiam esse probabiliorem, & doceri à Ferrariensi, Nauarette, Salmaticensibus, Io: à S. Tho. Gonet, & communiùs à Thomistis, imò esse expresse D. Th. p. p. q. 89. a. 1. ad 3. & a. 3. vbi loquitur tàm de Anima separata, quàm de Angelis; nec quidem in locis relatis in argumento sentit oppositum, sed solùm vult Angelos ab initio connaturaliter habere à Deo species quasi congenitas totius Vniuersi, quatenùs illis infunduntur in instanti suæ Creationis.

28 Respondetur secundò in alia sententia negando consequentiam. Disparitas est quia anima est forma incompleta non conueniens cum Angelis in gradu intellectuali completo, vndè nequit radicaliter præcontinere species omnium rerum tanquàm proprias passiones, sicut potest facere substantia Angelica, quæ est forma completa.

29 Arguitur quartò contrà tertiam Conclusionem. Si species animæ separatæ essent infusæ à Deo sequeretur quod essent supernaturales; consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur, quod enim infunditur à Deo, & ab ipso solùm effici potest, supernaturale est, ergò si &c.

30 Respondetur negando sequelam Maioris, & ad probationem, distinguo antecedens, vt auctore supernaturali, concedo antecedens, vt auctore naturæ, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò quod infūditur, & creatur à Deo vt auctore supernaturali sit supernaturale, tamèn quod infunditur, & producitur à Deo vt auctore naturæ naturale est, vt patet in Angelis, & ipsa anima rationali; vndè non sequitur tales species esse supernaturales, quià vt inquit hic D. Th. Deus est auctor non solùm influentiæ gratuiti luminis, sed etiā naturalis.

31 Arguitur vltimò. Si anima separata haberet species infusas à Deo cognosceret futura contingentia, & cogitationes cordium, sed hoc neque Angelis conceditur, ergò non intelligit per species infusas à Deo; probatur sequela Maioris, ad eorum cognitionem solùm requiritur potentia cognoscitiua, & species representatiua, sed totū hoc daretur in anima separata, ergò &c.

32 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem, distinguo Maiorem, representatiua in actu secundo, concedo Maiorem, in actu primo, nego Maiorem, & ità distincta Minori, nego consequentiam; ad cognitionem ergò non solùm requiritur quòd species sit representatiua in actu primo, verùm etiam in actu secundo; ad representationem autem in actu secundo, & exercitam requiritur tanquàm conditio sine qua non existentia futurorum, & manifestatio cogitationum cordis.

AR-

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Anima separata intelligat, & quomodo?

§. I.

Quædam præmittuntur.

1 PRo resolutione huius difficultatis advertendum est duobus modis posse controuerti Animam rationalem intelligere. Primò per conuersionem ad phantasmata, & componendo, diuidendo, aut discurrendo. Secundò per conuersionem ad substantias separatas, & modo Angelico, seù simplici intuitu. Quærimus ergò an Anima separata intelligat, & si intelligit, quonam ex istis modis intelligat.

§. II.

Veritas aperitur.

2 PRima Conclusio. Secundùm Fidem Anima separata habet operationem, quæ est intelligere.

3 Probatur primò ex illo Lucæ 16. vbi Anima diuitis Epulonis vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & etiàm cognouit se habere quinque Fratres. Item Sapientiæ 5. constat damnatorum Animas cognoscere proprias pœnas, & præmia Sanctorum. Prætereà certum est de Fide, quòd Animæ Sanctorum separatæ vident Deum, & quòd orant pro ijs, qui sunt in Ecclesia vt dicitur 2. Macabeorum cap. 15. nec non pro vnione ad propria corpora, vti habetur Apocalysis 6. vndè cùm Visio, & Oratio sit actus intellectus certum est secundùm Fidem Animas separatas intelligere.

4 Probatur secundò. De Fide est Animam rationalem esse immortalem, ac permanere separatam à corpore, sed omnis res est propter suam operationem, ergò post mortem oportet quod remaneat aliqua eius operatio, quæ certè alia non erit, quàm intelligere.

5 Secunda Conclusio. Etiàm ratione naturali constat Animam separatam intelligere.

6 Probatur primò. Ideò dantur species in Anima ad hoc vt illis mediantibùs intelligat, sed de facto in Anima separata remanent species acquisitæ in hac vita, & etiam aliæ infunduntur à Deo in instanti separationis, ergò etiam naturali ratione constat Animam separatam intelligere.

7 Probatur secundò. Etiam ratione naturali constat Animam rationalem esse immortalem, ac ideò separatam à corpore existere, sed in tali statu non priuatur sua potissima operatione, aliàs esset in statu violento, ergò illam habet; sed potissima operatio Animæ rationalis est intelligere, ergò etiam ratione naturali &c. Imò nedùm intelligit, sed etiam semper est in actu intelligendi, quia semper est in actu vitæ, vita autem Animæ separatæ est intelligere. Hinc meritò D. Hieronymus in Epistola ad Pamachium irridet asserentes, Animas infantium post mortem adhuc in Limbo ad modum glirium immobiles, torpentesque, & quasi somno sopitas permanere.

8 Tertia Conclusio. Anima separata non intelligit componendo, diuidendo, aut discurrendo, sed modo Angelico, & simplici intuitu.

9 Probatur primò ex D. Tho. 1. p. q. 89. art. 1. 3. cont. gent. cap. 48. in fine, ac demùm quæst. 24. de veritate art. 11. in fine, vbi docet Animam separatam intelligere modo Angelico, ergò de mente D. Tho. vera conclusio.

10 Probatur secundò. Quia modus operandi sequitur modum essendi, sed Anima separata habet modum essendi Angelorum, ergò

ergò etiam habebit modum operandi illorum, ac ideò intelliget modo Angelico, & simplici intuitu.

11 Probatur tertiò. Ille intellectus discurrit, qui transit de potentia ad actum in ordine ad acquirendas species intelligibiles, sed Anima separata non transit de potentia ad actum in ordine ad acquirendas species intelligibiles, ergò non intelligit componendo, diuidendo, aut discurrendo, sed modo Angelico, & simplici intuitu, Maior patet, discursus enim est quidam motus intellectualis, quo intellectus de vno cognito transit ad aliud acquirendum, Minor verò probatur, nàm in instanti separationis omnes species infunduntur à Deo.

12 Quarta Conclusio. Anima separata intelligit per conuersionem ad substantias separatas.

13 Probatur primò ratione D. Th. 1. p. q. 89. art. 1. in corpore. Modus operandi cuiuscunque rei sequitur modum essendi ipsius, sed Anima rationalis habet diuersum modum essendi dùm est vnita corpori, ac dùm est ab illo separata, ergò habebit quoque diuersum modum operandi, sed dùm est vnita corpori intelligit per conuersionem ad phantasmata, ergò dùm est ab eo separata intelligit per conuersionem ad substantias separatas.

14 Probatur secundò. Anima separata nequit intelligere per conuersionem ad phantasmata, ergò necesse est quod intelligat per conuersionem ad substantias separatas; antecedens patet, nam tunc est separata à phantasia, & ab omnibus instrumentis Animæ sensitiuæ; probatur consequentia, siquidem per conuersionem ad aliquod debet intelligere, ergò si &c.

15 Probatur tertiò. Naturale est imperfecto in operando conuerti ad perfectum, & ab eius influxu confortari, sed Anima rationalis est in infimo gradu substantiarum separatarum, ergò intelligere debet per conuersionem ad illas; Minor patet, nàm sic omnia in Vniuerso sunt disposita, vt inferiora per superiora regantur.

16 Probatur vltimò. Deus infundit species Animabus separatis mediantibus Angelis, cùm habeat perficere inferiora per superiora, sicut etiam illuminat Angelos inferiores per superiores, ergò Animæ separatæ semper inclinabunt ad cognoscendum cùm subordinatione, & conuersione ad illa.

§. III.

Argumenta soluuntur.

17 Arguitur primò contrà primam conclusionem ex Psalmo 145. vbi dicitur: *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*. Item Ecclesiastes 9. habetur: *Melius est Canis viuus Leone mortuo, viuentes enim sciunt se morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius*. Tandem Io: 9. dicitur. *Venit nox, quandò nemo potest operari*, ergò in Anima separata nulla erit intellectio.

18 Respondetur ad primam auctoritatem cùm D. Gregorio homilia 39. *quod peribunt cogitationes filiorum in morte, quas de futuro habent in hac vita, & omnes conatus eorum frangentur, sicut constat ex illo exemplo Lucæ 12. de illo diuite, qui cogitabat apud se dicens: Destruam horrea mea, & dictum est illi: stulte hac nocte repetent à te Animam tuam, hæc, quæ congregasti cuius erunt?* Ad secundam respondetur ex D. Hieronymo, quod sapiens non loquebatur in propria sententia, sed in persona impiorum negantium Dei Prouidentiam, & immortalitatem Animæ; vndè Sapientiæ 2. dicebant. *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus*; Salomonē autē frequēter loqui in persona impiorum ex professo docet D. Gregorius lib. 4. moralium cap. 4. Ad tertiam respondetur cùm D. Gregorio homilia 13. quod post mortem nemo operari potest quantùm ad rationem meriti, vel demeriti, non autem absolutè.

19 Arguitur secundò contrà secundam conclusionem ex Philosopho primò de Anima textu 66. vbi ait. Interiori sensu corrupto, & ipsum intelligere corrumpitur, sed

per

per mortem corrumpitur interior sensus, ergò & intelligere, ac ideò Anima separata nihil intelligit.

20 Respondetur explicando Philosophum quò ad modum, concedo Maiorem, quò ad substantiam, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Corrupto ergò interiori sensu corrumpitur intelligere quò ad modum tantùm, nempè cùm conuersione ad phantasmata, & cùm dependentia ab illis, & quidem tale intelligere non reperitur in Anima separata, cùm intelligat per conuersionem ad substantias separatas.

21 Instabis primò. Eo ipso, quod Anima non intelligit per conuersionem ad phantasmata nullo modo intelligere potest, ergò in statu separationis nullatenùs intelliget. Probatur antecedens, nam vt dicitur 3. de Anima textu 39. Phantasmata comparantur ad Animam rationalem, sicut colores ad visum, sed potentia visiua nihil potest videre, nisi conuertendo se ad colores, ergò &c.

22 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Maiorem, in ordine ad cognitionem naturalem, concedo Maiorem, praeter naturalem, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo, loquitur enim Philosophus de intellectione naturali, non verò praeternaturali, cuiusmodi est cognitio, quam habet Anima in statu separationis, per conuersionem ad substantias separatas.

23 Instabis secundò. Philosophus 3. de Anima textu 67. dicit, quod intelligere est actio coniuncti sicut aedificare, & texere, sed morte perit compositum, ergò etiam facultas intelligendi.

24 Respondetur explicando Philosophum, ità quod coniunctum sit principium *quod*, concedo Maiorem, *quo* nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Coniunctum ergò est principium *quod* intelligendi, Anima autem in statu coniunctionis principium *quo*, quae tamen separata remanens euadit principium *quod*, quia in statu separationis, vt inquit Caietanus fit semipersona.

25 Arguitur tertiò. Si Anima separata intelligeret, sequeretur quòd differret specie à se ipsa quandò est in corpore, consequens est absurdum, ergò & antecedens, sequela Maioris probatur, quae habent operationes specie diuersas sunt etiàm specie diuersa, sed si Anima separata intelligeret talis intellectio esset specie diuersa ab intellectione Animae coniunctae, ergò si &c. probatur Minor. In statu separationis intelligeret per conuersionem ad substantias separatas, in statu autem coniunctionis per conuersionem ad phantasmata, ergò &c.

26 Respondetur negando sequelam Maioris, ad probationem negatur Minor, ad probationem distinguitur antecedens, ità quod solùm intelligere per conuersionem ad phantasmata sit connaturale ipsi Animae, concedo antecedens, ità quod vtrumque sit illi connaturale, nego antecedens, & consequentiam. Itaque licet intelligere per ordinem ad superiora, & intelligere per conuersionem ad phantasmata videantur inter se specie distingui, tamèn primum est praeter naturale ipsi Animae, vndè nequit causare distinctionem specificam in Anima, dum est in statu separationis, & coniunctionis.

27 Arguitur quartò. Anima separata nullis potest vti speciebus, ergò nullatenùs potest intelligere. Probatur antecedens, si posset vti aliquibus speciebus, vel posset vti speciebus acquisitis in hac vita, vel acquisitis post mortem, vel infusis à Deo, nullum horum est dicendum, ergò Anima separata &c. Maior patet, & Minor probatur primò quò ad primam partem, siquidèm primò potest dari casus, quòd nullas in hac vita acquisierit vt constat in infantibus in vtero Matris obeuntibus; Secundò, quià istae repraesentant cum dependentia à phantasmatibus, quae nonadsunt in sta u separationis; Quò ad secundam partem probatur, post mortem non mouetur intellectus siquidem ab obiecto externo, cùm tunc non sit phantasia, nec sit maior ratio cur potiùs ab hoc, quàm ab illo obiecto moueatur, ex eo

quod

quod non est sensus determinans potiùs ad vnum, quàm ad aliud; Quò ad tertiam partem probatur, nam infundere species est actus liber respectu Dei, ergò potest illum non elicere, ergò &c.

28 Respondetur negando antecedens, ad probationem dico quod potest vti speciebus etiam acquisitis in hac vita, & infusis à Deo; Ad primam probationem respondetur quod infantes sic obeuntes solùm possunt vti speciebus infusis à Deo, cùm nullas acquisierint. Ad secundam probationem respondetur, id verum esse naturaliter, non verò præternaturaliter. Ad vltimam probationem distinguo antecedens, absolutè, concedo antecedens, ex suppositione, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo. Ex suppositione ergò quod Deus conseruet Animā in statu separationis tenetur quoque illi species infundere ad hoc vt possit operari, qui enim dat formam, debet quoque dare consequentia ad formam.

29 Arguitur quintò contrà tertiam conclusionem. Anima secundùm suam vltimam differentiam est rationalis, ergò hoc etiam habebit in statu separationis, ac ideò intelliget discurrendo. Antecedens patet, consequentia probatur, nam in tali statu conseruat suam vltimam differentiā, ergò si &c.

30 Respondetur distinguendo antecedens, exigitiuè, concedo antecedens, exercitè, nego antecedens, & consequentiam; Sicut ergò accidens exigitiuè alteri inhæret, ità tamen quòd præter suam naturam per se exercitè stet, vt patet in Sacramento Altaris, ità pariter Anima intellectiua est exigitiuè rationalis, & petit intelligere discurrendo, tamen in statu præternaturali, qualis est status separationis exercitè potest intelligere modo Angelico, & sinè conuersione ad phantasmata.

31 Arguitur sextò. Anima separata specie distinguitur ab Angelo in essendo, ergò etiam debet distingui in operando, sed Angelus intelligit simplici intuitu, ergò Anima separata hoc modo intelligere nequit.

32 Respondetur distinguendo vltimum consequens, exigitiuè, concedo consequentiam, exercitè, nego consequentiam; Ad hoc enim vt Anima separata specie distinguatur ab Angelo sufficit quòd exigitiuè non intelligat simplici intuitu, licèt id facere possit exercitè, sicut accidens essentialiter distinguitur à substantia per hoc quòd exigitiuè inhæret alteri, licèt quandoque id non habeat exercitè, quod tamèn debet verificari tàm de accidenti, quàm de Anima separata, dùm sunt in statu præternaturali.

33 Arguitur vltimò contrà vltimam conclusionem. Si Anima separata intelligeret per conuersionem ad superiora sequeretur quod talis status esset ei connaturalissimus, sed hoc est contrà dicta, ergò non intelligit per conuersionem ad superiora. Minor patet, sequela Maioris probatur; vnumquodque magis inclinat ad id, quod est melius, sed meliùs est intelligere per conuersionem ad superiora, quàm ad phantasmata, ergò &c.

34 Respondetur cum D. Tho. 1. p. loco citato in corpore negando sequelam Maioris, ad probationem distinguo Minorem, absolutè, concedo Minorem, comparatiuè, nego Minorem, & consequentiam. Licèt ergò absolutè, & simpliciter sit meliùs intelligere per conuersionem ad substantias separatas, quàm ad phantasmata, tamèn comparatiuè ad Animam separatam hoc non est melius, quia talis modus cognoscendi imperfectissimo modo participatur ab illa; in omnibus enim substan-tijs intellectualibus inuenitur virtus intellectus per influentiam Diuini Luminis, quod quidem in principio est vnum, & simplex, sed quantò magis creaturæ intellectuales distant à primo principio, tantò magis diuiditur illud lumen, & diuersificatur, sicut accidit in lineis à centro egredientibus; vndè cùm Anima separata sit omnium creaturarum intellectualium infima magis imperfectè participat illud lumen.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Anima separata cognoscat omnia entia naturalia distinctè, & perfectè, an potiùs confusè, & in communi?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quod Anima separata dupliciter intelligere potest primò per species in instanti separationis infusas, secundò per species, quas in præsenti vita acquisiuit, istæ enim, vt suprà dictum est, remanent in Anima separata; Difficultas in præsenti non est quò ad species acquisitas, istæ enim cùm sint desumptæ ab ipsis obiectis non omnia entia naturalia repræsentant, & aliundè cum sint dearticulatæ, & proportionatæ ipsi Animæ certum est quod per ipsas quidditatiuè, & distinctè obiecta cognoscit, vndè tota difficultas deuolui ur ad species infusas.

2 Aduertendum est secundò, quod cùm modus cognoscendi consequatur modum essendi connaturale est Angelis intelligere per species inditas à Deo, quæ nullum ordinem dicunt ad materiam, sicut non dicunt ipsi Angeli; Animæ verò intellectiuæ proprium, & connaturale est intelligere per species, quæ dicunt ordinem ad Materiam, & phantasmata, sicut dicit ipsa Anima, quapropter sicut præter naturam Animæ est quod sit absque corpore, ità etiam præter naturam ipsius est quod intelligat per species infusas, quæ sunt alterius rationis ab acquisitis, vtporè non eductæ à phantasmatibus, & consequenter non possunt esse illi proportionatæ.

3 Aduertendum est tertiò, quod ad hoc vt aliqua potentia per species intelligibiles cognoscat perfectè, & distinctè aliqua obiecta non sufficit, quod in se habeat species, quæ secundùm se repræsentent perfectè talia obiecta, sed vlterius requiritur, quod virtus potentiæ sit proportionata illi formæ intelligibili, & ipsi obiecto, quod repræsentat, alias nunquam procedet perfecta operatio ab illa potentia mediante eiusmodi forma; quemadmodum oculi debiles si maximam lucem recipiant minùs perfectè vident, qua ratione D. Augustinus libro 7. Confessionum cap. 16. inquit; *oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis.* Et de Dauid habetur primò Regum cap. 17. quòd armis Saul indutus non poterat ad bellum procedere, propterea quod illi non erant proportionata, & hac de causa D. Tho. 1. p. q. 89. art. 1. inquit: *quod est commune omni substantiæ separatæ quod intelligat ea, quæ sunt infrà se secundùm modum suæ substantiæ.*

4 Prima sententia tenet Animam separatam per huiusmodi species cognoscere perfectè, & distinctè omnia entia naturalia demptis Angelis, quia est illis inferior. Ità aliqui auctores, quos suppresso nomine citat Bannez 1. p. q. 89. art. 3.

5 Secunda sententia docet Animam separatam per illas species infusas cognoscere omnia entia naturalia solùm imperfectè, confusè, & in communi. Ità Caietanus, Bannez loc. cit. Lerma 3. de Anima q. 32. & alij; Vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

6 PRima Conclusio. Anima separata per species infusas cognoscit omnia entia naturalia.

7 Probatur primò ex D. Tho. 1. p. q. 89. art. 3. Anima separata intelligit per species,

quas recipit ex influentia Diuini luminis, sed istæ repræsentant omnia entia naturalia, ergò Anima separata intelligit omnia entia naturalia; Minor probatur, tales species deriuantur à Deo auctore omnium entiũ naturaliũ, ergò &c. Nec tamèn indè sequitur cognoscere etiam entia supernaturalia, nàm deriuantur solùm à Deo, vt auctore naturæ, non verò vt auctore supernaturali.

8 Probatur secundò. Anima separata cognoscit ad modum Angelorum, sed Angeli cognoscunt omnia entia naturalia, ergò etiam Anima separata.

9 Secunda Conclusio. Anima separata cognoscit omnia entia naturalia solùm in confuso, & in communi.

10 Probatur primò ex D. Tho. loco cit. vbi postquàm dixit quod Anima separata intelligit per species, quas recipit ex influentia Diuini Lum'nis, sicut & Angeli; subdit: *sed tamèn quia natura Animæ est infrà naturam Angeli, cui iste modus cognoscendi est naturalis Anima separatæ propter huiusmodi species non accipit perfectam rerum cognitionem, sed quasi in communi, & confusam:* Item quæst. vnica de Anima art. 18. & 20. inquit; *Animam separatam non cognoscere rerum quidditates, nisi in quadam confusione, & vniuersalitate, sicut cognoscuntur res in principijs vniuersalibus; vndè de omnibus rebus materialibus cognitionem non habet certam, & propriam, sed communem, & confusam;* quibus verbis motus Caietanus tractatu 5. de ente, & essentia quæst. 14. dicit Animam separatam propter species infusas, nec Bouem, nec Leonem posse quidditatiuè cognoscere, sed omnia in communi cognoscere: & 1. p. loco citato aduertit quanta sollicitudine vacandum sit scientijs, quia Anima nostra non nisi hic perficitur perfectè, quia cum sit infima inter intellectuales substantias exigit species dearticulatissimas, dearticulatissimæ autem species sunt, quæ sunt singulorum obiectorum singulæ, hoc autem ex phantasmatibus fit, non ex superiorum influxu, vbi omnia sunt vnitè, & distinctè. Hæc Caietanus.

11 Probatur secundò. Ad hoc vt aliqua potentia perfectè, & distinctè cognoscat obiecta per aliquas species, istæ debent esse illi proportionatæ, sed tales species infusæ non sunt proportionatæ Animæ separatæ, ergò non potest per illas perfectè, & distinctè omnia entia naturalia cognoscere; Maior patet ex secundo notabili, Minor probatur, quia tales species non sunt abstractæ à Phantasmatibus, neque dicunt ordinem ad materiam, ad quam dicit ordinem ipsa Anima, ergò &c.

12 Probatur 3. Si Angelo inferiori infunderentur species vniuersaliores, per quas intelligit supremus Angelus non posset per illas ità perfectè cognoscere, sicut ipse supremus Angelus, ergò neque ipsa Anima separata poterit perfectè intelligere per species altioris ordinis. Antecedens patet, nam vnumquodque recipitur ad modum recipientis; consequentia verò probatur. Ideò primum, quià illæ species nõ sunt proportionatæ Angelo inferiori, sed etiàm istæ non sunt proportionatæ Animæ separatæ, ergò eadem ratio &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

13 Arguitur primò contrà primam conclusionem. Dæmones non cognoscunt omnia entia naturalia, ergò neque Anima separata ea cognoscet. Consequentia patet, quia in naturalibus cognitio Dæmonum excedit cognitionem Animæ separatæ, antecedens verò probatur ex D. Isidoro lib. 1. de summo bono cap. 12. vbi inquit: *quod Dæmones multa addiscunt per longi temporis experientiam*, ergò &c.

14 Respondetur negando antecedens, ad probationem explico D. Isidorum cùm S. Doctore hic loquendo de futuris, concedo antecedens, loquendo de existentibus, nego antecedens, & consequentiam. Itaque D. Isidorus loquitur de futuris, quæ nec etiam Angeli boni cognoscunt, nisi in suis causis, vel per Diuinam reuelationem, quod idem dicendum similiter est de liberis, cùm non spectent ad ordinem vniuersi.

15 Ar-

15 Arguitur secundò. Si Anima in statu separationis cognosceret omnia entia naturalia frustrà homines studerent ad rerum scientiam capescendam; consequens est absurdum, ergò & antecedens, sequela Maioris probatur, nam post mortem iam illam sinè labore haberent, ergò &c.

16 Respondetur distinguendo Maiorem, si cognoscerent perfectè, & distinctè, concedo Maiorem, si inconfuso, & in communi, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque cognitio, quæ acquiritur hic per studium, vt inquit D. Tho. est propria, & perfecta; illa autem, quæ habetur post mortem per species infusas est confusa, & in communi, vndè non sequitur quod studium addiscendi sit frustrà.

17 Arguitur tertiò contrà secundam conclusionem ex D. Tho. 1. p. q. 89. art. 2. in corpore, vbi S. Doct. probat quod quià est commune omni separatæ substantiæ quod intelligat id, quod est suprà se, & id, quod est intrà se per modum suæ substantiæ, & cum modus substantiæ Animæ separatæ sit infrà modum substantiæ Angelicæ, sed conformis modo aliarum Animarum separatarum ideò concludit quod de alijs Animabus separatis perfectam cognitionem habet, de Angelis autem imperfectam, & deficientem, loquendo de cognitione naturali, ergò Anima separata per D.Tho. saltem alias Animas separatas, & à fortiori omnia entia materialia, suprà quorum modum essendi est, perfectè, & distinctè cognoscit.

18 Respondetur explicando S.Doctorem, per species in hac vita acquisitas, concedo antecedens, per species in instanti separationis à Deo infusas, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo. Itaque nulla est implicantia in locis S. Doctoris, dum enim in locis suprà citatis in probatione conclusionis negat Animæ separatæ cognitionem perfectam, & distinctam, loquitur de illa, quæ habetur per species infusas, ex eò quod sunt illi improportionatæ, quandò autem in locis citatis in argumento, & alibi ipsi concedit cognitionem perfectam, & distinctam loquitur de illa, quæ habetur per species acquisitas, quæ sunt illi proportionatæ.

19 Instabis primò. Anima separata ne dùm per species acquisitas, verùm etiam infusas perfectè, & distinctè cognoscit omnia entia naturalia, ergò nullatenùs valet illa expositio; probatur antecedens, Angelus infimus per species infusas à Deo perfectè, & distinctè cognoscit omnia entia naturalia, etiam Angelos superiores; imò in probabili sententia Thomistarum ipsos comprehendit, ergò similiter anima separata. Antecedens patet, & consequentia probatur. Anima separata attingit modum cognoscendi Angeli infimi iuxtà regulam D. Dionisij cap. 7. de Diuinis nominibus, supremum infimi, attingit infimum supremi, ergò si &c.

20 Respondetur nego antecedens, ad probationem nego consequentiam, & disparitas est, quia species infusæ Angelo infimo sunt proportionatæ illius naturæ, ac proindè potest illis vti ad perfectè cognoscenda omnia entia naturalia, etiam Angelos superiores; species autem inditæ Animæ separatæ sunt illi improportionatæ, cùm sint altioris ordinis, & ideò non potest illis vti ad cognoscenda omnia entia naturalia perfectè, & distinctè, sed tantùm in confuso, & in communi; ad probationem distinguo antecedens, participatiuè, & imperfectè concedo antecedens, essentialiter, & perfectè, nego antecedens, & consequentiam, & ità D. Dionisius explicatur. Supremum enim infimi attingit infimum supremi solùm participatiuè, & imperfectè, non verò essentialitèr, & perfectè, vt patet in cogitatiua, & appetitu hominis, qui ex coniunctione cùm intellectu, & voluntate solùm habent vestigium quoddam discursus, & libertatis, non verò discursum, & libertatem perfectam, & completam, & ità erit in proposito.

21 Instabis secundò. Sicut species infusæ à Deo Angelo infimo sunt illi proportionatæ, ità etiam species infusæ Animæ rationali, ergò tàm Angelus, quàm Anima separata perfectè, & distinctè cognoscet om-

nia entia naturalia; antecedens probatur, siquidem Deus omnia disponit suauiter, & iuxtà rerum naturam, ergò sicut &c.

22 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, quandò tales res sunt in statu naturali, concedo antecedens, quando sunt in statu præternaturali, nego antecedens, & consequentiam. Deus ergò vt auctor naturæ disponit omnia suauitèr, & iuxtà rerum naturam, quandò illæ sunt in statu naturali; Cæterùm cùm status separationis sit præternaturalis Animæ spectat ad Deum infundere species excedentes eius naturam, ad hoc vt modus operandi proportionetur modo essendi.

23 Arguitur quartò. Si Anima separata per species infusas perfectè non cognosceret omnia entia naturalia, hoc proueniret vel ratione ipsius Animæ, vel ratione specierum, neutrum est dicendum, ergò perfectè per illas omnia entia naturalia cognoscit; Maior patet, Minor probatur primò quò ad primam partem, siquidem Angelus inferior perfectè cognoscit superiorem, quamuis sit perfectior ipso; Quò ad secundam partem probatur, nam Adam in statu Innocentiæ habuit perfectam cognitionem omnium rerum naturalium per species infusas à Deo, vt docet D. Tho. 1. p. q. 94. art. 3.

24 Respondetur negando Minorem, & dico pronenire ex speciebus, quæ sunt improportionatæ naturæ Animæ separatæ; ad probationem explico D. Tho. per species infusas per accidens, concedo antecedens, per se, nego antecedens, & consequentiam. Species ergò infusæ in intellectu Adam in sua creatione erant infusæ per accidens, & erant eiusdem rationis cùm acquisitis, vndè per illas poterant perfectè cognoscere omnia entia naturalia, & hoc etiam per tales species posset facere Anima separata. Cæterum species, quæ illi infunduntur in instanti separationis sunt per se infusæ, & sunt diuersæ speciei ab acquisitis; vndè sunt illi improportionatæ, ac ideò per illas nequit perfectè omnia entia naturalia cognoscere.

25 Instabis primò. Christus Dominus habuit species infusas per se, & tamèn perfectissimè cognouit omnia entia naturalia, vt docet D. Tho. 3. p. q. 11. art. 1. ergò licet species Animæ separatæ sint per se infusæ, tamèn per illas perfectè omnia entia naturalia cognoscit.

26 Respondetur distinguo Maiorem, Ità tamèn quod sint supernaturales, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Species ergò infusæ Animæ Christi erant supernaturales, ac ideò perfectissimè per illas omnia entia naturalia cognoscere poterat; species verò infusæ Animæ separatæ sunt naturales, & ideò non potest per illas perfectè omnia entia naturalia cognoscere.

27 Instabis secundò. Species infusæ cuilibet Angelo sunt infusæ per se, & sunt naturales, & tamèn per illas perfectè omnia entia naturalia cognoscunt, ergò licèt species infusæ Animæ separatæ sint infusæ per se, & sint naturales, tamèn per illas perfectè omnia entia naturalia cognoscet.

28 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quià primæ sunt proportionatæ naturæ Angelorum, secundæ verò sunt improportionatæ naturæ Animæ separatæ, quæ cum sit compars, & forma incompleta, sicut petit esse in corpore, ità petit intelligere dependenter à phantasmatibus; vndè sicut separata habet modum essendi præternaturalem, ità pariter habet modum intelligendi præternaturalem.

29 Arguitur quintò. Anima ibi habet perfectiorem modum cognoscendi, vbi habet perfectiorem modum essendi, sed Anima in statu separationis habet perfectiorem modum essendi, ergò & perfectiorem modum cognoscendi; ac ideò perfectè, & distinctè omnia entia naturalia cognoscet, & non solùm confusè, & in communi; probatur Minor. Ideò Angeli sunt substantiæ perfectiores, quia sunt separatæ, ergò &c.

30 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, & quia sunt substantiæ completæ, concedo antecedens, præcisè per hoc, nego antecedens, & consequentiam. Itaque Anima separata cùm sit substantia, & forma incompleta per-

perfectius esse habetdum est in toto, quàm dùm est ab illo separata, ad differentiam Angelorum, qui sunt formæ completę. Vltrà quàm quod Maior est vera, quandò modus essendi est naturalis, non verò præternaturalis, sicut est in præsenti.

31 Arguitur sextò. Species infusæ repræsentant quidditates etiam vsque ad vltimam rationem indiuidualem, ergò anima separata per illas perfectè, & distinctè obiecta cognoscet. Consequentia videtur clara, aliàs frustrà infunderentur à Deo; antecedens verò probatur. Si non repræsentarent quidditates vsque ad vltimam rationem indiuidualem, iam essent diminutæ; consequens est absurdum, ergò & antecedens.

32 Respondetur negando consequentiam. Licèt enim tales species ex se repræsentent quidditates vsque ad vltimam rationem indiuidualem, tamèn quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, & tales species non sunt proportionatæ ipsi animæ separatæ, ideò non sequitur quod per illas perfectè, & distinctè obiecta cognoscat; nec tamèn frustrà infunduntur, cum per illas confusè, & in communi obiecta cognoscat, sicut petit status præternaturalis ipsius.

33 Arguitur vltimò. Supposita cognitione confusa datur in anima separata appetitus innatus ad cognitionem claram, ergò poterit perfectè, & distinctè obiecta cognoscere. Antecedens patet, nam cognito imperfectè obiecto excitatur appetitus in quolibet cognoscente ad claram cognitionem illius; consequentia probatur, appetitus innatus non fertur in aliquod impossibile, ergò si &c.

34 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, si sit capax illius, concedo antecedēs, si nō sit capax, nego antecedens, & consequentiam. Cum ergò animę separatæ non sit debita cognitio clara, & distincta, nec sit capax illius, quia species, quibus vtitur non sunt illi proportionatæ, indè stat, quod non habet appetitum innatum ad claram cognitionem rerum.

35 PRO CORONIDE QVÆSTIONIS QVÆRES PRIMO. An Anima separata cognoscat singularia?

36 Respondetur cum D. Tho. p. p. q. 89. a. 4. quod anima separata aliqua singularia cognoscit, sed non omnia.

37 Probatur primò prima pars ex illo Lucæ 16. vbi de Diuite in inferno dicitur cognouisse se habere quinque fratres, ergò anima separata aliqua singularia cognoscit.

38 Probatur secundò. Anima separata cognoscit per species infusas, sed istæ repræsentant singularia, ergò anima separata aliqua singularia cognoscit. Minor probatur, nàm sicut Essentia Diuina inquantùm est causa vniuersalium, & indiuidualium principiorū repræsentat omnia tùm vniuersalia, tùm singularia, ità species infusæ, quæ sunt quædam similitudines Essentiæ Diuinæ possunt singularia repræsentare, ergò &c.

39 Probatur secunda pars. Species infusæ Angelis sunt valdè perfectiores speciebus infusis animæ separatæ. Similiter intellectus Angelicus est magis efficax, quàm intellectus animæ separatæ, ergò licèt Angeli cognoscant omnia singularia omnium specierum, non tamèn id poterit facere anima separata, sed tantùm cognoscet illa singularia ad quæ determinatur, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem habitudinem, vel per Diuinam ordinationem, vt hic inquit S. Doctor.

40 Arguitur primò. Nulla potentia cognoscitiua remanet in anima separata, nisi intellectus, sed intellectus non est cognoscitiuus singularium, ergò &c.

41 Respondetur distinguendo Minorem, per species acquisitas, concedo Minorem, per species infusas, nego Minorem, & consequentiam. Cum enim intellectus cognoscendo per species acquisitas abstrahat à singularibus non est cognoscitiuus illorum, nisi indirectè, & reflexè; cæterùm per species infusas potest illa etiam directè cognoscere.

42 Ar-

42 Arguitur secundò. Magis est determinata cognitio rerum in singulari, quàm in Vniuersali, sed anima separata non habet determinatam cognitionem de speciebus rerum vniuersalium, ergò multò minùs illam habebit de singularibus.

43 Respondetur distinguendo Minorem, secundùm se, concedo Minorem, ex suppositione, nego Minorem, & consequentiam. Anima ergò separata licèt secundùm se non sit determinata ad cognitionem, neque specierum, neque indiuiduorum, tamèn ex suppositione præcedentis cognitionis, vel alicuius affectionis, vel naturalis habitudinis, & Ordinationis Diuinæ poterit tùm species, tùm indiuidua determinatè cognoscere.

44 Arguitur tertiò. Si anima separata cognosceret singularia, omnia cognosceret, consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur, in anima separata non datur sensus, qui potiùs determinet ad vnum, quàm ad aliud, ergò omnia cognosceret.

45 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego consequentiam; licèt enim hanc determinationem non haberet à sensu, haberet tamèn ab aliqua ex rationibus suprà dictis.

46 QVÆRES SECVNDO'. An distantia localis impediat cognitionem animæ separatæ.

47 Respondetur negatiuè cum D. Tho. loco citato art. 7. & probatur primò ex illo Lucæ 16. vbi dicitur, *quod cum diues esset in tormentis eleuans oculos suos vidit Abraham à longè*, ergò distantia localis non impedit cognitionem animæ separatæ.

48 Probatur secundò. Anima separata non intelligit per species acceptas à rebus, sed per influxum illarum ex Diuino Lumino, sed hoc æqualiter se habet ad propinquum, & distans, ergò distantia localis non impedit cognitionem animæ separatæ.

49 Arguitur primò ex D. Augustino lib. 11. de Cura pro mortuis agenda cap. 13. vbi ait: *quod animæ mortuorum ibi sunt, vbi ea, quæ hic fiunt scire non possunt, sciunt autem ea, quæ apud eos aguntur* ergò distantia localis impedit &c.

50 Respondetur negando consequentiam. Non enim hæc est causa talis ignorantiæ, sed quia segregatæ sunt à conuersatione viuentium, vt infrà dicetur.

51 Arguitur secundò. Distantia localis impedit cognitionem Dæmonum, ergò etiam animæ separatæ; antecedens probatur, nam D. Augustinus in libris de Diuinatione Dæmonum cap. 4. ait: *quod Dæmones propter celeritatem motus aliqua nobis ignota denunciant*, sed agilitas motus ad hoc nihil faceret, si distantia localis cognitionem dæmonum non impediret, ergò &c.

52 Respondetur negando antecedens, ad probationem cum D. Th. dico D. Augustinum loqui secundùm opinionem illorum, qui posuerunt quòd Dæmones habent corpora naturaliter vnita, secundùm quam positionem etiam potentias sensitiuas habere possunt, ad quarum cognitionem requiritur determinata distantia.

53 Arguitur tertiò. Sicut distat aliquis secundùm locum, ità distat secundùm tempus, sed distantia temporis impedit cognitionem, ergò etiam distantia loci illam impediet; probatur Minor, nam anima separata nequit cognoscere futura, ergò &c.

54 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quià ea, quæ distant secundùm tempus non sunt entia in actu, vndè non sunt in se cognoscibilia; quià sicùt aliquid deficit ab entitate, ità etiam deficit à cognoscibilitate, sed ea quæ sunt distantia secundùm locum sunt entia in actu, & idcò in seipsis cognoscibilia.

55 QVÆRES TERTIO'. An anima separata cognoscat ea, quæ hic aguntur?

56 Respondetur cum D. Tho. hic art. 8. negatiuè, & probatur primò ex illo Iob. 14. *sinè fuerint filij eius nobiles, sinè ignobiles non intelliget*, ergò anima separata non cognoscit ea, quæ hic aguntur.

57 Probatur secundò. Anima separata secundùm modum essendi est segregata à conuersatione viuentium, & coniuncta conuer-

uersationi substantiarum spiritualium, quæ sunt à corpore separatæ, ergò nequit cognoscere ea, quæ hic aguntur.

58 Arguitur 1. Si anima separata non cognosceret ea, quæ hic aguntur, non haberet curam de illis, sed habet curam de illis, ergò cognoscit ea, quæ hic aguntur. Probatur Minor ex illo Lucæ 16. *habeo quinque fratres, mitte Lazarum vt testificetur illis, ne veniant in hunc locum tormentorum*, ergò &c.

59 Respondetur negando Maiorem, possunt enim animæ mortuorum habere curam de rebus viuentium, etiam si ignorent eorum statum, sicut nos habemus curam de mortuis eis suffragia impendendo, quamuis eorum statum ignoremus. Vltrà quam quod licèt per seipsas non cognoscant, hoc tamèn possunt facere, vel per animas eorum, qui hinc discedunt, vel per Angelos, seù per Dæmones, vel etiam Spiritu Dei reuelante, sicut Augustinus ait in lib. de Cura pro mortuis capite 15.

60 Arguitur secundò. Frequenter mortui viuis apparent, vel dormientibus, vel vigilantibus, & eos admonent de ijs, quæ hic aguntur, sed hoc non esset nisi ea, quæ hic aguntur cognoscerent, ergò de facto ea cognoscunt. Minor patet, Maior verò probatur, nàm Samuel apparuit Sauli, vt habetur primò Regum 28. ergò &c.

61 Respondetur distinguendo Maiorem, per specialem dispensationem Dei, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Inquit ergò D. Tho. hic, quod quandò mortui viuentibus apparent contingit per specialem Dei dispensationem, vel quod huiusmodi apparitiones fiunt per operationem Angelorum bonorum, vel malorum, etiam ipsis ignorantibus, sicut etiam viui ignorantes alijs viuentibus apparent in somnijs, vt dicit D. Augustinus loco prædicto cap. 10.

62 QVÆRES QVARTO. An anima separata cognoscat seipsam per suam substantiam?

63 Respondetùr affirmatiuè; & probatur primò. Angelus seipsum per suã substantiã cognoscit, ergò similiter anima separata, antecedens est D. Tho. p. p. q. 56. a. 1. & ratio est, quia est sibi intimè præsens, & est eiusdem immaterialitatis; consequentia verò probatur, quia anima separata habet modum essendi, & cognoscendi similem Angelo, ergò si &c.

64 Probatur secundò. Ideò anima in statu coniunctionis non cognoscit se per suam substantiam, sed per speciem superadditam, quià in tali statu est solùm intelligibilis in potentia, sed in statu separationis est intelligibilis in actu, ergò in statu separationis intelliget se per suam substantiam; Minor probatur, in tali statu est absoluta à materia, & est particeps modi essendi substantiarum separatarum, ergò &c.

65 Arguitur primò. Anima separata est pura potentia in genere intelligibili, ergò non cognoscit se per suam substantiam, sed per speciem accidentalem superadditam, antecedens probatur, nàm anima est eadem in statu separationis, ac coniunctionis, sed in statu coniunctionis est pura potentia, ergò etiam in statu separationis erit pura potentia.

66 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo Maiorem, diuersum tamèn modum habens, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque anima separata, vt ostendit D. Tho. p. p. q. 89. a. 2. & q. de Anima a. 17. hoc ipso quod separatur à corpore acquirit modum essendi similem Angelis, & sic fit intelligibilis actu; eo modo quo accidentia ex vi separationis acquirunt esse per se, cum hac tamèn differentia, quod hoc accidentibus est supernaturale, animæ autem est tantùm præternaturale; vndè seipsam per suam substantiam, absque specie superaddita poterit cognoscere.

67 Arguitur secundò. Ad hoc vt aliquid intelligatur non sufficit quod sit præsens intellectui solùm secundùm esse reale, sed requiritur quod sit præsens secundùm esse intentionale, sed anima absque specie superaddita, est solùm præsens suo intellectui secun-

cundùm eſſe reale, non verò ſecundùm eſſe intentionale, ergò nequit ſeipſam per ſuam ſubſtantiam cognoſcere; Maior patet, hac enim ratione color in pupilla exiſtens non cognoſcitur ab oculo, quia non eſt præſens illi intentionaliter, ſed ſolùm realiter; Minor verò probatur, nàm eſſe præſens intentionaliter eſt eſſe præſens per ſpeciem, ergò &c.

68 Reſpondetur diſtinguendo Maiorem, ſi ſit materiale, concedo Maiorem, immateriale, nego Maiorem, & conceſſa Minori, nego conſequentiam. Itaq; præſentia obiecti realis naturalis non impedit cognitionem, niſi quandò eſt materiale, aliàs Deus non poſſet cognoſcere ſeipſum per ſeipſum, & ab alijs abſque ſpecie non poſſet quidditatiuè cognoſci, cum autem anima ſeparata non connotet materiam, ſed ſit purè ſpiritualis in cognoſcendo, ſicut eſt in eſſendo, & in eodem gradu immaterialitatis cum ſuo intellectu, ideò poteſt ſeipſam, per ſeipſam cognoſcere, ſicut hac ratione faciunt Angeli; color autem in pupilla exiſtens eſt materialis, & ideò impedit actum viſionis.

69 QVÆRES VLTIMO. An Anima ſeparata cognoſcat Deum euidenter abſtractiuè quò ad an eſt?

70 Reſpondetur affirmatiuè. Probatur. Naturale eſt intellectui cognitis effectibus aſcendere ad cognitionem ſuæ cauſæ, ſed anima ſeparata cognoſcit multos effectus Dei perfectè, & diſtinctè, & omnia entia naturalia in confuſo, & in communi, ergò cognoſcet quoque Deum euidenter abſtractiuè quò ad an eſt, cum ſit prima Cauſa omnium.

QVÆSTIO

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA

DE POTENTIA OBEDIENTIALI.

CVm potentiæ obedientialis notitia perutilis sit ad multas difficultates, quæ hinc indè agitantur dilucidandas, viamque sternat ad grauiora, quæ de Visione beata, de Gratia, & Sacramentis in Theologicis pertractantur, ideò opere pretium duxi de ea peragere, vt faciliùs intelligi possint, quæ ibi traduntur; sit ergò.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm admittenda sit potentia obedientialis proximè actiua?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quòd sicùt obedientia respicit superiorem, cui parere debet, ità potentia obedientialis respicit agens superius, siuè sit supernaturale, siuè artificiale, vndè dicitur talis in ordine ad quaslibet formas præternaturales, licèt principaliùs denominationem desumat ab ordine ad formas supernaturales, quia denominatio semper à nobiliori desumitur.

2 Aduertendum est secundò, quòd principium actiuum duplex est, remotum, & radicale vnum, sicùt est anima in ordine ad intelligendum, & volendum, eò quod ad tales actus concurrit medijs potentijs proximis, scilicet intellectu, & voluntate. Aliud proximum, & immediatum, quod absquè alio superaddito concurrit ad operationem, vt est intellectus respectu intellectionis, & voluntas respectu volitionis. Non quærimus in præsenti an detur potentia obedientialis actiua remotè, & radicaliter, sed proximè, & immediatè.

3 Prima sententia admittit in rebus creatis potentiam obedientialem proximè actiuam actiuum supernaturalium, quæ tamen non sit congenita cum ipsis rebus, sed à Deo recepta media potentia obedientiali passiua. Ità Cabrera 3. p. q. 1. a. 1. disp. 6. dub. 6.

4 Secunda sententia statuit in rebus creatis potentiam obedientialem proximè actiuam actuum supernaturalium congenitam ipsis rebus, per quam possint producere actus supernaturales. Ità Suarez in Met. disp. 17. sect. 2. Molina p. p. q. 45. a. 5. disp. 2. Granado p. p. tom. 1. tract. 4. disp. 45. Albertinus in Corrol. Theol. q. 3. dub. 12. Ambrosius Machin p. p. tom. 1. q. 12. Hurtado in Phys. disp. 9. sect. 14. & alij.

5 Tertia sententia negat dari hanc potentiam obedientialem proximè actiuam actuum supernaturalium. Ità omnes Thomistæ; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

6 COnclusio prima. Nullatenùs admittenda est potentia obedientialis proximè actiua actuum supernaturalium.

7 Probatur primò ex Sanctis Patribus, Augustino, libro de Gratia Christi, cap. 2.

Et de peccato Originali cap. 32. Ambrosio lib. 1. de Sacramentis cap. 5. Et D. Basilio lib. de Spiritu Sancto cap. 5. vbi docent Baptismum, & cætera Sacramenta habere vim supernaturalem sanctificandi animas ex speciali donatione, & sanctificatione Spiritus Sancti, vel ex Baptismo Christi, quo sanctificauit illud, ergò sentiunt quod virtus, quam habent ad causandam gratiam non est potentia obedientialis actiua illis innata.

8 Respondet Suarez, quòd ista donatio, & sanctificatio consistit in hoc, quòd à Spiritu Sancto designentur sacramenta ad causandos istos effectus, non per communicationem alicuius virtutis supernaturalis, sed per actiuitatem suæ potentiæ obedientialis actiuæ innatæ.

9 Sed contrà primò. Nam Sancti Patres expresè asserunt collatam illis fuisse virtutem sanctificandi ex speciali dono Christi, vel Spiritus Sancti, & specialiter D. Basilius loco citato ait: *istam virtutem in Baptismo non prouenire ex natura aquæ, sed ex dono Spiritus Sancti immissam fuisse illi*. Et D. Cirillus lib. 7. contrà Iulianum ait: *prædictam virtutem esse supernaturalem*, ergò sentiunt hoc non habere ex sola designatione, sed ex virtute supernaturali illis superaddita.

10 Contrà secundò. Si hoc faecerent per solam designationem sequeretur, quòd humanitas Christi, Apostoli, Sacramenta, & Sacerdotes nullam maiorem virtutem haberent ad causandam gratiam, facienda miracula, & transubstantiandum panem in corpus Christi, quàm lapides, & arenæ Maris, consequens est absurdum, ergò & antecedens; Sequela Maioris probatur. Talis designatio nihil intrinsecum ponit in illis, & concursus extraordinarius Dei, quem requiri sentit Suarez, est extrinsecus, cum ponatur in effectu, & non in causa, ergò &c.

11 Contrà tertiò. Sacerdotibus in sua ordinatione tribuitur character, & spiritualis potestas ad consecrandum. Item D. Tho. 3. p. quæst. 13. art. 2. ad 1. docet potestatem, quam habuit Christus ad facienda miracula, & iustificandas animas, quæ est quædam omnipotentia, competere illi ex speciali gratia vnionis. Tandem de Apostolis in ordine ad patranda miracula Matthæi 10. & Lucæ 9. dicitur tributum est illis vt languores curarent, & Dæmones eijcerent, ergò hoc non habuerunt ex sola potentia obedientiali actiua innata, & sola designatione, sed ex virtute superaddita.

12 Probatur 2 ex D. Th. quæst. vnica de Virtutibus, vbi ait: respectu eorum, quæ facultatem naturæ non excedunt, habet homo à natura non solùm principia receptiua, sed etiam principia actiua; respectu autem eorum, quæ facultatem naturæ excedunt, habet homo à natura aptitudinem ad recipiendum. Item prima secundæ quest. 109. art. 1. inquit; *vnaquæque forma indita rebus creatis à Deo habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem, vltrò autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam*. Sic etiam 3. p. quæst. 66. art. 4. docet in Sacramentis nouæ legis residere virtutem intrinsecam ad producendam gratiam, quam dicit esse spiritualem, incompletam, fluentem, & transeuntem, reductiuè pertinentem ad prædicamentum qualitatis, ergò de mente D. Tho. vera Conclusio.

13 Probatur tertiò. Id quod implicat contradictionem nullatenùs potest admitti, sed implicat contradictionem dari potentiam obedientialem proximè actiuam, ergò non potest admitti, probatur Minor, in tali casu esset simul indeterminata, & infinita, & determinata, ac finita, sed hoc implicat contradictionem, ergò &c. Probatur Maior quò ad primam partem, nam extenderetur ad producendum omne producibile, seù non implicans contradictionem, & posset producere effectum perfectiorem, & perfectiorem vsque in infinitum saltem sincategorematicè, ergò &c. Probatur quò ad secundam partem, tùm quia supponitur esse potentiam creatam, tùm quia ponitur à Suarez identificata cum re naturali, quæ finita, & determinata est, ergò &c.

14 Respondet Suarez, quod potentia obe-

obedientialis est vis partialis, & incompleta indigens concursu Dei, coadiuuante illam, & ideò non est infinita, & indeterminata.

15 Sed contrà primò. Nàm ideò Suarez contrà Thomistas probat non dari virtutem superadditam Sacramentis, & aliis rebus ad producendos effectus supernaturales, & miracula, quia talis virtus esset infinita, & indeterminata, & tamèn certum est, quod esset partialis, & incompleta indigens concursu Dei coadiuuante illam, ergò licèt sit talis, tamèn erit infinita &c. Vndè, vt benè Alarcon in ipsum Suarez retorquet; quod negat nobilissimæ, & supernaturali qualitati Thomistarum id ipse concedit cuilibet minutulæ, & despicatissimæ entitati; licèt Thomistæ non dicant vnicam numerò virtutem supernaturalem omnes effectus supernaturales producere, sed pro diuersitate effectuum virtutes supernaturales multiplicent, sicùt pro diuersitate effectuum naturalium virtutes naturales multiplicantur.

16 Contrà secundò. Quià talis potentia obedientialis in eius sententia præstat per se ipsam Physicum, & immediatum influxum in effectum præstantiorem, & præstantiorem vsque in infinitum, ergò oportet quod actu in se ipsa præcontineat actualitatem, qua agere potest producibile perfectius finè termino, ac ideò quod sit infinita, & indeterminata.

17 Probatur quartò. Si daretur potentia obedientialis proximè actiua actuum, & effectuum supernaturalium, vel esset entitatiuè naturalis, & formalitèr supernaturalis, vel esset tàm entitatiuè, quàm formalitèr naturalis, neutrum potest admitti, ergò non datur &c. Maior patet, Minor probatur primò quò ad primam partem, siquidem est implicatorium in terminis, tùm quia nulla entitas supernaturalis potest esse identificata cum naturali, tùm quia ordo supernaturalis est suprà totum ordinem naturæ, tùm denique quià etiam actus ab ea elicitus deberet esse entitatiuè naturalis, & formalitèr supernaturalis, cum potentia tendat ad communicandum actui idipsum, quod præhabet. Quò ad secundam partem probatur. Si potentia tàm entitatiuè, quàm formaliter esset naturalis non posset elicere actum supernaturalem, vel si illum eliceret talis actus deberet esse simul naturalis, & supernaturalis, ergò neutrum est dicendum. Similiter esset, & non esset entitatiuè naturalis, esset vt supponunt Contrarij, eò quià illam identificant cum potentia naturali; non esset, quia actus, quem immediatè respicit est supernaturalis, potentia autem specificatur ab actu.

18 Respondent Contrarij talem potentiam esse naturalem entitatiuè, & supernaturalem formalitèr, & in ratione potentiæ.

19 Sed contrà. Quia quod secundùm suam entitatem non attingit ordinem supernaturalem, nec potest illum attingere secundùm suam actiuitatem, & quatenùs est potentia, quia actiuitas, seù potentia agendi consequitur ad entitatem rei, & est velluti proprietas ab illa resultans, ergò debet cum illa proportionari, qua ratione communiter dicitur quod operari sequitur ad esse, ergò si potentia obedientialis est naturalis quantùm ad substantiam, & entitatem, erit etiam naturalis quantùm ad actiuitatem.

20 Probatur vltimò. Si daretur potentia obedientialis proximè actiua actuum supernaturalium darentur maxima absurda, sed hæc non sunt admittenda, ergò non datur; Sequela Maioris probatur, primò namque sequeretur quod in natura darentur initia gratiæ, & semina quædam rerum supernaturalium, quod est error Cassiani, & aliorum Semipelagianorum. Secundò frustr[à] ponerentur in homine habitus supernatur[a]les ad eliciendos actus Fidei, Spei, & C[a]ritatis, frustrà poneretur in Sacerdote [cha]racter ad consecrandum Corpus Chri[sti], tandem frustrà poneretur lumen gl[oriæ] Beatis ad videndum Deum, cum hi[ctus] talem possent fieri per potentiam o[bedientialem n]aturalium proximè actiuam actuum [suf]ficiens, præue-Tertiò destrueretur gratia [suffici]entia enim sufficiens, & concomitans Theologis, vt red[u]ciens solùm admittitur, & completè po-dat voluntatem pr[o] ... ten-

quas recipit ex influentia Diuini luminis, sed istæ repræsentant omnia entia naturalia, ergò Anima separata intelligit omnia entia naturalia; Minor probatur, tales species deriuantur à Deo auctore omnium entis naturalis, ergò &c. Nec tamèn indè sequitur cognoscere etiam entia supernaturalia, nàm deriuantur solùm à Deo, vt auctore naturæ, non verò vt auctore supernaturali.

8 Probatur secundò. Anima separata cognoscit ad modum Angelorum, sed Angeli cognoscunt omnia entia naturalia, ergò etiam Anima separata.

9 Secunda Conclusio. Anima separata cognoscit omnia entia naturalia solùm in confuso, & in communi.

10 Probatur primò ex D. Tho. loco cit. vbi postquàm dixit quod Anima separata intelligit per species, quas recipit ex influentia Diuini Lum'nis, sicut & Angeli; subdit: *sed tamèn quia natura Animæ est infrà naturam Angeli, cui iste modus cognoscendi est naturalis Anima separatæ propter huiusmodi species non accipit perfectam rerum cognitionem, sed quasi in communi, & confusam:* Item quæst. vnica de Anima art. 18. & 20. inquit; *Animam separatam non cognoscere rerum quidditates, nisi in quadam confusione, & vniuersalitate, sicut cognoscuntur res in principijs vniuersalibus; vndè de omnibus rebus materialibus cognitionem non habet certam, & propriam, sed communem, & confusam;* quibus verbis motus Caietanus tractatu 5. de ente, & essentia quæst. 14. dicit Animam separatam propter species infusas, nec Bouem, nec Leonem posse quidditatiuè cognoscere, sed omnia in communi cognoscere: & 1. p. loco citato aduertit quanta sollicitudine vacandum sit scientijs, quia Anima nostra non nisi hic perficitur perfectè, quia cum sit infima inter intellectuales substantias exigit species dearticulatissimas, dearticulatissimæ autem species sunt, quæ sunt singulorum obiectorum singulæ, hoc autem ex phantasmatibus fit, non ex superiorum influxu, vbi omnia sunt vnitè, & distinctè. Hæc Caietanus.

11 Probatur secundò. Ad hoc vt aliqua potentia perfectè, & distinctè cognoscat obiecta per aliquas species, istæ debent esse illi proportionatæ, sed tales species infusæ non sunt proportionatæ Animæ separatæ, ergò non potest per illas perfectè, & distinctè omnia entia naturalia cognoscere; Maior patet ex secundo notabili, Minor probatur, quia tales species non sunt abstractæ à Phantasmatibus, neque dicunt ordinem ad materiam, ad quam dicit ordinem ipsa Anima, ergò &c.

12 Probatur 3. Si Angelo inferiori infunderentur species vniuersaliores, per quas intelligit supremus Angelus non posset per illas ità perfectè cognoscere, sicut ipse supremus Angelus, ergò neque ipsa Anima separata poterit perfectè intelligere per species altioris ordinis. Antecedens patet, nam vnumquodque recipitur ad modum recipientis; consequentia verò probatur. Ideò primum, quià illæ species nō sunt proportionatæ Angelo inferiori, sed etiàm istæ non sunt proportionatæ Animæ separatæ, ergò eadem ratio &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

13 Arguitur primò contrà primam conclusionem. Dæmones non cognoscunt omnia entia naturalia, ergò neque Anima separata ea cognoscet. Consequentia patet, quia in naturalibus cognitio Dæmonum excedit cognitionem Animæ separatæ, antecedens verò probatur ex D. Isidoro lib. 1. de summo bono cap. 12. vbi inquit: *quod Dæmones multa addiscunt per longi temporis experientiam*, ergò &c.

14 Respondetur negando antecedens, ad probationem explico D. Isidorum cùm S. Doctore hic loquendo de futuris, concedo antecedens, loquendo de existentibus, nego antecedens, & consequentiam. Itaque D. Isidorus loquitur de futuris, quæ nec etiam Angeli boni cognoscunt, nisi in suis causis, vel per Diuinam reuelationem, quod idem dicendum similiter est de liberis, cùm non spectent ad ordinem vniuersi.

15 Ar-

15 Arguitur secundò. Si Anima in statu separationis cognosceret omnia entia naturalia frustrà homines studerent ad rerum scientiam capescendam; consequens est absurdum, ergò & antecedens, sequela Maioris probatur, nam post mortem iam illam sinè labore haberent, ergò &c.

16 Respondetur distinguendo Maiorem, si cognoscerent perfectè, & distinctè, concedo Maiorem, si inconfuso, & in communi, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque cognitio, quæ acquiritur hic per studium, vt inquit D. Tho. est propria, & perfecta; illa autem, quæ habetur post mortem per species infusas est confusa, & in communi, vndè non sequitur quod studium addiscendi sit frustrà.

17 Arguitur tertiò contrà secundam conclusionem ex D. Tho. 1. p. q. 89. art. 2. in corpore, vbi S. Doct. probat quod quià est commune omni separatæ substantiæ quod intelligat id, quod est suprà se, & id, quod est intrà se per modum suæ substantiæ, & cum modus substantiæ Animæ separatæ sit infrà modum substantiæ Angelicæ, sed conformis modo aliarum Animarum separatarum ideò concludit quod de alijs Animabus separatis perfectam cognitionem habet, de Angelis autem imperfectam, & deficientem, loquendo de cognitione naturali, ergò Anima separata per D. Tho. saltem alias Animas separatas, & à fortiori omnia entia materialia, suprà quorum modum essendi est, perfectè, & distinctè cognoscit.

18 Respondetur explicando S. Doctorem, per species in hac vita acquisitas, concedo antecedens, per species in instanti separationis à Deo infusas, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo. Itaque nulla est implicantia in locis S. Doctoris, dum enim in locis suprà citatis in probatione conclusionis negat Animæ separatæ cognitionem perfectam, & distinctam, loquitur de illa, quæ habetur per species infusas, ex eò quod sunt illi improportionatæ, quandò autem in locis citatis in argumento, & alibi ipsi concedit cognitionem perfectam, & distinctam loquitur de illa, quæ habetur per species acquisitas, quæ sunt illi proportionatæ.

19 Instabis primò. Anima separata nedùm per species acquisitas, verùm etiam infusas perfectè, & distinctè cognoscit omnia entia naturalia, ergò nullatenùs valet illa expositio; probatur antecedens, Angelus infimus per species infusas à Deo perfectè, & distinctè cognoscit omnia entia naturalia, etiam Angelos superiores; imò in probabili sententia Thomistarum ipsos comprehendit, ergò similiter anima separata. Antecedens patet, & consequentia probatur. Anima separata attingit modum cognoscendi Angeli infimi iuxtà regulam D. Dionisij cap. 7. de Diuinis nominibus, supremum infimi, attingit infimum supremi, ergò si &c.

20 Respondetur nego antecedens, ad probationem nego consequentiam, & disparitas est, quia species infusæ Angelo infimo sunt proportionatæ illius naturæ, ac proindè potest illis vti ad perfectè cognoscenda omnia entia naturalia, etiam Angelos superiores; species autem inditæ Animæ separatæ sunt illi improportionatæ, cùm sint altioris ordinis, & ideò non potest illis vti ad cognoscenda omnia entia naturalia perfectè, & distinctè, sed tantùm in confuso, & in communi; ad probationem distinguo antecedens, participatiuè, & imperfectè concedo antecedens, essentialiter, & perfectè, nego antecedens, & consequentiam, & ità D. Dionisius explicatur. Supremum enim infimi attingit infimum supremi solùm participatiuè, & imperfectè, non verò essentialitèr, & perfectè, vt patet in cogitatiua, & appetitu hominis, qui ex coniunctione cùm intellectu, & voluntate solùm habent vestigium quoddam discursus, & libertatis, non verò discursum, & libertatem perfectam, & completam, & ità erit in proposito.

21 Instabis secundò. Sicut species infusæ à Deo Angelo infimo sunt illi proportionatæ, ità etiam species infusæ Animæ rationali, ergò tàm Angelus, quàm Anima separata perfectè, & distinctè cognoscet om-

nia entia naturalia; antecedens probatur, siquidem Deus omnia disponit suauiter, & iuxtà rerum naturam, ergò sicut &c.

22 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, quandò tales res sunt in statu naturali, concedo antecedens, quando sunt in statu præternaturali, nego antecedens, & consequentiam. Deus ergò vt auctor naturæ disponit omnia suauitèr, & iuxtà rerum naturam, quandò illæ sunt in statu naturali; Cæterùm cùm status separationis sit præternaturalis Animæ spectat ad Deum infundere species excedentes eius naturam, ad hoc vt modus operandi proportionetur modo essendi.

23 Arguitur quartò. Si Anima separata per species infusas perfectè non cognosceret omnia entia naturalia, hoc proueniret vel ratione ipsius Animæ, vel ratione specierum, neutrum est dicendum, ergò perfectè per illas omnia entia naturalia cognoscit; Maior patet, Minor probatur primò quò ad primam partem, siquidem Angelus inferior perfectè cognoscit superiorem, quamuis sit perfectior ipso; Quò ad secundam partem probatur, nam Adam in statu Innocentiæ habuit perfectam cognitionem omnium rerum naturalium per species infusas à Deo, vt docet D. Tho. 1. p. q. 94. art. 3.

24 Respondetur negando Minorem, & dico prouenire ex speciebus, quæ sunt improportionatæ naturæ Animæ separatæ; ad probationem explico D. Tho. per species infusas per accidens, concedo antecedens, per se, nego antecedens, & consequentiam. Species ergò infusæ in intellectu Adam in sua creatione erant infusæ per accidens, & erant eiusdem rationis cùm acquisitis, vndè per illas poterant perfectè cognoscere omnia entia naturalia, & hoc etiam per tales species posset facere Anima separata. Cæterum species, quæ illi infunduntur in instanti separationis sunt per se infusæ, & sunt diuersæ speciei ab acquisitis; vndè sunt illi improportionatæ, ac ideò per illas nequit perfectè omnia entia naturalia cognoscere.

25 Instabis primò. Christus Dominus habuit species infusas per se, & tamèn perfectissimè cognouit omnia entia naturalia, vt docet D. Tho. 3. p. q. 11. art. 1. ergò licet species Animæ separatæ sint per se infusæ, tamèn per illas perfectè omnia entia naturalia cognoscit.

26 Respondetur distinguo Maiorem, Ità tamèn quod sint supernaturales, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Species ergò infusæ Animæ Christi erant supernaturales, ac ideò perfectissimè per illas omnia entia naturalia cognoscere poterat; species verò infusæ Animæ separatæ sunt naturales, & ideò non potest per illas perfectè omnia entia naturalia cognoscere.

27 Instabis secundò. Species infusæ cuilibet Angelo sunt infusæ per se, & sunt naturales, & tamèn per illas perfectè omnia entia naturalia cognoscunt, ergò licèt species infusæ Animæ separatæ sint infusæ per se, & sint naturales, tamèn per illas perfectè omnia entia naturalia cognoscet.

28 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quià primæ sunt proportionatæ naturæ Angelorum, secundæ verò sunt improportionatæ naturæ Animæ separatæ, quæ cum sit compars, & forma incompleta, sicut petit esse in corpore, ità petit intelligere dependenter à phantasmatibus; vndè sicut separata habet modum essendi præternaturalem, ità pariter habet modum intelligendi præternaturalem.

29 Arguitur quintò. Anima ibi habet perfectiorem modum cognoscendi, vbi habet perfectiorem modum essendi, sed Anima in statu separationis habet perfectiorem modum essendi, ergò & perfectiorem modum cognoscendi; ac ideò perfectè, & distinctè omnia entia naturalia cognoscet, & non solùm confusè, & in communi; probatur Minor. Ideò Angeli sunt substantiæ perfectiores, quia sunt separatæ, ergò &c.

30 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, & quia sunt substantiæ completæ, concedo antecedens, præcisè per hoc, nego antecedens, & consequentiam. Itaque Anima separata cùm sit substantia, & forma incompleta per-

perfectius esse habendum est in toto, quàm dùm est ab illo separata, ad differentiam Angelorum, qui sunt formæ completę. Vltrà quàm quod Maior est vera, quandò modus essendi est naturalis, non verò præternaturalis, sicùt est in præsenti.

31 Arguitur sextò. Species infusæ repræsentant quidditates etiam vsque ad vltimam rationem indiuidualem, ergò anima separata per illas perfectè, & distinctè obiecta cognoscet. Consequentia videtur clara, aliàs frustrà infunderentur à Deo; antecedens verò probatur. Si non repræsentarent quidditates vsque ad vltimam rationem indiuidualem, iam essent diminutæ; consequens est absurdum, ergò & antecedens.

32 Respondetur negando consequentiam. Licèt enim tales species ex se repræsentent quidditates vsque ad vltimam rationem indiuidualem, tamèn quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, & tales species non sunt proportionatæ ipsi animæ separatæ, ideò non sequitur quod per illas perfectè, & distinctè obiecta cognoscat; nec tamèn frustrà infunduntur, cum per illas confusè, & in communi obiecta cognoscat, sicut petit status præternaturalis ipsius.

33 Arguitur vltimò. Supposita cognitione confusa datur in anima separata appetitus innatus ad cognitionem claram, ergò poterit perfectè, & distinctè obiecta cognoscere. Antecedens patet, nam cognito imperfectè obiecto excitatur appetitus in quolibet cognoscente ad claram cognitionem illius; consequentia probatur, appetitus innatus non fertur in aliquod impossibile, ergò si &c.

34 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, si sit capax illius, concedo antecedēs, si nō sit capax, nego antecedens, & consequentiam. Cùm ergò animę separatæ non sit debita cognitio clara, & distincta, nec sit capax illius, quia species, quibus vtitur non sunt illi proportionatæ, indè stat, quod non habet appetitum innatum ad claram cognitionem rerum.

35 PRO CORONIDE QVÆSTIONIS QVÆRES PRIMO. An Anima separata cognoscat singularia?

36 Respondetur cum D. Tho. p. p. q. 89. a. 4. quod anima separata aliqua singularia cognoscit, sed non omnia.

37 Probatur primò prima pars ex illo Lucæ 16. vbi de Diuite in inferno dicitur cognouisse se habere quinque fratres, ergò anima separata aliqua singularia cognoscit.

38 Probatur secundò. Anima separata cognoscit per species infusas, sed istæ repræsentant singularia, ergò anima separata aliqua singularia cognoscit. Minor probatur, nàm sicut Essentia Diuina inquantùm est causa vniuersalium, & indiuidualium principiorū repræsentat omnia tùm vniuersalia, tùm singularia, ità species infusæ, quæ sunt quædam similitudines Essentiæ Diuinæ possunt singularia repræsentare, ergò &c.

39 Probatur secunda pars. Species infusæ Angelis sunt valdè perfectiores speciebus infusis animæ separatæ. Similiter intellectus Angelicus est magis efficax, quàm intellectus animæ separatæ, ergò licèt Angeli cognoscant omnia singularia omnium specierum, non tamèn id poterit facere anima separata, sed tantùm cognoscet illa singularia ad quæ determinatur, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem habitudinem, vel per Diuinam ordinationem, vt hic inquit S. Doctor.

40 Arguitur primò. Nulla potentia cognoscitiua remanet in anima separata, nisi intellectus, sed intellectus non est cognoscitiuus singularium, ergò &c.

41 Respondetur distinguendo Minorem, per species acquisitas, concedo Minorem, per species infusas, nego Minorem, & consequentiam. Cum enim intellectus cognoscendo per species acquisitas abstrahat à singularibus non est cognoscitiuus illorum, nisi indirectè, & reflexè; cæterùm per species infusas potest illa etiam directè cognoscere.

42 Ar-

42 Arguitur secundò. Magis est determinata cognitio rerum in singulari, quàm in Vniuersali, sed anima separata non habet determinatam cognitionem de speciebus rerum vniuersalium, ergò multò minùs illam habebit de singularibus.

43 Respondetur distinguendo Minorem, secundùm se, concedo Minorem, ex suppositione, nego Minorem, & consequentiam. Anima ergò separata licèt secundùm se non sit determinata ad cognitionem, neque specierum, neque indiuiduorum, tamèn ex suppositione præcedentis cognitionis, vel alicuius affectionis, vel naturalis habitudinis, & Ordinationis Diuinæ poterit tùm species, tùm indiuidua determinatè cognoscere.

44 Arguitur tertiò. Si anima separata cognosceret singularia, omnia cognosceret, consequens est absurdum, ergò & antecedens; sequela Maioris probatur, in anima separata non datur sensus, qui potiùs determinet ad vnum, quàm ad aliud, ergò omnia cognosceret.

45 Respondetur negando Maiorem, ad probationem, nego consequentiam; licèt enim hanc determinationem non haberet à sensu, haberet tamèn ab aliqua ex rationibus suprà dictis.

46 QVÆRES SECVNDO'. An distantia localis impediat cognitionem animæ separatæ.

47 Respondetur negatiuè cum D. Tho. loco citato art. 7. & probatur primò ex illo Lucæ 16. vbi dicitur, *quod cùm diues esset in tormentis eleuans oculos suos vidit Abraham à longè*, ergò distantia localis non impedit cognitionem animæ separatæ.

48 Probatur secundò. Anima separata non intelligit per species acceptas à rebus, sed per influxum illarum ex Diuino Lumino, sed hoc æqualiter se habet ad propinquum, & distans, ergò distantia localis non impedit cognitionem animæ separatæ.

49 Arguitur primò ex D. Augustino lib. 11. de Cura pro mortuis agenda cap. 13. vbi ait: *quod animæ mortuorum ibi sunt, vbi ea, quæ hic fiunt scire non possunt, scitunt autem ea, quæ apud eos aguntur* ergò distantia localis impedit &c.

50 Respondetur negando consequentiam. Non enim hæc est causa talis ignorantiæ, sed quia segregatæ sunt à conuersatione viuentium, vt infrà dicetur.

51 Arguitur secundò. Distantia localis impedit cognitionem Dæmonum, ergò etiam animæ separatæ; antecedens probatur, nam D. Augustinus in libris de Diuinatione Dæmonum cap. 4. ait: *quod Dæmones propter celeritatem motus aliqua nobis ignota denuntiant*, sed agilitas motus ad hoc nihil faceret, si distantia localis cognitionem dæmonum non impediret, ergò &c.

52 Respondetur negando antecedens, ad probationem cum D. Th. dico D. Augustinum loqui secundùm opinionem illorum, qui posuerunt quòd Dæmones habent corpora naturaliter vnita, secundùm quam positionem etiam potentias sensitiuas habere possunt, ad quarum cognitionem requiritur determinata distantia.

53 Arguitur tertiò. Sicut distat aliquis secundùm locum, ità distat secundùm tempus, sed distantia temporis impedit cognitionem, ergò etiam distantia loci illam impediet; probatur Minor, nam anima separata nequit cognoscere futura, ergò &c.

54 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quià ea, quæ distant secundùm tempus non sunt entia in actu, vndè non sunt in se cognoscibilia; quià sicùt aliquid deficit ab entitate, ità etiam deficit à cognoscibilitate, sed ea quæ sunt distantia secundùm locum sunt entia in actu, & ideò in seipsis cognoscibilia.

55 QVÆRES TERTIO'. An anima separata cognoscat ea, quæ hic aguntur?

56 Respondetur cum D. Tho. hic art. 8. negatiuè, & probatur primò ex illo Iob. 14. *siuè fuerint filij eius nobiles, siuè ignobiles non intelliget*, ergò anima separata non cognoscit ea, quæ hic aguntur.

57 Probatur secundò. Anima separata secundùm modum essendi est segregata à conuersatione viuentium, & coniuncta conuer-

uersationi substantiarum spiritualium, quæ sunt à corpore separatæ, ergò nequit cognoscere ea, quæ hic aguntur.

58 Arguitur 1. Si anima separata non cognosceret ea, quæ hic aguntur, non haberet curam de illis, sed habet curam de illis, ergò cognoscit ea, quæ hic aguntur. Probatur Minor ex illo Lucæ 16. ***habeo quinque fratres, mitte Lazarum vt testificetur illis, ne veniant in hunc locum tormentorum***, ergò &c.

59 Respondetur negando Maiorem, possunt enim animæ mortuorum habere curam de rebus viuentium, etiam si ignorent eorum statum, sicut nos habemus curam de mortuis eis suffragia impendendo, quamuis eorum statum ignoremus. Vltrà quam quod licèt per seipsas non cognoscant, hoc tamèn possunt facere, vel per animas eorum, qui hinc discedunt, vel per Angelos, seù per Dæmones, vel etiam Spiritu Dei reuelante, sicut Augustinus ait in lib. de Cura pro mortuis capite 15.

60 Arguitur secundò. Frequenter mortui viuis apparent, vel dormientibus, vel vigilantibus, & eos admonent de ijs, quæ hic aguntur, sed hoc non esset nisi ea, quæ hic aguntur cognoscerent, ergò de facto ea cognoscunt. Minor patet, Maior verò probatur, nàm Samuel apparuit Sauli, vt habetur primò Regum 28. ergò &c.

61 Respondetur distinguendo Maiorem, per specialem dispensationem Dei, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Inquit ergò D. Tho. hic, quod quandò mortui viuentibus apparent contingit per specialem Dei dispensationem, vel quod huiusmodi apparitiones fiunt per operationem Angelorum bonorum, vel malorum, etiam ipsis ignorantibus, sicut etiam viui ignorantes alijs viuentibus apparent in somnijs, vt dicit D. Augustinus loco prædicto cap. 10.

62 QVÆRES QVARTO'. An anima separata cognoscat seipsam per suam substantiam?

63 Respondetur affirmatiuè, & probatur primò. Angelus seipsum per suā substantiā cognoscit, ergò similiter anima separata, antecedens est D. Tho. p. p. q. 56. a. 1. & ratio est, quia est sibi intimè præsens, & est eiusdem immaterialitatis; consequentia verò probatur, quia anima separata habet modum essendi, & cognoscendi similem Angelo, ergò si &c.

64 Probatur secundò. Ideò anima in statu coniunctionis non cognoscit se per suam substantiam, sed per speciem superadditam, quià in tali statu est solùm intelligibilis in potentia, sed in statu separationis est intelligibilis in actu, ergò in statu separationis intelliget se per suam substantiam; Minor probatur, in tali statu est absoluta à materia, & est particeps modi essendi substantiarum separatarum, ergò &c.

65 Arguitur primò. Anima separata est pura potentia in genere intelligibili, ergò non cognoscit se per suam substantiam, sed per speciem accidentalem superadditam, antecedens probatur, nàm anima est eadem in statu separationis, ac coniunctionis, sed in statu coniunctionis est pura potentia, ergò etiam in statu separationis erit pura potentia.

66 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo Maiorem, diuersum tamèn modum habens, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque anima separata, vt ostendit D. Tho. p. p. q. 89. a. 2. & q. de Anima a. 17. hoc ipso quod separatur à corpore acquirit modum essendi similem Angelis, & sic fit intelligibilis actu; eo modo quo accidentia ex vi separationis acquirunt esse per se, cum hac tamèn differentia, quod hoc accidentibus est supernaturale, animæ autem est tantùm præternaturale; vndè seipsam per suam substantiam, absque specie superaddita poterit cognoscere.

67 Arguitur secundò. Ad hoc vt aliquid intelligatur non sufficit quod sit præsens intellectui solùm secundùm esse reale, sed requiritur quod sit præsens secundùm esse intentionale, sed anima absque specie superaddita, est solùm præsens suo intellectui secun-

cundùm esse reale, non verò secundùm esse intentionale, ergò nequit seipsam per suam substantiam cognoscere; Maior patet, hac enim ratione color in pupilla existens non cognoscitur ab oculo, quia non est præsens illi intentionaliter, sed solùm realiter; Minor verò probatur, nàm esse præsens intentionaliter est esse præsens per speciem, ergò &c.

68 Respondetur distinguendo Maiorem, si sit materiale, concedo Maiorem, immateriale, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaq; præsentia obiecti realis naturalis non impedit cognitionem, nisi quandò est materiale, aliàs Deus non posset cognoscere seipsum per seipsum, & ab alijs absque specie non posset quidditatiuè cognosci, cum autem anima separata non connotet materiam, sed sit purè spiritualis in cognoscendo, sicut est in essendo, & in eodem gradu immaterialitatis cum suo intellectu, ideò potest seipsam, per seipsam cognoscere, sicut hac ratione faciunt Angeli; color autem in pupilla existens est materialis, & ideò impedit actum visionis.

69 QVÆRES VLTIMO. An Anima separata cognoscat Deum euidenter abstractiuè quò ad an est?

70 Respondetur affirmatiuè. Probatur. Naturale est intellectui cognitis effectibus ascendere ad cognitionem suæ causæ, sed anima separata cognoscit multos effectus Dei perfectè, & distinctè, & omnia entia naturalia in confuso, & in communi, ergò cognoscet quoque Deum euidenter abstractiuè quò ad an est, cum sit prima Causa omnium.

QVÆSTIO

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA

DE POTENTIA OBEDIENTIALI.

CVm potentiæ obedientialis notitia perutilis sit ad multas difficultates, quæ hinc indè agitantur dilucidandas, viamque sternat ad grauiora, quæ de Visione beata, de Gratia, & Sacramentis in Theologicis pertractantur, ideò operæ pretium duxi de ea peragere, vt faciliùs intelligi possint, quæ ibi traduntur; sit ergò.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm admittenda sit potentia obedientialis proximè actiua?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quòd sicùt obedientia respicit superiorem, cui parere debet, ità potentia obedientialis respicit agens superius, siuè sit supernaturale, siuè artificiale, vndè dicitur talis in ordine ad quaslibet formas præternaturales, licèt principaliùs denominationem desumat ab ordine ad formas supernaturales, quia denominatio semper à nobiliori desumitur.

2 Aduertendum est secundò, quòd principium actiuum duplex est, remotum, & radicale vnum, sicùt est anima in ordine ad intelligendum, & volendum, eò quod ad tales actus concurrit medijs potentijs proximis, scilicet intellectu, & voluntate. Aliud proximum, & immediatum, quod absquè alio superaddito concurrit ad operationem, vt est intellectus respectu intellectionis,& voluntas respectu volitionis. Non quærimus in præsenti an detur potentia obedientialis actiua remotè, & radicaliter, sed proximè, & immediatè.

3 Prima sententia admittit in rebus creatis potentiam obedientialem proximè actiuam actiuum supernaturalium, quæ tamen non sit congenita cum ipsis rebus, sed à Deo recepta media potentia obedientiali passiua. Ità Cabrera 3. p. q. 1. a. 1. disp. 6. dub. 6.

4 Secunda sententia statuit in rebus creatis potentiam obedientialem proximè actiuam actuum supernaturalium congenitam ipsis rebus, per quam possint producere actus supernaturales. Ità Suarez in Met. disp. 17. sect. 2. Molina p. p. q. 45. a. 5. disp. 2. Granado p. p. tom. 1. tract. 4. disp. 45. Alberrinus in Corrol. Theol. q. 3. dub. 12. Ambrosius Machin p. p. tom. 1. q. 12. Hurtado in Phys. disp. 9. sect. 14. & alij.

5 Tertia sententia negat dari hanc potentiam obedientialem proximè actiuam actuum supernaturalium. Ità omnes Thomistæ; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

6 COnclusio prima. Nullatenùs admittenda est potentia obedientialis proximè actiua actuum supernaturalium.

7 Probatur primò ex Sanctis Patribus, Augustino, libro de Gratia Christi, cap. 2.

Et de peccato Originali cap. 32. Ambrosio lib. 1. de Sacramentis cap. 5. Et D. Basilio lib. de Spiritu Sancto cap. 5. vbi docent Baptismum, & cætera Sacramenta habere vim supernaturalem sanctificandi animas ex speciali donatione, & sanctificatione Spiritus Sancti, vel ex Baptismo Christi, quo sanctificauit illud, ergò sentiunt quod virtus, quam habent ad causandam gratiam non est potentia obedientialis actiua illis innata.

8 Respondet Suarez, quòd ista donatio, & sanctificatio consistit in hoc, quòd à Spiritu Sancto designentur sacramenta ad causandos istos effectus, non per communicationem alicuius virtutis supernaturalis, sed per actiuitatem suæ potentiæ obedientialis actiuæ innatæ.

9 Sed contrà primò. Nam Sancti Patres expresse asserunt collatam illis fuisse virtutem sanctificandi ex speciali dono Christi, vel Spiritus Sancti, & specialiter D. Basilius loco citato ait: *istam virtutem in Baptismo non prouenire ex natura aquæ, sed ex dono Spiritus Sancti immissam fuisse illi*. Et D. Cirillus lib. 7. contrà Iulianum ait: *prædictam virtutem esse supernaturalem*, ergò sentiunt hoc non habere ex sola designatione, sed ex virtute supernaturali illis superaddita.

10 Contrà secundò. Si hoc facerent per solam designationem sequeretur, quòd humanitas Christi, Apostoli, Sacramenta, & Sacerdotes nullam maiorem virtutem haberent ad causandam gratiam, facienda miracula, & transubstantiandum panem in corpus Christi, quàm lapides, & arenæ Maris, consequens est absurdum, ergò & antecedens; Sequela Maioris probatur. Talis designatio nihil intrinsecum ponit in illis, & concursus extraordinarius Dei, quem requiri sentit Suarez, est extrinsecus, cum ponatur in effectu, & non in causa, ergò &c.

11 Contrà tertiò. Sacerdotibus in sua ordinatione tribuitur character, & spiritualis potestas ad consecrandum. Item D. Tho. 3. p. quæst. 13. art. 2. ad 1. docet potestatem, quam habuit Christus ad facienda miracula, & iustificandas animas, quæ est quædam omnipotentia, competere illi ex speciali gratia vnionis. Tandem de Apostolis in ordine ad patranda miracula Matthæi 10. & Lucæ 9. dicitur tributum est illis vt languores curarent, & Dæmones eijcerent, ergò hoc non habuerunt ex sola potentia obedientiali actiua innata, & sola designatione, sed ex virtute superaddita.

12 Probatur 2 ex D.Th. quæst. vnica de Virtutibus, vbi ait: respectu eorum, quæ facultatem naturæ non excedunt, habet homo à natura non solùm principia receptiua, sed etiam principia actiua; respectu autem eorum, quæ facultatem naturæ excedunt, habet homo à natura aptitudinem ad recipiendum. Item prima secundæ quest. 109. art. 1. inquit; *vnaquæque forma indita rebus creatis à Deo habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem, vltrò autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam*. Sic etiam 3. p. quæst. 66. art. 4. docet in Sacramentis nouæ legis residere virtutem intrinsecam ad producendam gratiam, quam dicit esse spiritualem, incompletam, fluentem, & transeuntem, reductiuè pertinentem ad prædicamentum qualitatis, ergò de mente D. Tho. vera Conclusio.

13 Probatur tertiò. Id quod implicat contradictionem nullatenùs potest admitti, sed implicat contradictionem dari potentiam obedientialem proximè actiuam, ergò non potest admitti, probatur Minor, in tali casu esset simul indeterminata, & infinita, & determinata, ac finita, sed hoc implicat contradictionem, ergò &c. Probatur Maior quò ad primam partem, nam extenderetur ad producendum omne producibile, seù non implicans contradictionem, & posset producere effectum perfectiorem, & perfectiorem vsque in infinitum saltem sincategorematicè, ergò &c. Probatur quò ad secundam partem, tùm quia supponitur esse potentiam creatam, tùm quia ponitur à Suarez identificata cum re naturali, quæ finita, & determinata est, ergò &c.

14 Respondet Suarez, quod potentia obe-

obedientialis est vis partialis, & incompleta indigens concursu Dei, coadiuuante illam, & ideò non est infinita, & indeterminata.

15 Sed contrà primò. Nàm ideò Suarez contrà Thomistas probat non dari virtutem superadditam Sacramentis, & alijs rebus ad producendos effectus supernaturales, & miracula, quia talis virtus esset infinita, & indeterminata, & tamèn certum est, quod esset partialis, & incompleta indigens concursu Dei coadiuuante illam, ergò licèt sit talis, tamèn erit infinita &c. Vndè, vt benè Alarcon in ipsum Suarez retorquet; quod negat nobilissimæ, & supernaturali qualitati Thomistarùm id ipse concedit cuilibet minutulæ, & despicatissimæ entitati; licèt Thomistæ non dicant vnicam numero virtutem supernaturalem omnes effectus supernaturales producere, sed pro diuersitate effectuum virtutes supernaturales multiplicent, sicùt pro diuersitate effectuum naturalium virtutes naturales multiplicantur.

16 Contrà secundò. Quià talis potentia obedientialis in eius sententia præstat per se ipsam Physicum, & immediatum influxum in effectum præstantiorem, & præstantiorem vsque in infinitum, ergò oportet quod actu in se ipsa præcontineat actualitatem, qua agere potest producibile perfectius fine termino, ac ideò quod sit infinita, & indeterminata.

17 Probatur quartò. Si daretur potentia obedientialis proximè actiua actuum, & effectuum supernaturalium, vel esset entitatiuè naturalis, & formalitèr supernaturalis, vel esset tàm entitatiuè, quàm formalitèr naturalis, neutrum potest admitti, ergò non datur &c. Maior patet, Minor probatur primò quò ad primam partem, siquidem est implicatorium in terminis, tùm quia nulla entitas supernaturalis potest esse identificata cum naturali, tùm quia ordo supernaturalis est suprà totum ordinem naturæ, tùm denique quià etiam actus ab ea elicitus deberet esse entitatiuè naturalis, & formalitèr supernaturalis, cum potentia tendat ad communicandum actui idipsum, quod præhabet. Quò ad secundam partem probatur. Si potentia tàm entitatiuè, quàm formaliter esset naturalis non posset elicere actum supernaturalem, vel si illum eliceret talis actus deberet esse simul naturalis, & supernaturalis, ergò neutrum est dicendum. Similiter esset, & non esset entitatiuè naturalis, esset vt supponunt Contrarij, eò quià illam identificant cum potentia naturali; non esset, quia actus, quem immediatè respicit est supernaturalis, potentia autem specificatur ab actu.

18 Respondent Contrarij talem potentiam esse naturalem entitatiuè, & supernaturalem formalitèr, & in ratione potentiæ.

19 Sed contrà. Quia quod secundùm suam entitatem non attingit ordinem supernaturalem, nec potest illum attingere secundùm suam actiuitatem, & quatenùs est potentia, quia actiuitas, seù potentia agendi consequitur ad entitatem rei, & est veluti proprietas ab illa resultans, ergò debet cum illa proportionari, qua ratione communiter dicitur quod operari sequitur ad esse, ergò si potentia obedientialis est naturalis quantùm ad substantiam, & entitatem, erit etiam naturalis quantùm ad actiuitatem.

20 Probatur vltimò. Si daretur potentia obedientialis proximè actiua actuum supernaturalium darentur maxima absurda, sed hæc non sunt admittenda, ergò non datur; Sequela Maioris probatur, primò namque sequeretur quod in natura darentur initia gratiæ, & semina quædam rerum supernaturalium, quod est error Cassiani, & aliorum Semipelagianorum. Secundò frustrà ponerentur in homine habitus supernaturales ad eliciendos actus Fidei, Spei, & Charitatis, frustrà poneretur in Sacerdote character ad consecrandum Corpus Christi, & tandem frustrà poneretur lumen gloriæ in Beatis ad videndum Deum, cum hæc omnia possent fieri per potentiam obedientialem proximè actiuam actuum supernaturalium. Tertiò destrueretur gratia sufficiens, præueniens, & concomitans; Gratia enim sufficiens solùm admittitur à Theologis, vt reddat voluntatem proximè, & completè po-

tentem ad eliciendos actus supernaturales. Gratia quoque præueniens à Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. ponitur ad eliciendos actus supernaturales. Denique concursus simultaneus, seu concomitans ordinis supernaturalis erit debitus tali potentiæ obedientiali, sicquè non erit gratuitus.

21 Secunda Conclusio. Potentia eleuata per formam supernaturalem in se receptam, & agens per illam non debet dici potentia obedientialis actiua respectu operationum supernaturalium, quas efficit.

22 Probatur primò. Nam Cabrera, cuius est hæc sententia 3. p. quæst. 9. art. 1. disp. 6. dub. 2. §. 2. ait potentiam obedientialem actiuam esse potentiam secundum quid, non simpliciter. Et dub. 4. §. 2. tenet esse eiusdem speciei, & esse causam instrumentalem suorum effectuum, sed intellectus v. g. illustratus habitu Fidei, vel lumine gloriæ est potentia simpliciter sufficiens ad credendum, vel videndum Deum, & importat vim sufficienrem ad causandum actum Fidei, vel visionis tanquam effectum sibi proportionatum, & non est eiusdem speciei cum voluntate affecta habitu Charitatis, ergò nequit esse potentia obedientialis actiua.

23 Probatur secundò. Potentia vitalis, quæ per potentiam obedientialem passiuam recipit formam supernaturalem, & illa mediante elicit actus supernaturales producit illos connaturaliter veluti causa supernaturalis, & principalis, ergò non producit illos obedientialiter, consequentia patet, nam potentia causans aliquid naturaliter distinguitur à potentia causante illud obedientialiter; antecedens verò probatur, habet enim in se principium proprium, & connaturale talium actuum, ergò illos producit connaturaliter, veluti causa supernaturalis, & principalis.

24 Probatur vltimò. Si potentia eleuata per formam supernaturalem dicenda esset obedientialis sequeretur quod omnis actus supernaturalis fieret à nobis per potentiam obedientialem, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela Maioris probatur, nam fieret per principium supernaturale ab extrinseco receptum in potentia obedientiali passiua, ergò si &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

25 Arguitur primò contrà primam Concl. ex D. Augustino, & D. Thoma, nam D. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 17. dicit, *quod Deus habet virtutem, vt possit facere quod sterilis pariat, & arbor arida floreat.* Et D. Thomas in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. ad 4. inquit, *sicut Creaturæ inest potentia obedientiæ vt in ea fiat quidquid Creator disposuerit, ità etiam vt ea mediâ fiat, quæ est ratio instrumenti*, ergò de mente vtriusque admittenda est potentia obedientialis proximè actiua.

26 Respondetur explicando Sanctos Doctores, media virtute superaddita, concedo antecedens, se ipsis, nego antecedens, & consequentiam. Verum est ergò, quòd hæc, & similia Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonia volunt, quòd Deus possit facere in Creaturis quidquid voluerit, & quòd possit eas assumere vt instrumentum ad producendos omnes effectus, qui non implicant contradictionem, sed non dicunt, quòd hoc possit facere absque eò quòd creaturas eleuet ad agendum per aliquam virtutem supernaturalem illis superadditam, vndè solùm ponunt potentiam obedientialem actiuam radicalem, & remotam, non verò proximam, & immediatam.

27 Instabis. Ioannis primò habetur; *dedit eis potestatem filios Dei fieri 91, qui credunt in nomine eius*, sed nomine talis potestatis non est intelligenda potentia naturalis, ergò obedientialis, non passiua, cum sit ad se faciendum filios Dei, ergò actiua, ac ideò &c.

28 Respondetur negando primam consequentiam, nomine enim talis potestatis intelligitur gratia habitualis, qua possumus fieri filij Dei adoptiui adoptione consumata in statu gloriæ. Ità Diuus Thomas,

Theo-

Theophilatus, & Caietanus ibidem.

29 Arguitur secundò. Intellectus, & voluntas creata habent potentiam obedientialem proximè actiuam ad eliciendos actus supernaturales, ergò datur &c. antecedens probatur, istæ potentiæ secundùm suam innatam virtutem concurrunt ad actus visionis, & charitatis supernaturalis, sed talis virtus non est naturalis, neque supernaturalis, ergò obedientialis, Maior patet, non enim merè passiuè se habent cum vitalitèr concurrant. Minor probatur, & primò quò ad primam partem, quia per virtutem naturalem nō possumus producere aliquid supernaturale; Quò ad secundam quoq; probatur, non enim est naturæ innata, congenitaquè aliqua virtus supernaturalis, aliàs deberet produci ab auctore naturæ, sicut & ipsa natura producitur.

30 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Maiorem, vt eleuatam à virtute supernaturali superaddita, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori quò ad primam partem, negò consequentiam. Verùm est ergò quod intellectus, & voluntas non se habent merè passiuè ad actus supernaturales visionis, & dilectionis supernaturalis Dei, & quod concurrunt secundùm suam virtutem, hoc tamèn faciunt quatenùs est eleuata à lumine gloriæ, vel habitu supernaturali charitatis, & ideò non stat, quòd habeant potētiam obedientialem proximè actiuam ad tales actus supernaturales.

31 Instabis primò. Intellectus, & voluntas per suam præcisam entitatem tales actus supernaturales eliciunt, ergò per potentiam obedientialem actiuam. Antecedens probatur, non solùm lumen, sed etiam intellectus videt Deum, imò lumen vt quo, intellectus vt quod, ergò &c.

32 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, vt tamèn eleuatus per lumen, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Verum est ergò; quod intellectus videt vt quod, sicut & voluntas amat vt quod, hoc tamen faciunt istæ potentiæ vt eleuatæ per lumen, & habitum charitatis tanquàm per totalem rationem videndi, & amandi, & ideò per suam præcisam entitatem tales actûs supernaturales non eliciunt.

33 Instabis secundò. Vel illa particulā in quantùm eleuatæ designat solam formam eleuantem, aut etiam subiectum, & potentiam eleuatam; si primum, ergò intellectus, & voluntas solùm passiuè se habent; si secundum, ergò iam habent potentiam obedientialem actiuam innatam, qua eliciant tales actus.

34 Respondetur quod designat vtrumque, ad probationem, nego consequentiam; Talem enim actiuitatem non habent à se ipsis, sed à virtute eleuante, ità quòd mediante illa agant, & tali modo ipsa tota sit ratio agendi vt quo, potentiæ autem agant vt quod; sicut aqua medio calore in ipsa recepto calefacit, non ità quod sua virtute calefaciat, nec solus calor calefaciat, sed aqua mediante calore, qui sit tota ratio calefaciendi.

35 Instabis tertiò. Si lumen, & habitus charitatis essent tota ratio formalis constitutiua intellectus, & voluntatis in ratione agendi, sequeretur quod intellectus, & voluntas non actiuè, sed merè passiuè concurrerent, consequens est absurdum, ergò & antecedens, probatur sequela, nam lumen, & habitus charitatis essent tota ratio agendi, ergò haberent totam actiuitatem, ergò intellectus, & voluntas merè passiuè concurrerent.

36 Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguo consequens, vt quo, concedo consequentiam, vt quod, nego consequentiam. Sicut ergò iuxtà omnium Philosophorum sententiam tota ratio formalis constitutiua alicuius subiecti in esse operatiuo est forma, cum vnumquodque agat in quantùm est in actu per formam, & tamèn operatio materialis est elicitiuè à toto composito vt quod, & etiam à materia, quæ ex se nullam habet actiuitatem; ità pari modo stat, quod tota ratio agendi sit lumen gloriæ, & tamèn compositum ex intellectu, & lumine gloriæ actiuè concurrat vt quod ad visio-

sionem beatam, quod idem dicimus de voluntate, & habitu charitatis, ità quod intellectus, & voluntas non merè passiuè concurrant, licet ex se nullam actiuitatem etiam partialem habeant.

37 Instabis quartò. D.Thomas 1.p.q.12. art. 5. ait cum virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam oportet quod ex diuina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Item tertiò côt.gent.c.2.Lumen appellat augmentũ virtutis, ergò sentit lumen gloriæ non esse totã rationem agendi, ac ideò in intellectu esse potentiam obedientialem actiuam &c.

38 Respondetur cum eodem S. Doctore 3. contrà gent. cap. 53. ipsum explicando, per nouæ formæ appositionem, concedo antecedens, per simplicem ipsius virtutis intensionem, nego antecedens, & consequentiam. Inquit ergò D. Thomas in tali capite, *nihil potest ad altiorem operationem eleuari, nisi per hoc quod eius virtus fortificetur, contingit autem dupliciter alicuius virtutem fortificari; vno modo per simplicem ipsius virtutis intensionem, sicut virtus actiua calidi augetur per intensionem caloris, vt possit efficere vehementiorem actionem in eadem specie. Alio modo per nouæ formæ appositionem, sicut Diaphani virtus augetur ad hoc vt possit illuminare per hoc, quod fit lucidum actu per formam lucis receptam in ipso de nouo, & hoc quidem virtutis augmentum requiritur ad alterius speciei operationem consequendam. Virtus autem creata intellectus naturalis non sufficit ad diuinam substantiam videndam, ergo oportet quod augeatur ei virtus ad hoc, quod ad talem visionem perueniat, non sufficit autem augmentum per intensionem naturalem virtutis, quia talis visio non est eiusdem rationis cum visione naturali intellectus creati, quod patet ex distantia visorum, oportet ergò quod fiat augmentum virtutis intellectiuæ per alicuius nouæ dispositionis adeptionem.* Hac Diuus Thomas.

39 Instabis quintò. Siuè tale augmentum fiat per simplicem intensionem, siuè per additionem nouæ formæ semper tamen est verè augmentum, ergò supponit aliquam virtutem partialem insuficientem ad actum, ac ideò in intellectu danda est potentia obedientialis actiua in ordine ad visionem supernaturalem.

40 Respondetur distinguendo antecedens, improprium, concedo antecedens, proprium, nego antecedens, & consequentiam. Tale ergò augmentum, quod fit per additionem nouæ formæ maximè si sit supernaturalis est tale solùm impropriè, & metaphoricè, vndè in proposito nullam actiuitatem supponit nisi radicalem, & remotam in intellectu. Et hoc primò patet in exemplo adducto à Diuo Thoma in diaphano, quod totam actiuitatem ad illuminandum habet à luce adueniente. Secundò, quia Diuus Thomas 1. p. q. 12. art. 6. Inquit. *quod facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundùm suam virtutem, sed per lumen gloriæ, vndè intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectiùs Deum videbit.*

41 Arguitur secundò. In rebus naturalibus datur potentia obedientialis passiua, ergò etiam actiua, antecedens patet, probatur consequentia, non minùs pertinet ad Dominium, quod Deus habet in creaturas, quod illæ obediant ei in agendo, quàm in recipiendo, sed hoc stante datur in rebus potentia obedientialis passiua, ergò debet dari etiam actiua.

42 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo Maiorem, in agendo media virtute superaddita, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens, remota, & radicalis, concedo consequentiam, proxima, & immediata, nego consequentiam. Ex perfecto ergò Dominio, quod Deus habet in creaturas non potest colligi, quod in illis detur potentia obedientialis proximè actiua actuum supernaturalium, & miraculorum, cum hoc implicet contradictionem, non enim potest aliquid operari, nisi habeat virtutem ad agendum, vndè sicut repugnat, quòd aliquid agat sinè actione, quòd intelligat sinè intellectu, aut viuat sinè anima, ità repugnat quòd producat sinè principaliter, siuè instrumentaliter effectus superna-

tura-

turales sinè virtute supernaturali intellectui superaddita.

43 Instabis primò. Stante Dominio, quod Deus habet in creaturas in rebus naturalibus datur potentia obedientialis passiua, proxima, & immediata, ità quod recipiant formas supernaturales absque virtute superaddita, ergò similiter dabitur potentia obedientialis actiua proxima, & immediata, ità quod producant actus supernaturales absquè virtute superaddita; consequentia probatur, quià non minùs datur improportio in recipiendo, quàm in agendo, ergò si &c.

44 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, nego consequentiam. Disparitas est, quia id quod recipit potiùs debet esse imperfectiùs, quàm perfectiùs, & ideò potest aliquid naturale recipere formam supernaturalem per potentiam tamèn obedientialem; id autem quod agit potiùs debet esse perfectiùs, cum debeat suo modo præcontinere effectum, vndè si est causa principalis debet habere virtutem, vel propriam, vel appropriatam permanentem, si verò est causa instrumentalis, vel debet esse virtus alicuius perfectioris, vel habere virtutem fluenter sibi communicatam à perfectiori continente perfectionem effectus.

45 Instabis secundò. Multæ res per solam subordinationem ad causam principalem sinè additione nouæ virtutis operantur effectus excedentes suam potentiam naturalem, ergò similiter per solam subordinationem ad causam primam multæ res naturales absque additione nouæ virtutis poterunt producere actus supernaturales; consequentia videtur clara à paritate rationis, antecedens verò probatur, siquidem calor, qui ex sua natura non est productiuus lactis, aut carnis per solam subordinationem ad animam vtrumque producit absque additione nouæ virtutis; ergò &c.

46 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, quatenùs est proprietas animalis, concedo antecedens, quatenùs est proprietas ignis, nego antecedens, & consequentiam. Itaque calor potest dupliciter considerari. Primò quatenùs est proprietas ignis, & sic non habet virtutem producendi carnem, vel lac: Secundò vt est proprietas animalis, & sic vt est virtus intransitiua illius habet producere carnem, & lac instrumentaliter, nulla autem creatura est proprietas agentis supernaturalis, & ideò nequit absque virtute supernaturali superaddita per solam subordinationem producere aliquid supernaturale.

47 Instabis tertiò. Omne accidens etiam si non sit proprietas substantiæ, vt tamèn illi subordinatum absque virtute superaddita producit aliam substantiam, ergò similiter quælibet res naturalis esto non sit proprietas agentis supernaturalis, & causæ primæ, tamèn vt illi subordinata poterit producere aliquid supernaturale, probatur consequentia, sicut supernaturale excedit naturale, ita substantia accidens, imò naturale vniocatur cum supernaturali; non autem accidens cum substantia, ergò si &c.

48 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, & aliàs cætera non sunt paria, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaque accidens est virtus intransitiua substantiæ, quandò enim dicitur accidens agere in virtute substantiæ est loquutio intransitiua, & non significat quod accidenti superaddatur aliqua virtus operatiua deriuata ab ipsa substantia, quæ sit distincta ab essentia accidentis, vt docet Diuus Thomas quæstione de spiritualibus creaturis, articulo vltimo ad primum, & cum eo Caietanus 1. p. q. 77. art. 1. in fine; Et Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 66. & ideò non est mirum, quòd producat substantiam saltem instrumentaliter; Nulla autem res naturalis est virtus intransitiua agentis supernaturalis, & causæ primæ, & ideò oportet quod ei superaddatur virtus supernaturalis.

49 Instabis quartò. Aqua maris ex sua specifica ratione tantùm habet motum naturalem ad centrum, & tamèn vt subordinatur Lunæ esto non sit eius virtus intransitiua sinè additione nouæ virtutis habet fluxum, & refluxum, & similitèr vt subordinatur

toti

toti vniuerso ascendit sursum ne detur vacuum, ergò pariter estò nulla res naturalis sit virtus intransitiua agentis supernaturalis, per solam subordinationem ad illud absque virtute supernaturali superaddita poterit producere actum supernaturalem; consequentia probatur, natura enim creata habet Maiorem subordinationem Deo,& Maiorem inclinationem ad obediendum illi, quàm quæuis res naturalis respectu alicuius causæ secundæ, ergò si &c.

50 Respondetur negando Maiorem; Aqua enim maris habet diuersas potentias passiuas, vt inquit Diuus Thomas quæst. prima de virtutibus, art. 10. ad 13. ad hoc vt moueatur à suo generante, & ità tendit deorsum, ab igne, & ità calefit, à cælo, & ità habet fluxum, & refluxum, & à Deo authore naturæ, & ità mouetur sursum ne detur vacuum; Quotiès enim aliquid passiuum natum est moueri à diuersis agentibus ordinatis habet diuersas potentias passiuas secundùm diuersitatem talium agentium; Vndè falsum est primò, quòd aqua maris ex sua specifica ratione tantùm habeat motum naturalem ad centrum. Secundò quod talis potentia sit actiua, & ità potiùs retorquetur argumentum.

51 Arguitur vltimò. Quotiescunque in aliquo ordine datur aliqua potentia passiua debet quoque admitti potentia actiua illi correspondens, sed in ordine ad supernaturalia datur in rebus naturalibus potentia obedientialis passiua, ergò debet dari etiam actiua, Minor patet, Maior verò probatur, nam ideò Philosophus tertiò de Anima textu 17. probat dari in homine intellectum agentem proximè productiuum specierum intelligibilium, quià in illo datur intellectus possibilis receptiuus illarum, ergò &c.

52 Respondetur negando Maiorem vniuersaliter esse veram, ad probationem distinguo antecedens, per hoc, & quià tales species sunt proportionatæ, concedo antecedens, præcisè per hoc, nego antecedens, & consequentiam. Quotiès ergò in aliquo datur potentia passiua in ordine ad formas proportionatas, sicuti sunt in præsenti species intelligibiles respectu intellectus, debet quoque admitti in illo potentia actiua; cæterùm si potentia passiua respiciat formas improportionatas sufficit, quod potentia actiua sit in superiori agente, siuè sit Deus in ordine ad eliciendos actus supernaturales, siuè artifex in ordine ad artificiales.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum admittenda sit in rebus creatis Potentia Obedientialis passiua?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quòd potentia obedientialis duplex assignari solet, actiua vna, passiua alia. Potentia actiua à suis auctoribus solet definiri quod sit aptitudo ad producendum aliquid, vel suprà, vel præter naturam, & hanc dicunt esse in duplici differentia, aliam vitalem, quæ ad actum vitalem ordinatur, sicut potentia obedientialis intellectiua, quæ ordinatur ad eliciendum claram Dei visionem; aliam non vitalem, quæ non ordinatur ad actum vitalem, sicut est potentia quam dicunt reperiri in aqua Baptismali ad causandam gratiam. Potentia obedientialis passiua definitur, quod sit aptitudo ad recipiendum aliquid, quod sit suprà, vel præter naturam. Quærimus modò de hac secunda.

2 Aduertendum est secundò cum Diuo Thoma 1. p. q. 11. art. 1. quod potentia passiua in qualibet creatura est duplex, naturalis vna per comparationem ad agens natura-

turale, & altera obedientialis per comparationem ad agens primum quod potest omnem creaturam reducere ad aliquem actum altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale; Potentia ergo obedientialis passiua se extendit ad id, quod transcendit ordinem naturalem; Potentia autem naturalis passiua hoc non facit; vndè non se extendit ad vnionem hypostaticam, gratiam, charitatem, lumen gloriæ, & visionem Dei, cum hæc omnia sint suprà totum ordinem naturę, neque etiam se extendit ad actus supernaturales secundum quid v. g. ad miracula, quia ex parte principij excedunt ordinem naturæ, sed tantùm ad id, quod est ordinis naturæ, & naturali potentia fieri potest.

3 Aduertendum est tertiò, quòd præter istas potentias passiuas dantur etiam aliæ duæ, nimirum potentia passiua violenta, & potentia passiua logica. Potentia passiua violenta est illa quæ recipit formam sibi contrariam cum resistentia, sicuti est potentia, qua aqua recipit calorem. Potentia passiua logica consistit in non repugnantia fundata in natura rei respectu diuinæ omnipotentiæ, non vt causantis, sed potiùs vt cessantis ab operatione; Et hanc potentiam Thomistæ 1. p. q. 50. art. 5. communiter concedunt Angelis in ordine ad anihilationem; Vndè sicut ens dicitur creabile per ordinem ad potentiam Dei actiuè se habentem, ità dicitur anihilabile per ordinem ad virtutem diuinam potentem suum influxum subtrahere. Quærimus modò tantùm de potentia obedientiali passiua.

4 Prima sententia est negatiua. Pro hac citatur Scotus q. 1. Prologi 1. sententiarum. Verùm aliter ipsum entire dicunt Scotistæ, & inter cæteros Rada cont. 1. art. 1.

5 Secunda sententia est affirmatiua. Et hæc est communis inter Theologos.

§. II.

Veritas aperitur.

6 PRima conclusio. In omnibus rebus creatis datur potentia obedientialis passiua ad aliquid supernaturale.

7 Probatur primò ratione Diui Thomæ 3. p. q. 1. art. 3. ad 3. In qualibet re datur capacitas, vt Deus præter, vel suprà naturam faciat in ipsa quidquid voluerit non implicans contradictionem, sed talis capacitas non est potentia naturalis, ergò est obedientialis; Maior patet, aliàs non posset Deus facere nisi iuxtà ordinem statutum naturæ, quod est contrà Fidem, cum de facto constet miracula fieri à Deo, & creaturis rationalibus conferri dona gratiæ, quæ est suprà totam naturam. Minor quoque videtur clara: Omnis enim potentia congenita cum natura receptiua alicuius formæ est naturalis, si forma est naturalis, vel obedientialis, si forma sit supernaturalis, vel præternaturalis.

8 Probatur secundò alia ratione Diui Thomæ 3. p. q. 4. art. 1. Qualibet natura creata est assumptibilis à Verbo in vnitatem Personæ, sed hoc non habet per potentiam naturalem passiuam, ergò per potentiam obedientialem passiuam, ergò datur in rebus talis potentia; Maior patet, quia Personalitas diuina est de se infinita potens terminare quamlibet naturam; Minor quoque liquet, hoc enim est summum miraculorum excedens totam vim creatam, & creabilem.

9 Probatur tertiò. Omnipotentiæ Dei vt est actiua præter, vel suprà ordinem naturæ correspondere debet in Creatura aliqua potentia passiua receptiua omnium eorum, quæ Deus potest in ipsa producere præter, vel suprà ordinem naturæ, sed nequit correspondere illi potentia passiua naturalis, ergò potentia passiua obedientialis, ergò ista est admittenda; Maior patet, quia Deus nihil potest producere in Creatura præter, vel suprà talem ordinem, nisi habeat potentiam receptiuam eorum, quæ Deus vult communicare: Minor probatur, potentia passiua naturalis limitatur ad formas naturales, ergò nequit correspondere Omnipotentiæ Dei vt est actiua præter, vel suprà ordinem naturæ.

10 Secunda conclusio. Datur in Creatura etiam potentia obedientialis passiua vitalis;

11 Probatur primò. Datur forma supernaturalis vitalis, ergò potentia obedientialis passiua ipsi correspondens debet esse vitalis; consequentia patet, quia ad hoc vt forma dicatur vitalis debet educi, & recipi in potentia vitali; antecedens verò probatur, nam lumen gloriæ, v. g. est forma supernaturalis vitalis, cum concurrat ad actionem supernaturalem vitalem, qualis est visio beata, & sit participatio formalis intellectus diuini, ergò &c.

12 Probatur secundò. Gradus intellectiuus secundùm propriam differentiam constitutus importat rationem formalem vitæ, ergò omnia, quæ spectant ad talem gradum formalem rationem vitæ sortiuntur, sed potentia obedientialis passiua in ordine ad visionem beatam spectat ad gradum intellectiuum, sicut & lumen gloriæ, ergò formalem rationem vitæ sortiuntur.

§. III.

Argumenta soluuntur.

13 Arguitur primò contrà primam conclusionem. Non est admittenda potentia obedientialis actiua, ergò neque passiua; antecedens constat ex antecedenti articulo, consequentia verò probatur à paritate rationis; Nam videtur esse eadem ratio de vtraque.

14 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, nego antecedens, nam potentia obedientialis actiua importat efficientiam effectuum supernaturalium, qui in causa naturali contineri non possunt, neque perfectè, neque imperfectè; Potentia verò obedientialis passiua nullam dicit efficientiam, sed meram receptionem formarum supernaturalium; vndè est dispar ratio.

15 Instabis primò. Cuilibet potentiæ passiuæ debet correspondere actiua, sed non datur actiua, ergò neque passiua, Minor patet, & Maior quoque in materia, & agente introducente formam in ipsa.

16 Resp. distinguendo Maiorem, vel in eodem, vel in superiori agente, cōcedo Maiorē, semper in eodem agente, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori negatur consequentia. Potentiæ ergò passiuæ semper debet correspondere actiua, sed non semper in eodem agente: Quando enim potentia passiua est obedientialis sufficit, quod ipsi correspondeat potentia actiua in superiori agente, quod formam supernaturalem, vel artificialem ipsi imprimat, ad hoc vt mediante illa eliciat actus supernaturales, aut artificiales.

17 Instabis secundò. Ideò nequit dari potentia obedientialis actiua, quià quælibet potentia actiua debet proportionari cum actu quem elicit, sed etiam quælibet potentia passiua debet proportionari cum actu quem recipit, ergò sicut non datur illa, ità neque ista.

18 Respondetur distinguo Maiorem, aritmeticè, concedo Maiorem, geometricè, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Potentia enim actiua debet proportionari cum actu, quem elicit aritmeticè, idest debet esse omnimodè æqualis, vel Maioris perfectionis cum illo; Potentia autem passiua sufficit, quod proportionetur geometricè, idest sufficit, quod habeat aliqualem commensurationem cum actu, & forma, quam recipit, & ideò licèt non possit dari illa in ordine ad actus supernaturales, benè potest dari ista.

19 Instabis tertiò. Licèt potentia actiua principalis debeat habere proportionem aritmeticam cum suo effectu, illam tamèn non petit potentia actiua instrumentalis, sed hoc non obstante neque admittitur potentia obedientialis actiua instrumentalis, ergò neque admittenda est potentia obedientialis passiua; Minor patet ex dictis in antecedenti articulo; Maior quoque videtur clara, instrumentum enim non petit tantam perfectionem, quantam habet effectus.

20 Respondetur distinguendo Maiorem, ità tamèn quòd habeat veram efficientiam respectu effectus, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Licèt ergò potentia actiua instrumentalis non petat habere proportionem

nem aritmeticam ex se cum effectu, tamèn petit habere veram efficientiam respectu illius, vndè nequit dari in ordine ad actus supernaturales, ex eò quod neque perfectè, neque imperfectè contineri possunt in causa naturali; Potentia autem obedientialis passiua nullam efficientiam petit habere, & ideò potest admitti, imò est necessaria.

21 Instabis quartò. Implicantia potentiæ obediantialis actiuę, siuè principalis, siuè instrumentalis oritur ex eò quod esset, & non esset entitatiuè naturalis, sed hoc idem currit de potentia obedientiali passiua, ergò currit eadem ratio; Probatur Minor: ideò illa esset, & non esset entitatiuè naturalis, quia ex vna parte esset identificata cum potentia naturali, & ex alia eliceret actum supernaturalem, sed etiam ista ex vna parte esset identificata cum potentia naturali, & ex alia reciperet actum supernaturalem, ergò etiam ista esset, & non esset entitatiuè naturalis.

22 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Minorem, media virtute, vel forma supernaturali superaddita, concedo Minorem, se ipsa, & immediatè, nego Minorem, & consequentiam. Non esset ergò potentia obedientialis passiua entitatiuè supernaturalis, quia non reciperet actum supernaturalem se ipsa, & immediatè, sed mediante virtute, & forma supernaturali superaddita; sicut intellectus recipit visionem Beatam tanquàm actum immanentem mediante lumine gloriæ dato, vel per modum permanentis, vt contingit in Patria, vel per modum transeuntis, vt accidisse D. Paulo in via, dum raptus fuit ad tertium Cœlum, testatur D. Thomas secunda secundæ quæst. 175. art. 3. ad 2.

23 Instabis quintò. Saltem potentia obedientialis passiua se ipsa, & immediatè reciperet virtutem, vel formam supernaturalem superadditam, ergò esset, & non esset entitatiuè naturalis, consequentia probatur, quod enim recipit aliquid supernaturale immediatè debet esse supernaturale, ergò si &c.

24 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, si recipiat per potentiam naturalem, & tanquam aliquid sibi debitum, concedo antecedens, si recipiat per potentiam obedientialem, & tanquam aliquid sibi indebitum, nego antecedens, & consequentiam. Quod ergò recipit immediatè formam supernaturalem per potentiam naturalem, & veluti sibi debitam vtique supernaturale est, secùs verò, si illam recipiat vt formam sibi indebitam, & præcisè per potentiam obedientialem, sicuti accidit in præsenti; vndè sequitur potentiam obedientialem passiuam esse supernaturalem solùm extrinsecè, & terminatiuè.

25 Instabis sextò. Quod recipit formam supernaturalem per potentiam obedientialem non debet esse supernaturale, ergò similiter quod elicit actum supernaturalem per potentiam obedientialem non debet esse supernaturale; vel si secundum est falsum, etiam erit falsum primum.

26 Respondetur negando consequentiam, & suppositum consequentis, quod scilicet immediatè, & sinè virtute supernaturali superaddita possit potentia obedientialis elicere actum supernaturalem, sic enim deberet esse eiusdem perfectionis cum illo, ex eò quod daret illi esse, ad differentiam potentiæ obedientialis passiuæ, quæ potiùs recipit esse.

27 Arguitur secundò. Subiectum corporeum nequit permanenter recipere formam spiritualem, nisi sit corporea vt quo, ergò pariter res naturalis non poterit permanenter recipere formam supernaturalem, nisi sit naturalis vt quo, sed hoc non potest esse, ergò nunquam admittenda est potentia obedientialis passiua respectu formarum supernaturalium; antecedens patet in anima rationali, quæ si permanenter recipitur in corpore, hoc ideò est, quia est corporea vt quo; Consequentia videtur clara; non minus enim distat corporeum à spirituali, quàm naturale à supernaturali; Minor subsumpta verò probatur, supernaturale illud dicitur, quod est suprà totam naturam creatam, & creabilem, ergo &c.

28 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, & aliàs cætera non sunt paria, concedo antecedens,

dens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Itaque subiectum corporeum non habet potentiam obedientialem respectu formæ spiritualis, & ideò nequit illam recipere permanenter, nisi sit corporea, res autem naturalis habet potentiam obedientialem respectu formæ supernaturalis quatenùs nata est obedire Deo agenti superiori, & ideò potest illam permanenter recipere, etiàm si non sit naturalis vt quo. Vel dicatur quod sicut naturale per potentiam obedientialem potest recipere supernaturale, ità corporeum per potentiam obedientialem potest recipere spirituale permanenter, etiam si non sit corporeum vt quo.

29 Instabis. Finitum non habet potentiam obedientialem ad recipiendum infinitum, ergò neque naturale ad recipiendam formam supernaturalem, sicuti enim infinitum excedit finitum, ità supernaturale excedit naturale.

30 Respondetur negando consequentiam, disparitas est quia infinito repugnat recipi, sic enim finiretur, & limitaretur per subiectum, vndè ampliùs infinitum non esset; Supernaturale autem creatum cum sit finitum, & limitatum non repugnat recipi in aliquo subiecto, & ideò naturale potest recipere supernaturale, non autem finitum infinitum.

31 Arguitur tertiò contrà secundam conclusionem. Viuere est agere, sed potentia obedientialis passiua non est actiua, ergò non est vitalis; Minor patet, Maior quoque videtur clara, nam viuere est mouere se à se ipso, ergò est agere.

32 Respondetur distinguendo Maiorem, viuere in actu secundo, concedo Maiorem, in actu primo, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Potentia enim passiua non est vitalis in actu secundo, sed tantùm in actu primo.

33 Instabis. Esse vitale in actu primo est dicere ordinem ad actum vitalem tanquam à se eliciendum, sed potentia obedientialis passiua hoc non facit, ergò neque est vitalis in actu primo: Minor patet, nam solùm dicit esse receptiuam actus: Maior verò probatur. Si visio elicita à Petro in oculo Pauli reciperetur non per hoc potentia visiua Pauli diceretur vitalis, ergò &c.

34 Respondetur distinguendo Maiorem, esse vitale formalitèr, concedo Maiorem, identicè, nego Maiorem, & concessa Minori, distinguo consequens eodem modo. Ad probationem respondetur eodem modo. Potentia ergò obedientialis passiua quando est vitalis non est talis formaliter, ità quòd vitalitas consistat in passione, & receptione, sed identicè, quià nimirùm talis potentia passiua est identificata cum potentia obedientiali actiua radicaliter, & remotè, quæ vitaliter producit actum supernaturalem. Licèt possit etiam dici formalitèr vitalis, in quantùm quod cum aduertentia recipit lumen, vel alium habitum supernaturalem ad differentiam potentię passiuę obedientialis nō vitalis, quæ talem aduertentiam non habet.

35 Arguitur vltimò. Ideò potentia obedientialis passiua est vitalis, quia lumen gloriæ v. g. quod recipit est vitale, sed hoc est falsum, ergò potentia obedientialis passiua non est vitalis; probatur Minor, vitale est illud, quod à principio intrinseco oritur, vt patet in visione, sed lumen gloriæ non oritur à principio intrinseco, sed ab extrinseco aduenit, ergò falsum est quod lumen gloriæ sit vitale.

36 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo Maiorem, in actu secundo, concedo Maiorem, in actu primo, nego Maiorem, & concessa Minori distinguo consequens eodem modo. Vitale ergò in actu secundo debet oriri à principio intrinseco, vitale autem in actu primo, & per modum principij quo non est necessè, quod veniat ab intrinseco, sed potest esse ab extrinseco, tunc enim vitalitatem habebit ex parte causæ efficientis vitalis, cuius sit formalis participatio, & ex parte causæ materialis vitalis ex eò quod educatur, & recipiatur in potentia vitali.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm potentia obedientialis formalitèr consistat in aliquo positiuo, vel negatiuo?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quòd potentia obedientialis dupliciter potest considerari. Primo modo antè eleuationem, quo modo sumitur vt informis; secundo modo quatenùs est eleuata, & affecta forma, vel virtute supernaturali, quo pacto sumitur vt formata. In præsenti non quærimus de constitutiuo potentiæ obedientialis secundo modo sumptæ, sic enim certum est esse aliquid positiuum, nempè formam, aut virtutem supernaturalem, sed quærimus quodnam sit illius constitutiuum primo modo sumptæ.

2 Aduertendum est secundò, quòd in potentia obedientiali sic sumpta duo reperiuntur, nempè entitas naturæ, quæ est aliquid positiuum, & non repugnantia ad formam supernaturalem, quam respicit tanquam aliquid indebitum; eo pari modo, quo in vnitate trascendentali consideratur entitas positiua, & negatio diuisionis; Quærimus ex his duobus quodnam sit illud, in quo potentia obedientialis formaliter consistat.

3 Aduertendum est tertiò non repugnantiam, quam dicit potentia obedientialis non esse non repugnantiam obiectiuam, quæ reperitur in termino, vel obiecto potentiæ, sicut est illa, quæ reperitur in calore ad hoc vt aquam afficiat, hæc enim dicit meram possibilitatem, non excludendo resistentiam ex parte aquæ, cui violentus est calor; neque etiam esse non repugnantiam fundatam in appetitu, hanc enim habet potentia naturalis in ordine ad formam naturalem; sed esse non repugnantiam subiectiuam, quæ sit in ipsa potentia non resistente, & non fundata suprà appetitum, ità quòd potentia merè negatiuè se habeat; sic enim potentia obedientialis distinguitur à potentia naturali, & violenta.

4 Prima sententia sustinet potentiam obedientialem formaliter consistere in negatione repugnantiæ, & de materiali solùm importare entitatem positiuam. Ità Aureolus in 1. dist. 21. q. 41. Ferrariensis 1. cont. Gent. cap. 5. Zumel p. p. q. 113. a. 1. disp. 3. Nauarette p. p. tom. 1. cont. 33. Martinez p. 2. q. 5. a. 8. dub. 2. Nazarius 3. p. q. 13. a. 2. cont. 4. Ægidius à Præsentatione tom. 2. lib. 10. q. 2. & ex Iesuitis Fonseca 1. Met. q. 1. sect. 1.

5 Secunda sententia asserit potentiam obedientialem consistere in ipsa entitate positiua Creaturarum, nec vlla ratione ab illa distingui, ac Creaturis conuenire ex vi suæ primæ productionis. Ità Suarez in Met. sect. 2. disp. 17. Albertinus in Cor. 1. d. & Caraffa.

6 Tertia sententia tuetur potentiam obedientialem consistere in aliqua entitate absoluta superaddita creaturis, & ab illis realiter distincta. Hanc referunt Soncinas 5. Met. q. 17. & Medina prima secundæ, q. 3. art. 8.

7 Quarta sententia docet potentiam obedientialem consistere formaliter in entitate positiua creaturarum, non quidem specificatiuè, sed reduplicatiuè sumpta, vt fundat negationem repugnantiæ; & hæc conciliat omnes Thomistas, qui inter se videntur oppositi; vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

8 PRima Conclusio. Potentia obedientialis nequit consistere formalitèr in aliquo negatiuo, seù in sola non repugnantia

tia ad recipiendum aliquid supernaturale.

9 Probatur primò. Si potentia obedientialis formali èr consisteret in aliquo negatiuo non haberet rationem potentiæ, consequens est absurdum, ergò & antecedens; Maior patet, siquidem negatiuum nequit habere rationem potentiæ; Minor verò probatur; illa est potentia Physica, & realis, quæ habet esse causa receptiua, & sustentatiua formarum supernaturalium, sed hoc habet potentia obedientialis, ergò habet rationem potentiæ.

10 Probatur 2. Id quod concurrit ad realem, & physicam compositionem per modum actus, vel potentiæ nequit esse al quid negatiuum, sed potentia obedientialis concurrit ad realem, & physicam compositionem per modum potentiæ, ergò nequit esse aliquid negatiuum: Maior patet, & Minor probatur, quià compositum quod significatur per hoc nomen *Gratia* est verum, & physicum compositum ex actu, & potentia, sed actus est gratia, potentia est anima ratione potentiæ obedientialis, ergò &c.

11 Respondent Contrarij satis esse quod substractum potentiæ obedientialis, scilicet ipsa entitas Creaturarum sit aliquid positiuum, non verò requiri, quòd sit aliquid positiuum id, quod est in ea formale.

12 Sed cõtrà primò; siquidē quod materiale est in potentia obedientiali est purum ens naturale, ergò si hoc reciperet formas supernaturales, & illas sustentaret, ac faceret cum illis compositionem, idm potentia naturalis, & non obedientialis reciperet aliquid supernaturale.

13 Contrà secundò. Si hoc sufficeret, sequeretur quod quando dicimus accidentia supernaturalia educi de potentia obedientiali subiecti talis loquutio esset falsa, cum è nihilo nihil possit educi, sed deberet dici quod educantur de potentia naturali, cum idem sit subiectum eductionis, ac receptionis, vel sustentationis, consequens est absurdum, ergò & antecedens.

14 Secunda Conclusio. Potentia obedientialis nequit consistere in aliqua entitate absoluta, siuè sit distincta, siuè non ab entitate Creaturarum.

15 Probatur. Idem est constitutiuum alicuius, ac distinctiuum illius ab omni alio, quod non est ipsum, sed aliquid positiuum præcisè sumptum nequit distinguere potentiam obedientialem à naturali, & violenta, ergò nequit esse constitutiuum potentiæ obedientialis; Minor probatur, nam etiam potentia naturalis, & violenta habent communem illam entitatem positiuam, ergò &c.

16 Tertia Conclusio. Potentia obedientialis consistit in entitate positiua, vt connotante non repugnantiam.

17 Probatur primò. Ponendo constitutiuum potentiæ obedientialis in entitate positiua, vt connotante non repugnantiam optimè saluatur differentia illius à potentia naturali, & violenta, ergò potentia obedientialis debet formaliter consistere in illa sic sumpta; antecedens probatur; potentia naturalis & violenta non important entitatem positiuam, vt connotantem negationem repugnantiæ, sed vt dicentem renitentiam, vel appetitum ad formam, ergò &c.

18 Probatur secundò. Potentia obedientialis debet exercere munus causæ materialis receptiuæ, & sustentatiuæ formarum supernaturalium, sed benè id potest facere, si ponatur consistere formalitèr in entitate positiua connotante negationem repugnantiæ, sic enim non est nihil, sed aliquid reale, & positiuum, ergò in illa debet formalitèr consistere.

19 Probatur vltimò. Licèt entitas præcisè sumpta, non possit esse constitutiua vnitatis, cum sic potiùs dicat commune subiectum omnium passionum transcendentalium, tamèn sumpta reduplicatiuè vt fundat negationem diuisionis potest esse illius constitutiua, cum hoc pacto illam distinguat, tùm à communi subiecto, tùm ab alijs passionibus, ergò similiter licèt entitas naturalis positiua præcisa sumpta nequeat esse constitutiua potentiæ obedientialis, cum sic illam non distinguat ab alijs potentijs, nec ab ipsa natura, tamèn reduplicatiuè sumpta vt fundat negationem repugnantiæ potest esse illius

lius constitutiua, cum hoc modo illam distinguat, tùm à substracto, seù materiali naturæ, tùm à potentia naturali, & violenta, quæ non dicunt negationem repugnantiæ.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

20 Arguitur primò contrà primam Conclusionem. In eo debet consistere potentia obedientialis, quod superaddit ad entitatem Creaturæ, sed ad entitatem Creaturæ non superaddit, nisi aliquod negatiuum, scilicet non repugnantiam, ergò potentia obedientialis consistit in aliquo negatiuo. Probatur Minor, si enim superadderet aliquod positiuum, vel hoc esset naturale, vel supernaturale; si secundum, ergò potentia obedientialis esset intrinsecè, & entitatiuè supernaturalis, quod nos infrà negabimus; Si primum, ergò iam daretur processus in infinitum, cum hoc sit eiusdem rationis cum entitate naturali præexistente, ergò &c.

21 Respondetur distinguendo Maiorem, additione impropria, & quò ad explicitum, concedo Maiorem, additione propria, & quò ad implicitum, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Itaque potentia obedientialis additione propria, & quò ad implicitum addit suprà entitatem creaturæ negationem repugnantiæ, additione verò impropria, & quò ad explicitum addit entitatem ipsam reduplicatiuè vt fundantem negationem, & in hac dicimus formaliter consistere potentiam obedientialem; eo modo, quo vnitas suprà entitatem additione propria, & quò ad implicitum addit solam negationem diuisionis, additione verò impropria, & quò ad explicitum addit ipsam entitatem positiuam, vt fundantem negationem diuisionis, & in illa diximus formaliter consistere vnitatem.

22 Instabis primò. Totum positiuum, quod reperitur in potentia obedientiali est commune cæteris potentijs, ergò constitutiuum potentiæ obedientialis nequit esse illud positiuum, quod impropriè addit suprà entitatem creaturæ, sed negatiuum, quod propriè addit; antecedens probatur, siquidem est entitas naturalis, ergò est commune etiam cæteris potentijs.

23 Respondetur distinguendo antecedens, specificatiuè sumptum, concedo antecedens, reduplicatiuè sumptum, nego antecedens. Itaque licèt illa entitas Creaturæ specificatiuè sumpta sit communis etiam cæteris potentijs, tamèn reduplicatiuè sumpta, vt fundat negationem repugnantiæ est propria potentiæ obedientialis, & ideò potest esse illius constitutiua. Sicut entitas reduplicatiuè sumpta, vt fundat negationem diuisionis est propria vnitatis, ac ideò illius constitutiua.

24 Instabis secundò. Quando aliquid constituit aliud solùm facta reduplicatione tunc adæquata ratio constitutiua illius est tantùm forma reduplicata, sed forma reduplicata in præsenti est sola negatio repugnantiæ, ergò ista tantùm erit constitutiua potentiæ obedientialis; Minor patet, & Maior probatur, quia enim paries disgregat visum inquantùm albus sola albedo est adæquata ratio formalis disgregandi visum, ergò &c.

25 Respondetur distinguendo Maiorem, si forma reduplicata sit ratio formalis, concedo Maiorem, si sit tantùm conditio sinè qua non, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Ad probationem, concedo antecedens, & distinguo consequens eodem modo. Quandò ergò forma reduplicata est ratio formalis, tunc benè potest esse constitutiuum adæquatum, si verò sit pura conditio sinè qua non nequit esse constitutiuum, cum autem negatio repugnantiæ sit pura conditio sinè qua non, indè stat quod nequit esse constitutiuum potentiæ obedientialis. Hoc patet multis exemplis; Essentia enim diuina non intelligitur constituta in ratione Ideæ nisi facta reduplicatione respectus rationis ad Creaturas, & tamèn talis respectus non est constitutiuus essentiæ diuinæ in ratione Ideæ. Similiter intellectio diuina non est fæcunda

nisi

nisi modificata sit relatione Paternitatis, & tamèn Paternitas non est constitutiua intellectionis in ratione actiui. Tandem causa agit in quantùm est in actu, & tamèn existentia non est ratio constitutiua illius in ratione agendi; vndè eadem ratio erit in præsenti.

26 Instabis tertiò. Id per quod consueuit explicari aliquid, non est sola conditio, sed ratio formalis constitutiua illius, sed potentia obedientialis consueuit explicari per negationem repugnantiæ, ergò censendum est constitui per illam.

27 Respondetur distinguendo Maiorem, si primariò importetur, concedo Maiorem, secundariò, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Illud ergò est constitutiuum alicuius, per quod consueuit explicari, si primariò importetur, secùs verò si secundariò. Nam substantia consueuit explicari per negationem essendi in alio, & tamèn eius constitutiuum est aliquid positiuum; Similitèr materia prima, & Deus solent explicari per plures negationes, & tamèn constituuntur per entitatem positiuam non alia ratione, nisi quia istæ negationes secundariò importantur; Vnde eodem modo se habebit potentia obedientialis. Vel dicatur quod potentia obedientialis explicatur per negationem repugnantiæ tanquam per aliquam notionem manifestantem eius essentiam, non autem tanquàm per adæquatum eius constitutiuum, sicut est innascibilitas respectu Patris in diuinis, quæ ipsum manifestat, non tamèn constituit.

28 Arguitur secundò contrà secundam, & tertiam conclusionem. Antecedenter ad quamcumque negationem intelligitur potentia obedientialis adæquatè constituta, ergò consistit in sola entitate positiua, antecedens probatur, nam potentia obedientialis definitur quod sit capacitas naturæ ad formam supernaturalem introducendam per agens supernaturale, sed in hac definitione nulla fit mentio de aliqua negatione, & aliundè adæquatè cognoscitur conceptus potentiæ obedientialis, vt à naturali, & violenta distinctæ, ergò &c.

29 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Minorem, explicitè, concedo Minorem, implicitè, nego Minorem, & consequentiam. In tali ergò definitione licèt explicitè non importetur aliqua negatio, tamèn implicitè includitur, siquidem potentia obedientialis non est capacitas vtcumque naturæ ad formam supernaturalem, sed per non repugnantiam, non autem cum resistentia, aut cum positiua inclinatione, & ideò semper intimè includitur negatio repugnantiæ in conceptu adæquato potentiæ obedientialis.

30 Instabis primò. Posita entitate Creaturæ subiectæ Deo sufficienter intelligitur constituta potentia obedientialis in ipsa, sed totum hoc importat præcisè aliquid positiuum, nec implicitè includendo negatiuum, ergò in solo positiuo potentia obedientialis consistit; Minor est clara, entitas enim positiua est, subiectio quoque est aliquid positiuum; Maior verò probatur, siquidem, si est subiecta Deo iam nata est ipsi obedire, ergò habet potentiam obedientialem.

31 Respondetur negando Minorem, ad probationem, nego consequentiam. Esse enim subiectum Deo idem sonat, ac non repugnans Deo, vndè semper in conceptu adæquato potentiæ obedientialis includitur negatio repugnantiæ, aliàs talis potentia esset violenta, vel naturalis.

32 Instabis secundò. Licèt essentiæ Creaturarum possibilitini explicentur per negationem repugnantiæ, tamèn in sententia probabili consistunt præcisè in aliquo positiuo, ergò pariter licèt potentia obedientialis explicetur per negationem repugnantiæ tamèn consistet præcisè in aliquo positiuo.

33 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est quia prima est non repugnantia Logica, seù Metaphysica, cuius contradictoria nempè repugnantia ad esse reperta v. g. in chimeris est aliquid negatiuum, vndè ipsa non repugnantia ad essendum debet esse aliquid positiuum; non repugnantia autem ad formam supernaturalem

lem in potentia obedientiali est Physica, & realis, cuius contradictoria, scilicet repugnantia reperta in potentia violenta est aliquid positiuum, vndè ipsa debet esse aliquid negatiuum. Imò sicuti in hac sententia Creaturæ possibiles sunt aliquod positiuum explicatum per non repugnantiam, ità potentia obedientialis erit aliquid positiuum explicatum per non repugnantiam.

34 Instabis tertiò. Munera, quæ exercet potentia obedientialis non possunt exerceri in aliquo negatiuo, ergò nequit consistere nisi in entitate positiua; Probatur antecedens; habet enim recipere, & substentare formas supernaturales, ergò munera quæ exercet potentia obedientialis non possunt exerceri in aliquo negatiuo.

35 Respondetur distinguendo antecedens, quod sit purè negatiuum, concedo antecedens, quod non sit purè tale, nego antecedens, & consequentiam; Munera ergò, quæ exercet potentia obedientialis exercet vtiquè rationem positiui, sed tamèn connotantis negationem repugnantiæ. Vndè nec in solo positiuo, nec in solo negatiuo consistere potest, sed in positiuo connotante negatiuum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm illud positiuum, in quo consistit Potentia Obedientialis, distinguatur ab entitate Creaturæ solùm explicitè?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis recolendum est distinctionem virtualem aliam esse penès excludens, & exclusum, aliam penes implicitum, & explicitum, vt dictum est suprà.

2 Prima sententia tenet nec quidem virtualiter distingui. Ità Martinez, Zumel, Medina, & ex Iesuitis Alarcon, Ouiedo, Ripalta, & alij.

3 Secunda sententia vult distingui formaliter à parte rei. Ità Manca, & Cabrera.

4 Tertia sententia docet virtualiter distingui. Ità Capreolus, Ferrariensis, Ledesma, Salmanticenses, Io: à S. Thoma, & ex Iesuitis, Suarez, Granado, Albertinus, & alij. Sed stante prædicta distinctione primam cum tertia sententia conciliat Piccinardus insignis recentior Thomista nostri Ordinis, & Prouinciæ; dicens primos negare solùm distinctionem virtualem exclusiuam, secundos verò solùm ponere explicatiuam; vndè fit,

§. II.

Veritas aperitur.

5 COnclusio. Positiuum, in quo ponitur potentia obedientialis distinguitur ab entitate Creaturæ solùm penès implicitum, & explicitum.

6 Probatur primò ratione D. Thomæ in 3. dist. 11. quæst. 1. art. 2. ad 2. Positiuum, in quo ponitur potentia obedientialis, nil aliud est, quàm ipsa entitas Creaturæ vt totaliter subiecta Deo, sed ista non distinguitur ab ipsa entitate Creaturæ, nisi penes implicitum, & explicitum, ergò positiuum, in quo ponitur potentia obedientialis, distinguitur ab entitate Creaturæ solùm penes implicitum, & explicitum; Maior patet, Minor verò probatur, nam esse subiectum Deo est modus intimè, & transcendentaliter inclusus, ac imbibitus in quacunque re creata, ergò non potest ab ipsa distingui, nisi penes implicitum, & explicitum; Sicut hac ratione substantia, & accidens solùm penes implicitum, ac explicitum distinguuntur ab ente, quia sunt modi intimè, & transcendentaliter in illo inclusi.

7 Respondent Contrarij, quod non minùs Creatura sub quacunque formalitate est existens, quàm sit subiecta Deo, hoc autem non obstante existentiam esse quid realiter superadditum ipsi Creaturæ, vndè similitèr ratio subiectionis Deo poterit esse aliquid realiter superadditum Creaturæ, ac ideò realiter ab illa distinctum.

8 Sed contrà. Nam existentia non est prædicatum transcendens, sed accidentale respectu Creaturæ: Esse autem dependens, & subiectum Deo in Creatura est prædicatum transcendens, & essentiale; in hoc enim essentialiter distinguitur ens creatum ab increato, vndè existentia nequit esse modus essentialiter imbibitus in Creatura, benè verò subiectio, & dependentia à Deo. Nec ex hoc sequitur transcendentia insufficienter fuisse enumerata, quia ibi loquuti sumus de transcendentibus, quæ competunt enti abstrahenti ab increato, & creato, non autem enti præcisè creato.

9 Probatur secundò. Si illud positiuum, in quo formaliter consistit potentia obedientialis importaret aliquid, vel realiter, vel formaliter ex natura rei, vel virtualiter exclusiuè distinctum ab entitate Creaturæ, vel hoc esset aliquod naturale, vel supernaturale, neutrum est dicendum, ergò non est aliquid distinctum ab ipsa, nisi penes implicitum, & explicitum; probatur Minor quò ad primam partem implicat enim quod sit aliquod naturale, & quod sit adæquatè exclusum ab ipsa entitate Creaturæ; & si hoc ponitur capax formæ supernaturalis, etiam ipsa entitas Creaturæ poterit esse capax illius; probatur quò ad secundam partem, si est aliquid supernaturale, ergò vel erit realiter entitatiuè distinctum ab entitate Creaturæ, vel aliquid intrinsecè supernaturale erit identificatum cum re naturali, quo nihil absurdius, ergò neutrum est dicendum.

10 Respondent Contrarij quod hoc idem eueniet si ponatur tale positiuum esse distinctum penès explicitum, & implicitum ab ipsa entitate Creaturæ.

11 Sed contrà. Nam stante sola distinctione penes implicitum, & explicitum iam tale positiuum est ipsa entitas Creaturæ, vt præcisè fundans non repugnantiam ad formam supernaturalem, & respiciens Deum vt agens supernaturale, vndè nullum ex illis inconuenientibus nascitur.

12 Probatur vltimò. Sicut potentia obedientialis importat aliquid positiuum de formali, & de connotato negationem resistentiæ, ità potentia violenta importat aliquid positiuum de formali, & resistentiam de connotato, & potentia naturalis pariter de formali importat aliquid positiuum, & de connotato appetitum ad formam, sed positiuum importatum de formali tàm à potentia violenta, quàm à naturali non distinguitur nisi penès implicitum, & explicitum à re naturali, ergò etiam positiuum importatum de formali à potentia obedientiali distinguetur solùm penès implicitum, & explicitum à re naturali. Probatur Minor; si istæ duæ potentiæ importarent aliquid positiuum distinctum plusquàm explicitè à re naturali, iam forma naturalis, & violenta non essent inter se contrariæ, cum non reciperentur in eodem subiecto formali, ergò positiuum &c.

§. III.

Argumenta soluuntur.

13 Arguitur primò. Potentia obedientialis respicit formam supernaturalem, est vna specie in omnibus rebus creatis, est infinita syncategorematicè, & non inclinat in suos actus, sed hæc omnia non competunt potentiæ naturali, ergò debet dari distinctio plusquam penes implicitum, & explicitum.

14 Respondetur negando consequentiam. Sola enim distinctio penes implicitum, & explicitum sufficit ad verificanda huiusmodi contradictoria. Hac enim ratione in diuinis dicimus quod essentia communicatur, Paternitas non communicatur, intellectus est principium generandi, non autem voluntas, & tamèn inter se non distinguuntur, nisi pe-

penes implicitum, & explicitum: similiter verum specificat intellectum, bonum autem voluntatem; Potentia visiua hominis, & equi in ratione potentiæ sunt eiusdem speciei, in ratione verò proprietatis specie differunt, & tamèn in illis ratio potentiæ, & proprietatis, sicut etiam bonum, & verum non distinguuntur nisi penes implicitum, & explicitum; vndè eadem ratio esse potest de potentia naturali, & obedientiali, cum hac ratione prima etiam possit cognosci, imò & comprehendi non cognita secunda.

15 Instabis primò. Quæ differunt specie entitatiuè distingui debent, sed potentia naturalis, & obedientialis differunt specie, ergò entitatiuè debent distingui; Maior patet, quia enim homo, & Leo specie differunt, entitatiuè distinguuntur; Minor quoque videtur clara, cum respiciant actus adæquatè distinctos.

16 Respondetur distinguendo Maiorem, Physicè, concedo Maiorem, Metaphysicè, nego Maiorem, & distincta Minori eodem modo, nego consequentiam. Dupliciter ergò aliqua possunt differre specie Physicè scilicet, & Metaphysicè. Illa differunt Physicè, quæ habent naturas à parte rei essentialiter diuersas, vt homo, & Asinus, & ista distinguuntur entitatiuè; Illa differunt Metaphysicè, quæ ab intellectu secundùm diuersas formalitates concipiuntur, vt absoluta in Diuinis, proprietates entis, & in proposito potentia naturalis, & obedientialis, & ista non distinguuntur entitatiuè, sed sufficit quod distinguantur penes implicitum, & explicitum.

17 Instabis secundò. Plus differunt potentia naturalis, & obedientialis, quam duæ potentiæ naturales, sed duæ potentiæ naturales differunt specie Physicè, ac ideò entitatiuè, ergò à fortiori potentia naturalis, & obedientialis.

18 Respondetur distinguendo Maiorem, formaliter, concedo Maiorem, materialiter, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque licèt potentia naturalis, & obedientialis plus differant formaliter, scilicet reduplicando rationem potentiæ, quàm duæ potentiæ naturales, quia vna respicit formas naturales, alia verò supernaturales, tamèn materialiter, & quò ad entitatem plus differunt duæ potentiæ naturales, quàm naturalis, & obedientialis, eò quia istæ sunt in eodem subiecto, ac ideò entitatiuè sunt idem, illæ verò sunt in diuersis subiectis, & per consequens sunt entitatiuè diuersæ.

19 Instabis tertiò. Intellectus, & Voluntas sunt in eodem subiecto, & tamèn distinguuntur realiter entitatiuè inter se, ergò esto potentia naturalis, & obedientialis sint in eodem subiecto tamèn inter se distinguuntur realiter entitatiuè; Maior patet, sunt enim in eadem anima rationali; Minor quoque videtur clara in nostra sententia.

20 Respondetur negando consequentiam, & disparitas est eo quia intellectus est principium quo respectu voluntatis, cum ista dimanet ab anima mediante intellectu, & ideò petit etiam ab ipso distingui tanquam à sua causa; non sic autem se habent potentia naturalis, & obedientialis, vndè non possunt etiam entitatiuè distingui.

21 Instabis quartò. Ideò intellectus, & voluntas distinguuntur realiter entitatiuè esto sint in eodem subiecto, quia specificantur ab obiectis diuersis, sed etiam potentia naturalis, & obedientialis esto sint in eodem subiecto specificantur ab obiectis diuersis, ergò etiam istæ distinguuntur realiter entitatiuè.

22 Respondetur negando Maiorem; Ex hoc enim solùm conuincitur distingui inter se formaliter per rationem, distinguuntur autem realiter entitatiuè, quia intellectus est principium quo voluntatis.

23 Instabis 5. Non solùm intellectus, & voluntas distinguuntur inter se realiter entitatiuè in ratione proprietatis, verùm etiam in ratione potentiæ, sed ratio quare distinguantur in ratione potentiæ non est quia intellectus est principium quo voluntatis, sed quia specificantur ab obiectis diuersis, ergò si quoque potentia naturalis, & obedientialis specificantur ab obiectis diuersis erunt realiter entitatiuè inter se di-

stinctæ in ratione potentię. Probatur Minor, nam quod intellectus sit principium quo voluntatis est tantùm ratio quare distinguantur in ratione proprietatis, ergò &c.

24 Respondetur primò distinguendo Maiorem, identicè, concedo Maiorem, formaliter, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Ratio ergò quarè intellectus, & voluntas distinguuntur realiter entitatiuè in ratione potentiæ non est formalis ex eò quod habeant diuersa obiecta, sic enim etiam intellectus, & voluntas in Deo deberent distingui realiter entitatiuè cum habeant diuersa obiecta, sed est identica, quia scilicet intellectus in ratione potentiæ cum se ipso identificatur in ratione proprietatis, & similiter Voluntas, vndè cum in ratione proprietatis distinguantur realiter entitatiuè ex consequenti, & identicè distingui etiam debent realiter entitatiuè in ratione potentiæ. Potentia autem naturalis, & obedientialis non distinguuntur realiter entitatiuè in ratione proprietatis, & ideò neque in ratione potentiæ realiter entitatiuè distingui debent.

25 Respondetur 2. Quod intellectus, & voluntas distinguuntur realiter entitatiuè in ratione potentiæ, quia vtraque potentia inclinat in suum obiectum, nequit enim eadem entitatiuè potentia inclinare in obiecta diuersa; Potentia autem obedientialis non inclinat in suum obiectum, sicut facit potentia naturalis, & ideò non repugnat quod identificentur inter se.

26 Arguitur secundò. Substantia, & accidens distinguuntur realiter entitatiuè, sed potentia obedientialis est accidens, ergò realiter entitatiuè debet distingui ab entitate rei naturalis, quæ est substantia: probatur Minor. Potentia quæ immediatè respicit actum accidentalem est accidens, sed potentia obedientialis immediatè respicit actum accidentalem, cum immediatè recipiat gratiam, & alios habitus supernaturales, qui sunt accidentia, ergò &c.

27 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo Maiorem, per modum potentiæ actiuæ, concedo Maiorem, passiuæ, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Licèt ergò potentia actiua immediatè ordinata ad actum accidentalem debeat esse accidens, cum substantia non sit immediatè operatiua, & non agat nisi medijs potentijs accidentalibus superadditis, vel medijs habitibus supernaturalibus, qui ad modum potentiæ dant simpliciter posse, tamèn potentia passiua immediatè ordinata ad actum accidentalem non debet esse accidens, compositum enim immediatè recipit accidentia, & tamèn est substantia completa: vndè similiter potentia obedientialis poterit immediatè recipere gratiam, & alios habitus supernaturales absque eo quod sit de genere accidentis.

28 Instabis primò. Actus, & potentiæ per Philosophum debent esse in eodem genere, ergò si actus est in genere accidentis potentia immediatè receptiua illius debet quoque esse in genere accidentis.

29 Respondetur explicando Philosophum, potentia actiua proxima, concedo antecedens, potentia passiua, nego antecedens, & consequentiam. Loquitur enim Philosophus de potentia proxima actiua, ex quo probatur quod substantia non sit immediatè operatiua; non verò de potentia radicali actiua, aut de potentia passiua, aliàs substantia nullam actiuitatem haberet erga effectum, vel deberet admitti processus in infinitum.

30 Instabis secundò. Non minùs potentia passiua specificatur ab actu, quem immediatè recipit, quàm actiua ab eo, quem immediatè elicit, sed stante secundo potentia proximè actiua actus accidentalis debet esse in genere accidentis, ergò etiam stante primo potentia proximè passiua actus accidentalis, qualis est potentia obedientialis, debet esse in genere accidentis.

31 Respondetur cum Caietano distinguendo Maiorem, si sit per se ordinata ad illum, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Verum est ergò quod etiam potentia passiua specificatur ab actu, quem immediatè recipit, sed hoc est quando per se ordinatur

tur ad illum; secùs verò si actus essentialiter ordinetur ad potentiam, aliàs cum potentia passiua esset accidens, substantia receptiua illius deberet quoquè esse accidens, vel requireret nouam potentiam receptiuam illius, & ità daretur processus in infinitum, vndè tandem debet fieri status in substantia, quæ sit potentia receptiua alicuius accidentis; Cum autem potentia obedientialis non ordinetur per se ad actus accidentales, ideò non petit ab eis specificari, & esse in genere accidentis.

32 Instabis tertiò. Potentia obedientialis per se ordinatur ad gratiam, & alios habitus supernaturales, sed huiusmodi habitus sunt accidentales, ergò potentia obedientialis ordinatur per se ad actus accidentales; Minor patet; Maior quoque est clara, in hoc enim essentialiter distinguuntur potentia naturalis, & obedientialis, quod illa per se ordinatur ad formas naturales, ista verò ad formas supernaturales.

33 Respondetur distinguendo Maiorem, quà formaliter supernaturales sunt, concedo Maiorem, quà accidentales sunt, nego maiorem, & concessa Minori, nego consequentiam. Potentia ergò obedientialis per se ordinatur ad recipiendam gratiam, & alios habitus supernaturales formalissimè quà supernaturales sunt, & in hoc distinguitur à potentia naturali, non verò quatenùs sunt accidentia, vndè ratione illorum dicenda est supernaturalis, extrinsecè tamèn, & terminatiuè, non verò accidentalis.

34 Instabis quartò. Id quod respicit aliquod extrinsecum quomodocunque, entitatiuè debet distingui à substantia rei, ergò si potentia obedientialis respicit gratiam, & alios habitus supernaturales debet distingui entitatiuè ab ipsa substantia rei; antecedens probatur, ideò potentiæ animæ realiter distinguuntur ab anima, quia respiciunt obiecta extrinseca, ergò id &c.

35 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, & quia realiter emanant ab ipsa, concedo antecedens, precisè per hoc, nego antecedens, & consequentiam. Realis ergò distinctio potentiarum ab anima nascitur primò, & per se ex reali emanatione, quâ sicut effectus realiter distinguuntur à sua causa: Respicientia autem alicuius extrinsecei formalissimè quà talis solùm arguit distinctionem penes implicitum, & explicitum, vt de facto videmus in vero, & bono respectu entis, à quo distinguuntur solum explicitè, quia dicunt ordinem ad intellectum, & voluntatem, quem non dicit ens. Vndè ex eo, quòd potentia obedientialis respiciat gratiam, & alios habitus supernaturales, sicut & Omnipotentiam Diuinam solùm sequitur, quòd distinguatur à substantia rei naturalis penes implicitum, & explicitum.

36 Arguitur tertiò. Substantia rei naturalis antecedenter ad quamcumque nouam formalitatem intelligitur esse subiecta Deo, ergò positiuum importatum à potentia obedientiali neque explicitè distinguitur à substantia rei naturalis; Consequentia patet; antecedens quoque videtur clarum, nam antecedenter ad quamcumque formalitatem intelligitur esse creata, ergò subiecta Deo.

37 Respondetur distinguendo antecedens, radicaliter, seù fundamentaliter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem distinguo consequens eodem modo. Ex eo ergò, quod substantia naturalis sit creata, radicat vtique subiectionem ad Deum, eamquè implicitè claudit in suo conceptu, cæterum formalissimè ipsam non explicat, nisi per se ipsam vt non repugnantem Deo, in quo potentia obedientialis consistit.

38 Arguitur vltimò. Ideò potentia obedientialis est distincta virtualiter à potentia naturali, quià connotat diuersum obiectum, sed ista ratio est nulla, ergò virtualiter inter se non distinguuntur, probatur Minor; in substantia animæ potentia susceptiua intellectus, & voluntatis connotat diuersas rationes in ipsa fundatas, scilicet intellectum, & voluntatem, & tamèn est vna, & indiuisibilis etiam absque virtuali distinctione, ergò &c.

39 Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo antecedens, diuersas

ratio-

rationes materialiter distinctas, concedo antecedens, formaliter distinctas, nego antecedens, & consequentiam. Cum enim intellectus, & voluntas sint ambo in linea naturali ideò constituunt connotata tantùm materialitèr diuersa, formæ autem naturales, & supernaturales sunt in linea diuersa, & ideò sunt connotata formalitèr diuersa.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Potentia Obedientialis sit naturalis, vel supernaturalis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est, quòd dupliciter aliquid potest esse supernaturale; Primò intrinsecè, & entitatiuè; Secundò extrinsecè, & obiectiuè, seù terminatiuè. Primo modo dicitur supernaturale illud, quod ex sua intrinseca ratione est suprà totam naturam creatam, & creabilem, vt vnio hypostatica, Gratia, Dona Spiritus Sancti, & similia. Secundo modo dicitur supernaturale illud, quod licèt in se sit entitas naturalis, tamèn respicit aliquid supernaturale, sicut in multorum sententia est nostra Theologia. In præsenti quærimus an potentia obedientialis sit naturalis, vel supernaturalis, & si est supernaturalis, an sit talis intrinsecè, & entitatiuè, vel solùm extrinsecè, & obiectiuè.

2 Prima sententia tenet potentiam obedientialem in rebus naturalibus esse præcisè naturalem. Itá Scotus in 4. dist. 49. q. 9. & 10. Palatius disp. 1. Prol. 1. sent. & Zumel 1. p. q. 12. art. 1.

3 Secunda sententia asserit potentiam obedientialem esse entitatiuè, & intrinsecè supernaturalem. Itá Manca, & Cabrera, citantes Caietanum, Paludanum, Medinam, & alios grauissimos Thomistas.

4 Tertia sententia docet potentiam obedientialem esse supernaturalem solùm extrinsecè, & terminatiuè, intrinsecè autem, & entitatiuè esse naturalem. Itá Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 153. Brunus q. 15. Met. art. 1. & ferè omnes Thomistæ. Nec quidem discrepat Caietanus p. 2. q. 113. art. 10. ad medium, solùm dicens potentiam obedientialem non esse simpliciter, idest omnibus modis naturalem; Ex Iesuitis verò eam defendit Alarcon, & Ripalta; Vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

5 PRima conclusio. Potentia obedientialis nequit esse præcisè naturalis.

6 Probatur primò ratione D. Thomæ in 3. dist. 43. q. 1. art. 1. Omni potentiæ passiuæ naturali correspondet potentia actiua naturalis reducens illam ad actum, sed nulla datur potentia actiua naturalis, quæ possit reducere ad actum potentiam obedientialem passiuam, & receptiuam formarum supernaturalium, ergò potentia obedientialis non est præcisè naturalis; Minor patet, nam actus, quos recipit potentia obedientialis excedunt potentiam actiuam naturalem, cum sint supernaturales, Maior verò probatur, potentia naturalis passiua naturaliter ordinatur ad actum, à quo perficiatur, actus autem non posse produci nisi daretur potentia actiua naturalis producens talem actum, ergò &c.

7 Probatur secundò alia ratione D. Thomæ q. 8. de Veritate, art. 4. ad 13. Omnis potentia passiua purè naturalis remanet imperfecta, nisi aliquando reducatur ad suum actum, sed potentia obedientialis non remanet imperfecta, etiam si non reducatur ad

suum actum, ergò non est purè naturalis; Maior patet, nam potentia perficitur per actum, Minor verò probatur, quia natura Angelica habet potentiam obedientialem ad hoc vt assumatur à Deo, & noster intellectus habet potentiam obedientialem ad hoc vt recipiat lumen propheticum, & tamèn neque potentia obedientialis Angeli, neque nostra remanet imperfecta, etiam si non reducatur ad prædictos actus, ergò &c.

8 Probatur tertiò. Causa purè naturalis producit suum effectum cum concursu naturali Dei auctoris naturæ, illique subordinatur, vt primæ causæ efficienti naturali, & ordinatur ad illum, vt ad vltimum finem naturalem, sed potentia obedientialis non producit suum effectum cum concursu naturali Dei auctoris naturæ, nec illi subordinatur, vt primæ causæ efficienti naturali, nec ordinatur ad illum vt ad vltimum finem naturalem, ergò non est purè naturalis; probatur Minor, proprius effectus potentiæ obedientialis Animæ respectu gratiæ est illam recipere, & sustentare, sed hoc tantùm facit medio concursu supernaturali Dei, & hoc pacto illi subordinatur vt agenti supernaturali, & ordinatur ad illum vt ad finem supernaturalem, ergò potentia obedientialis non producit suum effectum cum concursu naturali Dei auctoris naturæ, nec &c.

9 Secunda conclusio. Potentia obedientialis non est entitas intrinsecè supernaturalis formaliter distincta ab entitate rei naturalis.

10 Probatur primò. Non sunt multiplicanda entia sinè necessitate, sed nulla est necessitas ponendi istam entitatem intrinsecè supernaturalem, ergò non datur potentia obedientialis, quæ sit entitas intrinsecè supernaturalis formaliter distincta ab entitate rei naturalis; Maior patet; Minor probatur, entitas rei naturalis simul cum nō repugnantia negatiuè sumpta sufficienter constituit potentiam obedientialem vt distinctam à naturali, & violenta, ergò non est necessaria entitas intrinsecè supernaturalis superaddita; antecedens probatur, potentia naturalis positiuè exigit formam naturalem, non autem merè negatiuè se habet ad illam; Item potentia violenta positiuè resistit formæ contrariæ, ergò entitas rei naturalis simul cū nō repugnātia negatiuè sumpta sufficienter constituit potentiam obedientialem, vt distinctam à naturali, & violenta.

11 Probatur secundò. Nam Manca ponit contradictoria in terminis, ergò eius sententia nullatenùs est admittenda; antecedens probatur, ponit enim quod potentia obedientialis sit intrinsecè, & entitatiuè supernaturalis, & quod realiter entitatiuè sit identificata cum substantia naturali, licèt sit formaliter ab illa distincta, sed hoc est ponere contradictoria in terminis, ergò ponit &c. Probatur Minor, nam implicat quod eadem entitas sit intrinsecè naturalis, & supernaturalis, sed eo ipso, quòd potentia obedientialis est realiter entitatiuè identificata cum substantia naturali iam debet esse entitatiuè, & intrinsecè naturalis, ergò est ponere contradictoria in terminis dicendo quod deindè sit intrinsecè supernaturalis.

12 Probatur tertiò. Si potentia obedientialis esset intrinsecè, & entitatiuè supernaturalis iam non esset potentia obedientialis, consequens est absurdum, ergò & antecedens. Sequela Maioris probatur, siquidem exigeret positiuè formas supernaturales, non autem merè negatiuè se haberet ad illas, cum esset illis proportionata; hac enim ratione potentia naturalis exigit formas naturales, quia est proportionata cum illis, ergò si potentia obedientialis esset intrinsecè, & entitatiuè supernaturalis, iam non esset potentia obedientialis, hæc enim dicit puram non repugnantiam.

13 Probatur quartò argumento quod contrà se obijcit Manca. Res intrinsecè supernaturalis magis differt à naturali, quàm spirituale à materiali, sed nequit aliquid spirituale identificari cum re materiali, ergò à fortiori neque aliquid intrinsecè supernaturale poterit cum naturali identificari; ac ideò si à Manca ponitur potentia obedientialis vt realiter entitatiuè identificata cum entitate rei naturalis non potest esse intrinsecè supernaturalis.

14 Resp-

14 Respondet ex Cabrera 3. p. q. 2. art. 4. disp. 8. num. 17. & 18. modum vnionis inter animam rationalem, & corpus esse materialem, & tamen identificari cum anima rationali; Modum quoque vnionis supernaturalem identificari cum re naturali. Et deniquè accidens plus differre à substantia, & tamen identificari cum illa.

15 Sed contrà primò. Nam iste auctor assumit malæ causæ peius patrocinium. Quis enim inter veros Thomistas, inter quos ipsum computat Manca, vnquam dixit accidens identificari cum substantia? hoc namque omninò absurdum est; esset enim, & non esset accidens, esset vt supponitur, non esset, quia esset idem cum substantia.

16 Contrà secundò. Quia in communiori sententia Thomistarum non datur modus supernaturalis vnionis inter subsistentiam Diuinam, & naturam humanam, nec modus vnionis materialis, aut spiritualis inter animam rationalem, & corpus, sed se ipsis immediatè vniuntur; Et in sententia tales modos admittente non est verum modum vnionis supernaturalem identificari cum natura humana, aut modum vnionis materialem identificari cum anima rationali, cum hoc omninò repugnet, sed sunt nexus tùm à natura humana, tùm ab anima rationali realiter distincti, ergò ex omni parte ruunt eorum solutiones.

17 Probatur quintò. Anima rationalis per suam præcisam entitatem seclusa omni realitate supernaturali superaddita sufficienter intelligitur capax gratiæ, sed illam recipit per potentiam obedientialem, ergò potentia obedientialis non est entitas supernaturalis, licèt diminuta superaddita creaturæ; probatur Maior primò, nam ideò anima rationalis est capax gratiæ, quia facta est ad imaginem Dei, sed ad imaginem Dei facta est secundùm suam naturam seclusa omni realitate supernaturali superaddita, ergò anima rationalis per suam præcisam entitatem seclusa omni realitate supernaturali superaddita sufficienter intelligitur capax gratiæ. Secundò, quia per D. Thomam 1. p. q. 48. art. 3. idem est subiectum habitus, & priuationis, sed anima rationalis se ipsa est subiectum maculæ, & priuationis gratiæ, ergò se ipsa quoque erit subiectum gratiæ, licèt secundùm diuersam potentiam.

18 Probatur vltimò. Si potentia obedientialis esset intrinsecè, & entitatiuè supernaturalis sequeretur, quod non posset dari aliqua creatura purè naturalis, consequens est absurdum, ergò & antecedens; Minor patet, nam Deus de facto potuit producere hominem in puris naturalibus; Sequela Maioris probatur. Quælibet creatura, cum sit subiecta Deo habet potentiam obedientialem, ergò si potentia obedientialis esset intrinsecè, & entitatiuè supernaturalis sequeretur, quod non posset dari aliqua creatura purè naturalis.

19 Tertia conclusio. Potentia obedientialis est intrinsecè, & entitatiuè naturalis, supernaturalis verò extrinsecè, & terminatiuè.

20 Probatur prima pars. Id quod intelligitur emanare à natura cuiuscunque rei creatæ tanquam proprietas illius est intrinsecè, & entitatiuè naturale, sed potentia obedientialis intelligitur emanare à natura cuiuscunque rei creatæ tanquam proprietas illius, ergò est intrinsecè naturalis; Maior patet, Minor probatur, potentia obedientialis consistit in subiectione creaturæ ad Deum, sed hæc veluti proprietas emanat à natura cuiuscumque rei creatæ, quæ eo ipso, quod creata est, dependens est à Deo, & illi subiecta, ergò &c.

21 Probatur secundò. Illud quod identificatur cum entitate rei naturalis est intrinsecè, & entitatiuè naturale, sed potentia obedientialis identificatur cum entitate rei naturalis, ergò est intrinsecè, & entitatiuè naturalis; Minor liquet ex antecedenti articulo; Maior quoque ex se patet.

22 Probatur tertiò. Ideò potentia obedientialis non esset intrinsecè naturalis, quia specificatur à forma supernaturali, sed hæc ratio est nulla, ergò est intrinsecè naturalis; Minor probatur. Logica est scientia realis, & tamèn specificatur ab ente rationis; Item accidens specificatur per ordinem

ad

ad substantiam, ergò similiter aliquid naturale poterit specificari per ordinem ad formam supernaturalem. Tandem sicut potentia obedientialis specificatur à forma supernaturali, ità potentia violenta specificatur à forma violenta, & tamèn ista solùm extrinsecè, & terminatiuè dicitur violenta, non autem intrinsecè, & entitatiuè, ergò similiter potentia obedientialis &c.

23 Probatur secunda pars. Potentia obedientialis respicit formam supernaturalem, vt introducendam ab agente supernaturali, & ordinatur in finem supernaturalem, ergò saltem extrinsecè, & terminatiuè dicenda est supernaturalis.

§. III.

Argumenta soluuntur.

24 Arguitur primò contrà primam conclusionem ex D. Thoma p. 2. q. 113. art. 10. vbi ait, quod anima naturaliter est capax gratiæ; & eò ipso quod facta est ad imaginem Dei capax est Dei per gratiam, vt Augustinus dicit lib. de Prædest. Sanctorum cap. 4. posse habere Fidem, & Charitatem naturæ est hominum, habere verò Fidem, & Charitatem gratiæ est fidelium, ergò homo habet potentiam naturalem ad formas supernaturales, ac ideò potentia obedientialis est præcisè naturalis.

25 Respondetur explicando vtrumque S. Doctorem, naturalitate consentaneitatis, concedo antecedens, naturalitate inclinationis, nego antecedens, & consequentiam. Homo ergò naturaliter capax est gratiæ, non naturalitate inclinationis, sed naturalitate consentaneitatis, nam eo ipso quod anima facta est ad imaginem Dei, & habet intellectum, & voluntatem redditur aptior ad gratiam, quàm cæteræ naturæ, non ità tamèn, quod habeat inclinationem ad illam. Sicut in sententia Scotistarum Cælum ob sui rotunditatem habet idoneitatem ad motum circularem, & tamèn non habet inclinationem naturalem, sed potiùs neutralitatem ad ipsum.

26 Instabis primò. In Brutis reperitur capacitas ad formas supernaturales sinè inclinatione, ergò in homine debet esse capacitas cum inclinatione, ac ideò potentia purè naturalis; consequentia probatur; nam secùs tales potentiæ essent eiusdem speciei, consequens est absurdum, ergò & antecedens.

27 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo Maiorem, si considerentur præcisè in ratione potentiæ, transeat Maior, in ratione veluti proprietatis, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Sicut ergò potentia visiua hominis, & leonis in ratione potentiæ sunt eiusdem speciei, quia attingunt obiecta sub eadem ratione; & in ratione proprietatis differunt specie, quia consequuntur ad naturas specie differentes; ità potentia obedientialis hominis, & Brutorum possunt dici eiusdem speciei in ratione potentiæ, quia feruntur in formas supernaturales sub eadem ratione non repugnantiæ, in ratione verò proprietatis esse diuersæ speciei, cum consequantur ad naturas essentialiter diuersas.

28 Instabis secundò. Omnis actus perfectiuus est connaturalis subiecto, & ab ipso appetitur, sed formæ supernaturales sunt perfectiuæ animæ rationalis, ergò sunt illi connaturales, & ab ipsa appetuntur, ac ideò dicet potentiam præcisè naturalem ad illas.

29 Respondetur distinguendo Maiorem, si sit proportionatus, concedo Maiorem, secùs, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Quandò enim actus perfectiuus est proportionatus subiecto, tunc solùm est illi connaturalis; & ab eo appetitur, cum autem formæ supernaturales sint improportionatæ animæ, ideò nec illi sunt connaturales, nec ab ea connaturaliter appetuntur.

30 Instabis tertiò. Accidens supernaturale respicit naturaliter subiectum naturale, ergò etiam formæ supernaturales erunt connaturales animæ, & ab illa secundùm potentiam naturalem respicientur.

31 Respondetur negando antecedens, illud enim tantùm respicit in ratione potentiæ obedientialis, non verò naturalis, cum sit improportionatum, vnde eadem ratio est etiam de formis supernaturalibus respectu animæ.

32 Instabis quartò. Nihil connaturalius est creaturæ, quàm subijci Deo, sed hoc facit tàm subiectum recipiendo accidens supernaturale, quàm anima recipiendo formas supernaturales, ergò vtrumque erit maximè connaturale illis.

33 Respondetur distinguendo Maiorem, vt auctori naturæ, concedo Maiorem, vt auctori supernaturali, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Potentia enim obedientialis non consistit in subiectione Deo vt auctori naturæ, sed vt auctori supernaturali, quatenùs respicit formam supernaturalem, quæ vtique introduci nequit per agens naturale, sed tantùm supernaturale.

34 Arguitur secundò contrà secundam conclusionem. Illud, quod specificatur ab ente supernaturali formalitèr qua tali debet esse intrinsecè, & entitatiuè supernaturale, sed potentia obedientialis specificatur ab ente supernaturali formalitèr qua tali, ergò debet esse intrinsecè supernaturalis; Maior patet, nam licèt appetitus elicitus inefficax tendere possit in visionem Beatam supernaturalem, tamèn est naturalis, quia non fertur in illam nisi materialitèr, & non formalitèr vt supernaturalem; & etiam cognitio, quam habet Hæreticus de aliqua veritate supernaturali, naturalis est, quia non fertur in illam, vt formaliter supernaturalem; ab opposito autem habitus infusi, & eorum actus sunt intrinsecè, & entitatiuè supernaturales, quia respiciunt obiecta formaliter, vt supernaturalia; Minor probatur, in hoc enim distinguitur potentia naturalis ab obedientiali, quod illa respicit formas naturales, ista verò supernaturales.

35 Respondetur distinguendo Maiorem, si dicat positiuam tendentiam, & inclinationem ad illud, concedo Maiorem, si dicat puram non repugnantiam, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque quando aliquid specificatur ab ente supernaturali formaliter qua tali dicendo positiuam tendentiam, & inclinationem ad illud, debet vtique esse intrinsecè, & entitatiuè supernaturale, vt patet in habitibus infusis, & eorum actibus, cæterum si dicat puram non repugnantiam sufficit quod sit supernaturale solùm extrinsecè, & terminatiuè, cum autem hoc pacto se habeat potentia obedientialis, indè stat, quod solùm extrinsecè, & terminatiuè est supernaturalis; Eo modo quo potentia violenta solùm extrinsecè, & terminatiuè dicitur talis.

36 Instabis. Potentia obedientialis specificatur ab ente supernaturali cum positiua tendentia, & inclinatione ad illud, ergò est intrinsecè supernaturalis; Antecedens probatur; Quod causatur in nobis à Deo, non vt auctore naturæ, sed gratiæ positiuè tendit, & inclinat in ens supernaturale, sed potentia obedientialis non causatur in nobis à Deo, vt auctore naturę, sed gratiæ, ergò verū antecedens: Maior patet, hac enim ratione habitus infusi, & eorum actus tendunt positiuè, & cum inclinatione in obiecta supernaturalia, quia efficiuntur à Deo, non vt auctore naturæ, sed gratiæ; Minor probatur, nam vt inquit D. Thomas 1. p. q. 44. art. 4. idem proportionaliter est efficiens, & finis eiusdem rei, sed finis potentiæ obedientialis est Deus vt auctor gratiæ, ergò similiter vt auctor gratiæ erit causa efficiens illius.

37 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Maiorem, si causetur per se, concedo Maiorem, per accidens, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaque potentia obedientialis non causatur per se à Deo, vt auctore gratiæ, sed tantùm per accidens, nempè vt sit fulcimentum formarum supernaturalium, ad differentiam habituum supernaturalium, qui per se causantur à Deo vt auctore gratiæ.

38 Arguitur tertiò. Ordo supernaturalis non est minùs perfectus, quàm sit ordo naturalis, sed in ordine naturali reperiuntur

tur

tur quatuor genera causarum, quæ sunt intrinsecè, & entitatiuè naturalia, ergò similiter reperientur in ordine supernaturali; sed causa materialis ordinis supernaturalis est potentia obedientialis, ergò potentia obedientialis debet esse extrinsecè, & entitatiuè supernaturalis.

39 Respondetur negando consequentiam. Ratio enim quare in ordine naturali omnes causæ sint intrinsecè, & entitatiuè naturales non est ex eo quod sit talis ordo perfectus, sed quia infrà ordinem naturalem non reperitur alius ordo; infrà autem ordinem supernaturalem adest ordo naturalis, & ideò cum causa materialis debeat esse imperfectior suo effectu, inde benè stat, quod potentia obedientialis, quæ est causa materialis ordinis supernaturalis sit intrinsecè, & entitatiuè naturalis, & solùm extrinsecè, & terminatiuè supernaturalis.

40 Instabis primò. Etiam causa materialis entis supernaturalis debet esse intrinsecè supernaturalis, ergò si potentia obedientialis est causa materialis petit esse intrinsecè, & entitatiuè supernaturalis; probatur antecedens, etiam causa materialis aliquid causat in suo effectu, nempè esse ipsius, sed nihil intrinsecè naturale potest causare aliquid in ente supernaturali, ergò etiam causa materialis &c.

41 Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo Minorem, in genere causę efficientis, concedo Minorem, in genere causæ materialis, nego Minorem, & consequentiam. Licèt ergò id, quod est intrinsecè naturale non possit causare aliquid in ente supernaturali in genere causæ efficientis, id tamèn potest facere in genere causæ materialis, de cuius ratione est esse imperfectiorem suo effectu; Vndè benè potest potentia obedientialis esse causa materialis formæ supernaturalis, & tamèn esse intrinsecè naturalis.

42 Instabis secundò. Licèt dispositiones ad gratiam spectent ad genus causæ materialis nihilominùs debent esse intrinsecè supernaturales, ergò similiter licèt potentia obedientialis habeat rationem causæ materialis nihilominùs debet esse intrinsecè supernaturalis.

43 Respondetur distinguendo antecedens, causæ materialis determinatiuæ, concedo antecedens, receptiuæ, nego antecedens, & consequentiam. Duplex ergò est genus causæ materialis, vnum quod habet esse determinatiuum, & hoc non petit esse imperfectius suo effectu; aliud verò est receptiuum, & hoc petit esse imperfectius suo effectu; Dispositiones autem ad gratiam sunt primi generis, & ideò petunt esse intrinsecè supernaturales; potentia autem obedientialis est secundi generis, & ideò potest esse intrinsecè naturalis.

44 Arguitur vltimò. Potentia obedientialis non est intrinsecè naturalis, ergò erit intrinsecè supernaturalis; Antecedens probatur, omni potentiæ passiuæ naturali correspondet potentia actiua naturalis reducēs illam ad actum, sed nulla datur potentia naturalis actiua reducens potentiam obedientialē passiuam ad actum, cum subijciatur tantùm primo agenti, & authori supernaturali, ergò potentia obedientialis non est intrinsecè naturalis. Similiter omnis potentia naturalis remanet imperfecta, nisi reducatur ad actū, sed potentia obedietialis nō remanet imperfecta, etiam si non reducatur ad actum, teste D. Th. q. 8. de verit. art. 4. ad 13. Sicut intellectus noster, vt diximus, non est imperfectus si non habeat lumen Propheticum, ad quod habet potentiam obedientialem, ergò &c. Deniquè si talis potentia obedientialis esset intrinsecè naturalis naturaliter cognosceretur ab Angelo, & ità etiam naturaliter posset ab illo cognosci Mysterium Incarnationis, & alia supernaturalia cum quibus est connexa potentia obedientialis, consequens est absurdum, ergò & antecedens.

45 Respondetur negando antecedens, ad omnes probationes dico concludere de potentia naturali præcisè, non verò de potentia, quæ sit naturalis intrinsecè, & entitatiuè, supernaturalis verò extrinsecè, & obiectiuè; Vndè cum potentia obedientialis sit naturalis hoc secundo modo, indè stat, quod nihil conuincitur contrà nos.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum potentia obedientialis in omnibus, & ad omnia sit vna specie?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò, quod in potentia obedientiali duo possunt considerari. Primum est id, quod de materiali importat, nimirùm esse in hoc, vel in illo subiecto, nempè in intellectu, voluntate, aqua, oleo &c. Secundum est id, quod de formali significat, nimirùm esse entitatem non repugnantem Deo ad quidquid de ipsa disponere voluerit. Non quærimus primo modo, sic enim certum est specie, imò & genere distingui iuxtà diuersitatem rerum, quibus inest, sed quærimus secundo modo.

2 Aduertendum est secundò tres esse ordines rerum, de quibus potest esse difficultas, scilicet ordinem hypostaticum, ordinem gratiæ, & ordinem præternaturalem; quærimus ergò, an in omnibus potentia obedientialis sit eiusdem speciei, non subalternæ, sed atomæ.

3 Prima sententia sustinet potentiam obedientialem non esse vnam specie infima, sed specie distingui iuxtà distinctum ordinem rerum, quas respicit. Ità Brunus in Met. q. 15. art. 1. & Manca 2. Phis. q. 6. dub. 4. & posterior subdit esse ferè communem inter Thomistas.

4 Secunda sententia docet potentiam obedientialem esse prorsùs eiusdem speciei infimæ in omnibus, & ad omnia. Ita Nazarius, Nauarete, Martinez, Cabrera, & Piccinardus, Vndè sit,

§. II.

Veritas aperitur.

5 COnclusio. Potentia obedientialis est eiusdem speciei in omnibus, & ad omnia.

6 Probatur primò. Quotiescunquè aliqua potentia, vel habitus respicit multa sub vna ratione formali, licèt illa multa sint diuersæ speciei, imò & plusquàm genere distincta, tamèn potentia, & habitus semper est eiusdem speciei infimæ, sed potentia obedientialis omnia, & singula, quæ respicit, sub vna ratione formali respicit, ergò licèt sint specie, & plusquàm genere diuersa tamèn potentia obedientialis erit vna specie infima: Maior patet in intellectu, potentia visiua, & Metaphysica, quæ licèt attingant obiecta inter se valdè diuersa, tamèn quia omnia respiciunt sub eadem ratione formali, nempè veri, colorati, & abstractionis à materia, ideo habent vnitatem specificam atomam; Minor verò probatur, potentia obedientialis omnia, & singula respicit per non repugnantiam, ergò &c.

7 Probatur secundò. Id, quod se habet de materiali in potentia obedientiali nequit conducere ad diuersitatem formalem, & specificam illius, sed diuersitas rerum, imò & ordinum, in quibus reperitur potentia obedientialis se habet de materiali, ergò nequit conducere ad diuersitatem formalem, & specificam illius, ac ideò erit vna specie; Maior patet; Vnumquodquè enim specificatur ab obiecto formali, non verò materiali; Minor verò probatur; Potentia obedientialis formaliter respicit solùm supernaturale, qua tale, ergò &c.

8 Probatur tertiò. Licèt substantiæ, & accidenti in esse entitatiuo nihil possit esse com-

commune vniuocum, tamen in esse scibili substantia,& accidens sunt eiusdem speciei, vnde possunt attingi ab eadem scientia specie, ergò pariter licèt multæ res naturales sint inter se valdè diuersæ, tamèn vt respiciunt ordinem supernaturalem poterunt esse eiusdem speciei, ac ideò potentia obedientialis in omnibus esse eadem specie.

9 Probatur vltimò. Non minùs sunt diuersæ speciei motus localis, augmentationis,& alterationis,quàm ordo hypostaticus, ordo gratiæ, & ordo præternaturalis, sed hoc non obstante Philosophia in sententia probabiliori est vna specie,quia omnes prædictos motus respicit sub eadem abstractione à materia singulari, ergò similiter potentia obedientialis erit vna specie, cum omnes prædictos ordines respiciat per non repugnantiam.

§. III.

Argumenta soluuntur.

10 Arguitur primò. Potentia obedientialis diuiditur in actiuam, & passiuam, in principalem, & instrumentalem, in vitalem, & non vitalem, sed omnes istæ differunt specie, ergò potentia obedientialis non est vna specie infima.

11 Respondetur distinguendo Maiorem, ità vt hæc omnia de materiali se habeant, concedo Maiorem, de formali, nego Maiorem, & concessa eodem modo Minori, nego consequentiam. Verum est ergò, quod potentia obedientialis diuiditur, sicut dictum est in argumento, hæc omnia tamèn solùm de materiali importantur, vndè cum id, quod se habet de materiali nequeat esse specificatiuum alicuius, vt patet in corpore respectu potentiæ visiuæ, quò circà licèt non sit vnum, tamèn potentia visiua est vna, indè stat quòd similiter potentia obedientialis est vna specie.

12 Instabis primò. Omnes istæ potentiæ respiciunt actus supernaturales sub diuersa ratione formali, ergò specie distinguuntur; Antecedens probatur. Vna res respicit actum supernaturalem, vt receptiua illius, alia vt productiua, vna vt causa principalis, alia vt instrumentalis, vna vitali modo, alia non, ergò omnes istæ potentiæ respiciunt actus supernaturales sub diuersa ratione formali.

13 Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, & aliàs omnes respiciunt tales actus per non repugnantiam, concedo antecedens, secùs, nego antecedens, & consequentiam. Sicut ergò, licèt potentia visiua vnum coloratum attingat vt album, aliud vt nigrum, aliud vt flauum &c. tamèn est vna specie, quia omnia attingit sub eadem ratione visibilis, ità licèt potentia obedientialis respiciat actum supernaturalem, vel vt receptiua, vel vt productiua, vel vt causa principalis, vel instrumentalis, vitali modo, aut non, quia tamèn omnes respicit per non repugnantiam semper erit vna specie.

15 Instabis secundò. Ex eo quod omnes istæ potentiæ respiciant actus supernaturales per non repugnantiam solùm sequitur quod conueniant genericè, non verò specificè, ergò non erit vna specie; antecedens probatur. Sicut potentia obedientialis respicit actus supernaturales per non repugnantiam, ità potentia naturalis respicit actus naturales cum positiua tendentia in illos, sed hoc non obstante potentia naturalis non est vna specie, sed vna genere, ergò similiter &c.

16 Respondetur negando antecedens, ad probationem, nego consequentiam, disparitas est, quia potentia obedientialis eleuatur ad ordinem superiorem, qualis est forma supernaturalis, in quo non consideratur aliqua diuersitas, sed solùm de materiali se habet, sicut obiecta entitatiuè diuersa vt attinguntur à Metaphysica sub abstractione ab omni materia transeunt ad genus intelligibile, in quo non relucet vlla diuersitas; potentia autem naturalis non eleuatur ad superiorem sphæram, sed sistit in se, vndè diuersitas, quam habet vna ab alia, vt intellectus à voluntate de formali spectatur, & ideò potentia obedientialis vt sic potest esse vna specie, non verò potentia naturalis.

17 Ar-

17 Arguitur secundò. Proprietates, quæ consequuntur ad naturas specie diuersas, specie quoque inter se distinguuntur, sed potentiæ obedientiales consequuntur ad naturas specie diuersas, ergò specie debent inter se distingui; probatur Minor, vna consequitur ad naturam aquæ ad causandam gratiam in Baptismo, alia ad naturam Olei in Confirmatione, & Extrema Vnctione, alia ad intellectum in ordine ad videndum Deum, alia ad voluntatem in ordine ad illum amandum, ergò potentiæ obedientiales consequuntur ad naturas specie diuersas.

18 Respondetur distinguendo Maiorem, si consequantur ad tales naturas, vt specie diuersas, concedo Maiorem, vt conueniunt in aliqua ratione superiori, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori nego consequentiam. Sicut ergò vnitas transcendentalis est eiusdem speciei in omnibus rebus, quia consequitur ad illas non vt specie diuersas, sed vt in ratione entis conueniunt, ità quoque potentia obedientialis licèt sequatur tanquam proprietas ad naturas valdè diuersas, tamen quia non consequitur ad illas vt diuersæ sunt, sed quatenùs conueniunt in ratione subiectionis ad Deum, & non repugnantiæ ad illi obediendum erit vna speciei.

29 Arguitur vltimò. Scientiæ Mathematicæ non sunt eiusdem speciei, scientia Philosophiæ in sententia probabili est vna tantùm genere, ergò etiam potentia obedientialis erit vna genere, probatur consequentia, ideò primum quia abstractio materiæ diuerso modo afficit partes subiectiuas obiecti formalis illarum, sed etiam non repugnantia diuerso modo reperitur in rebus naturalibus in ordine ad supernaturalia, ergò si &c.

30 Respondetur negando consequentiam, ad probationem, distinguo Maiorem, diuerso modo formali, concedo Maiorem, materiali, nego Maiorem, & distincta eodem modo Minori, nego consequentiam. Itaq; abstractio in scientijs Mathematicis diuersificatur nedùm materialitèr, verùm etiam formalitèr quatenùs respicit terminum ad quem, cum quantitas continua, quæ est subiectum Geometriæ respiciatur à discreta, quæ est obiectum Aritmeticæ tanquam eius materia, à qua formalitèr abstrahit; & hoc idem currit iuxtà hanc sententiam in partibus subiectiuis Philosophiæ. quarum vna comparatur ad aliam tanquam forma ad materiam, à qua formaliter abstrahit. Cæterùm non repugnantia eodem prorsus modo formaliter se habet in omnibus rebus naturalibus, licèt materialiter diuersificetur; vndè est dispar ratio.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm admittenda sit potentia neutra Scotica ab Obedientiali distincta?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1 PRo resolutione huius difficultatis aduertendum est primò hanc quæstionem non esse de solo nomine, vt putat Brunus; Scotus enim admittit potentiam neutram à violenta, & naturali distinctam, non solùm in ordine ad artificialia, & supernaturalia, quam Thomistæ vocant obedientialem, verùm etiam in ordine ad naturalia dicens superficiem neutram esse ad recipiendam albedinem, & nigredinem, Angelum habere potentiam neutram ad essendum in hoc, vel illo loco; hanc autem potentiam neutram in ordine ad naturalia omninò negant Thomistæ.

2 Aduertendum est secundò cum Caietano in suis Opus. Tomo 3. tract. 3. q. 1. quod res naturales dupliciter possunt considerari. Primò Physicè, nempè secundùm esse naturale,

rale, & singulare, quod habent in natura à parte rei. Secundò Mathematicè, nempè secundùm esse, quod habent pro vt subsunt abstractioni intellectus; Non est autem difficultas, an detur potentia neutra in rebus naturalibus secundo modo, sed primo consideratis.

3 Aduertendum est tertiò cum eodem nomine potentiæ intelligi potentiam passiuam, seù receptiuam, per neutralitatem verò non intelligi negationem potentialitatis vtcumque, sicut colorabile non est in potentia neque ad graue, neque ad acutum, hæc enim potiùs vocatur potentia nulla, sed negationem inclinationis ad vtrumque, sicut si poneretur superficies receptiua albi, & nigri, quæ nec ad vnum, nec ad aliud esset inclinata. Quærimus ergò an detur huiusmodi potentia neutra.

4 Prima sententia est affirmatiua. Hanc tenet Scotus cum sua Schola in Prologo 1. sententiarum q. 5.

5 Secunda sententia est negatiua. Hanc docent Thomistæ cum suo Angelico Præceptore, & præcipuè Caietanus loco citato, vndè sit.

§. II.

Veritas aperitur.

6 Conclusio. Non datur in rebus naturalibus potentia neutra, siuè in ordine ad formas accidentales, siuè substantiales.

7 Probatur primò. Cuilibet potentiæ passiuæ debet correspondere actiua, sed etiam per Scotistas non datur potentia actiua neutra, ergò neque est admittenda passiua, Minor patet, quia quælibet potentia est determinata in specie ad actus sibi proportionatos, ergò indifferenter non habet elicere hos, vel illos diuersæ speciei: Maior quoque videtur clara ex Philosopho 5. Met. cap. 12. qui definit potentiam passiuam in ordine ad actiuam, & è contrà actiuam in ordine ad passiuam.

8 Respondent Scotistæ correspondentiam, quam habet potentia passiua cum actiua esse genericam, ità quod sicut potentia actiua potest agere, ità passiua pati, non verò specificam, ità quod si non detur potentia actiua neutra, neque danda sit potentia passiua neutra, cum hæc non specificetur per ordinem ad potentiam actiuam neutram, sed per ordinem ad formam, quæ remanet adhuc sublato agente neutro.

9 Sed contrà. Talis correspondentia est generica, & specifica taliter quod repugnet potentia passiua si repugnat actiua, ergò si non datur potentia actiua neutra, neque danda est potentia passiua neutra; probatur antecedens, implicat quod repugnet potentia actiua neutra, & detur forma, quæ introducatur in potentia passiua neutra, sed implicante forma improducibili implicat etiam potentia passiua neutra, ergò verum antecedens; probatur Maior, potentia actiua dicitur talis, quia habet producere formam in potentia passiua; potentia enim est propter actum, tanquam propter finem, quo cessante cessant ea, quæ sunt ad finem, ergò &c.

10 Probatur secundò. Per Philosophum potentia, vel est inclinatio, vel est resistentia respectu actus, sed potentia neutra nullam dicit inclinationem, nec resistentiam, ergò non datur potentia neutra.

11 Respondent Scotistæ inter inclinationem, & resistentiam dari medium, scilicet nec inclinationem, nec resistentiam, quam de facto admittunt etiam Thomistæ in ordine ad artificialia, & supernaturalia.

12 Sed contrà 1. Potentia respiciens actum naturalem, aut respicit eum vt conformem suæ naturæ, vel vt contrarium, vel vt disparatum, si primum, ergò cum inclinatione, si secundùm, ergò cum resistentia; si tertium, ergò nullatenùs respicit.

13 Contrà secundò. Quia natura in ordine ad artificialia, & supernaturalia subijcitur agenti superiori, vel artificiali, vel supernaturali, ad hoc vt disponat de ipsa præter naturam ipsius, hoc autem non habet in ordine ad naturalia, cum Deus vt author naturæ se accomodet rebus, ergò licèt detur potentia in ordine ad prima, quæ non

sit

sit naturalis, aut violenta, non tamèn potest dari in ordine ad secunda.

14 Probatur tertiò ratione Caietani. Omnis potentia receptiua alicuius actus, aut respicit illum per se primò, aut per se secundò, aut contrarium his, sed tàm actum per se primò, quàm per se secundò inspectum respicit naturalitèr, & contrarium his respicit violentèr, ergò omnis potentia receptiua alicuius actus, aut est naturalis, aut violenta, ac ideò non datur potentia neutra; probatur Maior: si daretur quartum genus actus receptibilis in aliqua potentia esset illi disparatus, sed ad actum disparatum nulla datur potentia; coloratum enim nullam habet potentiam ad sonos, neque calefactibile ad colores, non alia ratione, nisi quia disparatè se habent, ergò vera Maior.

15 Probatur vltimò. Nulla potentia potest esse neutra respectu actus, à quo naturaliter perficitur, vt docet Scotus in Prologo 1. sententiarum q. 1. littera H. §. ad propositum: sed omnis actus naturalis perficit potentiam, in qua recipitur dummodò illi non contrarietur, vt deducitur ex ipso met Scoto loco citato, & in 4. dist. 49. q. 10. dicente: *etiam ipsam claram Dei visionem naturalitèr perficere intellectum, & naturalitèr ab ipso appeti*, ergò non datur potentia neutra.

§. III.

Argumenta Soluuntur.

16 ARguitur primò. Superficies est potentia receptiua albedinis, & nigredinis, sed ad huiusmodi receptionem habet potentiam neutram, ergò datur potentia neutra; probatur Minor, indifferens enim est ad recipiendam, vel vnam, vel aliam, ergò habet potentiam neutram.

17 Respondetur negando Minorem, ad probationem, distinguo antecedens, absolutè sumpta, concedo antecedens, physicè, nego antecedens, & consequentiam. Superficies ergò absolutè sumpta, seù in statu præcisionis non solùm abstrahit ab albo, & nigro, sed etiam ab omni sensibili; physicè autem sumpta vt existit in rerum natura non est indifferens ad album, & nigrum per exclusionem inclinationis naturalis, sed tantùm per exclusionem maioris inclinationis ad vnum, quàm ad aliud, quia naturaliter respicit colorem, & omnes species illius, sed colorem per se primò, species verò per se secundò, licèt detur aliqua superficies, quæ repugnat omni colori, vt patet de superficie Cæli.

18 Instabis primò. Materia prima est indifferens ad omnes formas, ergò habebis potentiam neutram ad illas.

19 Respondetur distinguendo antecedens, per exclusionem maioris inclinationis ad vnam, quàm ad aliam, concedo antecedens, per exclusionem inclinationis ad omnes, nego antecedens, & consequentiam. Materia ergò prima per se primò respicit formam per motum, aut mutationem acquisibilem quouis modo; per se autem secundò respicit hanc, & illam formam; vndè naturalitèr inclinatur ad omnes, & si est indifferens hoc non habet per exclusionem naturalis inclinationis, cùm illam perficiant, & dent illi existentiam, sed per exclusionem Maioris inclinationis ad vnam, quàm ad aliam. Sicut etiam lapis per se primò inclinatur in centrum, per se autem secundò ad diuersa vbi in centro.

20 Instabis secundò. Potentia, quam habet aqua Maris ad fluxum, & refluxum non est cum inclinatione, nec per se primò, nec per se secundò ad illum, nec etiam est cum resistentia, ergò erit potentia neutra.

21 Respondetur negando consequentiam. Est enim potentia obedientialis, cùm talis motus sit præternaturalis conueniens illi ex impressione superioris agentis, scilicet Lunæ; sicut etiam potest dici præternaturalis motus diurnus Planetarum ab Oriente in Occidens, quia illis conuenit ex impressione primi Mobilis; vndè benè potest dari potentia media inter naturalem, & violentam, quæ sit obedientialis; non tamèn quæ sit neutra, nisi nomine potentiæ neutræ intelligatur obedientialis, vt vult Brunus, quod

quod tamen nequit dici, cum potentia obedientialis respiciat tantùm ea, quæ sunt suprà, vel præter naturam, potentia verò neutra per Scotum etiam ad naturalia se extendat.

22) Instabis tertiò. Potentia cæli ad motum circularem non est ad motum præternaturalem, & tamen non est naturalis, neque violenta, ergò est potentia neutra vt ab obedientiali distincta; probatur Minor quò ad primam partem, quia aliàs quies post diem Iudicij erit illi violenta, vtpotè illi opposita, quod tamen est falsum, cum nullum violentum sit perpetuum; probatur quò ad secundam partem, quia talis motus non est contrà naturam Cæli, cum sit sphæricum, ergò &c.

23 Respondetur negando Minorem, & dico quod est naturalis, eo quia est conformis talis motus eius principio passiuo, ad probationem, nego sequelam, motus enim est naturalis Cælo solùm propter finem conseruationis sublunarium, vt compleatur numerus Electorum; post diem autem Iudicij erit completus talis numerus, vndè tunc quies, & non motus erit naturalis Cælo, neque repugnat quod duo opposita pro diuerso tempore, & diuerso fine stante eidem sint connaturalia.

24 Instabis quartò. Ignis in concauo Lunæ habet capacitatem ad hoc vt moueatur circulariter, sed hic motus non est ab illo naturaliter exigitus, nec ipsi contrarius, ergò ignis habet potentiam neutram ad talem motum; probatur Minor quò ad p. p. quià ignis vtpotè leuis tantùm exigit motum sursùm; quò ad secundam partem etiam probatur, nam ipsi contrariatur tantùm motus deorsùm, ergò &c.

25 Respondetur primò negando Minorem quò ad p. p. ad probationem distinguo antecedens; dum est extrà suam sphæram, concedo antecedens, dum est in sua sphæra, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò igni dum est extrà suam sphæram sit tantùm naturalis motus sursùm, tamen igni existenti in sua sphæra est naturalis motus circularis, ex eo quod est illi impossibilis quilibet alius motus.

26 Respondetur secundò, quod talis motus est præternaturalis, quia ignis mouetur circulariter ad raptum motus orbis Lunæ; vndè ad illum ignis habet potentiam obedientialem.

27 Instabis quintò. Aer est indifferens ad lucem, & tenebras, ergò habebit potentiam neutram ad illas.

28 Respondetur distinguendo antecedens, absolutè sumptum, concedo antecedens, physicè, nego antecedens, & consequentiam. Licèt ergò aer absolutè sumptum, nempè vt abstractum per intellectum à diaphaneitate neutraliter se habeat ad lucem, & tenebras, tamen Physicè sumptum, & vt affectum diaphaneitate naturaliter inclinatur ad lucem. Vel dicatur, quod sicut cælo pro diuerso tempore est naturalis motus, & quies esto sint inter se contraria, ità aeri pro diuerso tempore sunt naturales lux, & tenebræ, esto inter se priuatiuè opponantur.

29 Arguitur secundò. Potentia, quam habet Angelus ad essendum in loco non est naturalis, aliàs exigeret esse in loco, & dum ab illo se suspenderet esset in statu violento; non est violenta; non enim quilibet Angelus, & semper est in loco violento; neque obedientialis, cum non sit ad aliquid suprà, vel præter naturam illius, ergò erit potentia neutra.

30 Respondetur distinguendo antecedens quo ad p. p. pro vt naturale distinguitur contrà liberum, concedo antecedens, contrà violentum, nego antecedens, & consequentiam. Cum ergò Angelus non sit in loco passiuè, sicut corpus, sed actiuè per applicationem suæ virtutis, quam pro sua libertate potest applicare vbi vult, ideò potentia, quam habet ad essendum in loco est ei naturalis sumpto naturali, vt distinguitur contrà violentum, non verò vt distinguitur contrà liberum, licèt quando est in loco violento per passionem, vt contingit Angelis malis, ibi sit per potentiam violentam; vndè si suspenderetur ab omni loco cum sit summè actiuus, vel hoc haberet per potentiam

violentam, aut obedientialem.

31 Arguitur 3. Potentia quam habet homo ad peccandum non est naturalis, cum peccatum sit contrà naturam hominis; neq; violenta, cum peccatum non sit ab extrinseco, imò fiat cum delectatione; neq; minùs obedientialis, cum non sit ad aliquid supernaturale, ergò erit potentia neutra præcisè.

32 Respondent Aliqui potentiam, quam habet homo ad peccandum comparatam ad partem sensitiuam esse naturalem, comparatam verò ad partem intellectiuam esse violentam. Sed Responsio non videtur subsistere, cum peccatum sit à principio intrinseco, vtpotè actus vitalis, & liber; vnde videtur ex omni parte naturale. Nec valet dicere quod non est à principio intrinseco naturæ rationalis in quantùm rationalis, sed solùm sensitiuæ; Eo quia natura rationalis, & sensitiua non ponunt in numero, cum constituant vnum principium quod adæquatum operationis; Vltrà quàm quod in Angelo hoc subsistere nequit, cum sit naturæ præcisè intellectualis.

33 Respondetur ergò distinguendo antecedens quò ad p. p. Si peccatum consideretur quò ad formale, concedo antecedens, quò ad materiale, nego antecedens, & consequentiam. In peccato ergò duo debent considerari; primò materiale, secundò formale ipsius, quare si peccatum consideretur quò ad materiale certum est quod homo habet potentiam naturalem ad illud; si verò consideretur quò ad formale homo non habet potentiam naturalem ad illud, sed potiùs defectum potentiæ, cum homo respectu illius non vocetur primum efficiens, sed potiùs primum deficiens; vndè peccatum pro formali nec erit naturale, nec violentum, neque supernaturale, sed potiùs innaturale negatiuè tanquam defectus rei naturalis. Quando autem dicitur quod peccatum est contrà naturam non intelligitur, quod sit contrà naturam positiuè contrariè vt est forma violenta, sed priuatiuè tanquam defectus.

34 Arguitur vltimò. Potentia, quam compositum habet ad corruptionem, neque est naturalis, neque violenta, ergò neutra, antecedens probatur quò ad p. p. nam corruptio est contraria formæ; quò ad secundam etiam, nam materia appetit omnes formas, quas nequit habere nisi media corruptione, ergò potentia, quam compositum habet ad corruptionem neque est naturalis, neque violenta.

35 Respondetur quod talis potentia est naturalis respectu materiæ, violenta verò respectu formæ, quod non repugnat, cum hoc sit respectu diuersorum; ipsi tamen composito violenta est, cum vnum quodque inclinetur ad sui conseruationem, non verò ad destructionem. Cæterùm corruptio substantialis absolutè, & simpliciter dicenda est mutatio naturalis, cum sit per se intenta à natura vniuersali, vt dictum est in Libris de Generatione, & Corruptione. Et hæc sufficiant pro hac nostra Metaphysica; reliqua, quæ de Habitibus, de Deo, eiusque attributis, tùm in communi, tùm in particulari hoc biennio exarauimus pro Theologicis reseruantes. Atque vtinam omnia cedant in studiosorum vtilitatem, in Ordinis beneficium, & quod præcipuum est in Dei, eiusque Virginis Matris honorem, & gloriam. Amen.

FINIS.

IN-

INDEX PRIMVM

Quæstionum, Articulorum, & Quæsitorum, quæ in Opere continentur.

QVÆSTIO PRIMA PROOEMIALIS.

QVÆSTIO II.

De Ordine cognoscendi quò ad nos.

QVÆSTIO III.

De Analogià.

QVÆSTIO IV.

De Ente.

QVÆSTIO V.

De Passionibus entis in communi.

QVÆSTIO VI.

De Vnitate.

Arti-

QVAESTIO VII.

De Veritate.

QVAESTIO VIII.

De Bonitate.

QVAESTIO IX.

De Principio Indiuiduationis substantię materialis.

QVAESTIO X.

De Principio Indiuiduationis Accidentium.

QVAESTIO XI.

De Principio Indiuiduationis Formarum Spiritualium.

QVAESTIO XII.
De Essentia.

QVAESTIO XIII.
De Subsistentia.

QVAESTIO XIV.
De Existentia.

QVAESTIO XV.
De Distinctionibus.

QVAESTIO XVI.

De Anima Separata.

QVAESTIO XVII.

De Potentia Obedientiali.

INDEX SECVNDVM

Rerum Memorabilium, quæ in Opere continentur.

Littera P *Paginam*, N. *Numerum indicat*.

Ma-

F I N I S.

ERRATA,	CORRIGE.
P. 13. n. 3. quem	quàm per
Ibidem. n. 6. Alpharebius	Alpharabius
P. 41. n. 5. obiectiuum	obiectiuè
Ibidem. n. 8. repprentatz	representata
Ibidem. n. 10. repprelentant	representaret
P. 44. n. 7. posset	potest
P. 48. n. 6. extrinsecè in vno	intrinsecè in vno
P. 50. n. 21. inter vniuoca	inter vniuoca, & æquinoca.
P. 53. n. 17. ingrederetur	ingrediatur
P. 68. n. 2. Nominaliter, & participaliter	participaliter, & nominaliter
P. 74. n. 15. aliatam	allatam
Ibidem. n. 19. contenta	contentio
P. 89. n. 17. Astante	stante
Ibidem. n. 28. commui	communi
P. 158. n. 5. determinatz	determinatè
P. 170. n. 32. secundam	secundùm
P. 171. n. 34. conincidant	coincidant
P. 222. n. 2 Secundo autem	primo autem
P. 233. n. 5. Sect.	act.
P. 239. n. 50. accidens	per accidens
P. 247. n. 36 subtentie	subsistentia
P. 252. n. 72 substantiam	subsistentiam
P. 254. n. 17. substantia	subsistentia
P. 256 n. 11. realem	essentialem
P. 260. n. 6. recipitur	recipiatur
P. 286. n. 27. inhærentias	inhærentia
P. 320. n. 13. cognoscendo	cognosco
P. 325. n. 3. lazarum	Lazarum

